Zapisano 1835 9436

41

Ab eod^m dono datus Comiti Joanni Wielopolski 24. Junij 1728.

Iterum ab Eodem qui supra dono datus Joanni Kłeczynski Pa[illegible] 1741.


SVCCESSIO CONTINVA
DEMONSTRATIONES
CATHOLICÆ.
Quibus ostenditur
Lutheranam Ecclesiam
non esse Apostolicam,
quia in Essentialibus
Fidei Articulis a Primitivâ
Apostolica Ecclesiâ
dissentit.
AUCTORE
IULIO CÆSARE COTURIO
IESU Wratisl. Theol. Moral.
Controvers. Professore.
VERBUM DEI SCRIPTUM
VERBUM DEI TRADITUM
PARS
I.ma
Veneunt apud Christ: Jacob. Bibliopol. Wratislav.

regist:

DEMONSTRATIONES CATHOLICÆ

QVIBUS OSTENDITVR Lutheranam Ecclesiam non esse veram Apostolicam Ecclesiam: quia in Essentialibus Fidei Articulis à vera Primitiua Apostolica Ecclesia dissentit.

AVCTORE
R. P. IVLIO CÆSARE COTVRIO
SOC.tis IESV WRATISLAVIÆ THEOL: MORAL: ET CONTROVERS: PROFESSORE.

Jerem. VI. v. XVI.

HÆc dicit Dominus: State super vias, & videte, & interrogate de Semitis antiquis; quæ sit via bona, & ambulate in ea; & inuenietis refrigerium animabus vestris.

LESNÆ POL.
TYPIS WIGANDI FVNCCII.
Anno M. DC. XLI.


INSTYTUT OSSOLINSKIEGO



Illuſtri ac Celſiſsimo Dn.º
Domino

CAROLO EU-SEBIO

S. R I. Principi & Gubernatori Domus de Lichtenſtein à Nicolſpurg.
In Sileſia Oppauiæ & Carnoviæ Duci.
S. C. M. in Superiori & Inferiori Sileſia Supremo Capitaneo.

Humanitatem Tuam mihi pauliſper interpellare liceat, Princeps Illuſtriſsime: paruulus hic libellus tamquam nouus pugil in arenam proceſsurus, à Te poſtulat Vmbonem. Veritas illum omni fuco dictionis exarmauit, & inueſtem in ſtadium abire juſsit; ideoq́; Aduerſariorum calamis & linguis oppugnabitur: in eam enim nunc fortunam humana nos perfidia deduxit, vt grauiora nulli, quam Veritati bella moueantur. Si ergo Patrocinium illi Tuum polliceris, non amplius inermis erit; ſed omni calumniâ robuſtior, Tuoq́; favore clypeatus proſiliet in campum. Tuos oculos ſubire metuebat, tenuitatis, exiguæq́; molis ſuæ ſibi conſcius: ſed vbi meminit hauſtam vtraq́; manu lympham, & volâ ruſticâ porrectam Regibus olim placuiſſe, & conciliaſſe ſibi Protectores: procul omnem valere metum juſsit;

patrociniumq́ Tuum auidus ambiuit. idq́ duabus potißimùm de causis.

Ac primò quidem, quod non solùm à Gente Principali, vetustißimaq́ ducas Genus & Magni illius Caroli sis Filius, qui Bohemici Regni clauum moderatus, ejusdem sustinuit cum dignitate majestatem, & impijs molitionibus oppreßam ibidem Catholicam Religionem, in pristinum splendorem & libertatem vindicauit: neq́ tantùm, quod Hanor & Fortuna Te ternâ Principum tiarâ coronotum ad Gloriæ fastigia prouexerint; & fortunatâ conspiratione meritum majora, omni opulentiæ honestißimâ opimitate cumularint Summa quidem illa sunt, & in humanis beatißima censenda; præsertim cum vt præmia Virtuti decernuntur. Verùm, quod insuper in Te Christiana Pietas, Religio, Prudentia, Fortitudo, Juris æquitas, & Virtutes omnes cæteræ Spiritu Principali confirmatæ *non breuis temporis hospitium, sed domicilium constans & perenne collocarint; quibus multò quam sanguinis & fortunarum gloriâ vel titulis illustrior, non Patrias, auitasq́ solùm, sed & has amplißimas Silesiæ Prouincias Supremus Moderator, & Cæsarum Vicarius feliciter gubernas & illustras; majora sunt, sublimiora sunt, quam vt ad illa complectenda fatigatus, infirmusq́ calamus adspiret. publica enim Religione, & præconio consecrata Virtus (vt veterum nonnemo rectè dixit) priuatâ laudatione violatur. Quocirca neminem admiratio subire potest, cur ad Te, Princeps Excelsißime, libellus hic Catholicus, & Apostolicæ Fidei aßertor, velut*

ad Ho-

ad Heroëm, Principemq́ potentißimum, Catholicißsimum, & Apostolicæ Religionis decôri pristino restituendæ cupidißimum recurrat. Quæ quidem causa est æquißima, vt in lucem tandem editus, à glorioso Tuo Nomine vel fauorem quærat, vel accipiat Honorem; vel cum vtroq́ fortißimum Vmbonem.

Altera verò causa est, & ea quidem ex parte nostra syncerißima. vt quem in tanto dignitatum & gloriæ fastigio locatum; tam Regijs animi Virtutibus illustrem; tantâ Fortitudine, Prudentiâ, & æquitate Juris excellentem; in Catholicam Religionem tam constanter; in Minimam verò Societatem JESU tam candidè & humaniter affectum in hac vrbe video, & experior, hoc litterario, religiosoq́ dono venerer: ac eidem hoc qualicunq́ obsequio affectus nostri, Fortunæ, ac Virtutum omnium constantiam, Cæsarum perennantem gratiam, felicißimam Proninciarum gubernationem, Amorem populorum, & reditum ad nos optatißimum congratuler. idquod hoc libello cupio effectum, perpetuumq́ voueo; Diuinitatem comprecatus, vt Celsitudinem Tuam Catholicæ Religioni, Patriæ vniuersæ, ac minimæ Soci. JESU superstitem quàm diutißimè feliciter conseruet. Vratislaviæ ex Residentia Socie. JESU Cal: Augusti M. DC. XLI.

CELSIT.nis V.

Humillimus in Christo Seruus

JULIUS CÆSAR COTURIUS S. J.

PRI-

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

Um Sacræ Cæsareæ Majestatis decreto, omnibus & singulis Typographis ac Bibliopolis & aliis quamcumq; librariam negotiationem exercentibus seriò, firmiterque inhibeatur, ne quisquam vllos libros à nostris Patrib9 hactenus editos, vel inposterum edendos, intra Sacri Romani Imperij, Regnorum & Dominiorum suæ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili vel alio characteris genere, aut formâ, siue in toto, siue in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alubi etiam impressos adducere, vendere & distrahere clam seu palàm, cicere, vendere & distrahere clam seu palàm, citra judicium ac Testimonium supradictorum Patrum audeat vel præsumat. Concedo ego *Martinus Stredonius* Soc.tis JEsu per Bohemiæ Prouinciam Prouincialis *Christophoro Jacobo* Bibliopolæ Wratislauiensi facultatem excudendi *R. P. Julij Cæsaris Coturij* Societ: nostræ *Demonstrationes Catholicas, quibus ostenditur Lutheranam Ecclesiam non esse Apostolicam Ecclesiam* à Deputatis ad id Patribus approbatas. in quorum fidem hoc ei Testimonium, manu nostra subscriptum, & sigillo munitum dare voluimus. Nissæ 20. Augusti. Anno 1640.


MARTINUS STREDONIUS.

APPRO-

APPROBATIO.

EGo *Martinus Stredonius* Soc.tis Jesu per Bohemiam Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi factâ ab Adm: R. P. N. *Mutio Vitellisco* Præposito Generali, facultatem concedo, vt *Demonstrationes Catholicæ, quibus ostenditur Ecclesiam Lutheranam non esse Apostolicam Ecclesiam* à P. Julio Cæsare Coturio ejusdem Soc.tis Jesu Sacerdote conscriptæ, & à quatuor Patribus Theologis ejusdem Soc.tis Jesu lectæ & approbatæ, typis mandentur in quorum Fidem has litteras manu mea subscriptas, sigilloq; officij munitas dedi. Pragæ 2. Julij Anno 1640.

MARTINUS STREDONIUS.



INDEX
Demonſtrationum
quæ in hac prima parte continentur.

ERRA-

ERRATA GRAVIORA
partis Primæ.

VNum Te rogatum Volo, Amice Lector, vt si inter legendum errata quædam à Typographis commissa occurrant (occurrent autem plurima) hæc animo non iniqvo feras; nam difficile est errata Typographorum omnia corrigere, maximè quæ circa Distinctiones seu interpunctiones committuntur. præcipuorum tamen emendationem hîc addidimus, vt si Syntaxis imperfecta, vel Sensus obscurus videatur, lumen aliquod à Correctura peti possit.

Paginâ 11. lineâ 7. â fine. *& quid verâ* pro. qui à verà. p. 21. l. 3. à fine. *habitu.* pro habiti. p. 25. l. 18. *ac exemplis.* pro. ab exemplis. p. 26. l. 4. *comparante.* pro. comparente. p. 27. l. 24. *totus Michaas* pro. solus. p. 29. l. 8. *Christum.* pro Christo. ibid. l. 15. *cum.* pro. eum. p. 30. l. 23. *comparante.* pro comparente. p. 31. l. 20. *Aduersariis.* pro. Aduersarii. ibid l. 6. *eum.* pro cum. p. 32. l. 4. *natus* pro. notus. p. 32. l. adde *allatis.* l. 7. dele *allatis.* p. 32. l. 3. à fine. *fine* pro sine. p. 35. l. 5. *fidelis.* pro. fideles. p. 37. l. 3. *consumationem* pro consummationem. idem corrige alubi. p. 38. l. 25 *sed neq.* pro. sed neq; p. 39. l. 3. *inniti.* pro. inuiti. p. 40. l. vlt. *ficclesia.* pro. S. Ecclesia p. 42 l. 20. 26. *impercibiliter.* pro imperceptibiliter. p. 42. l. 4. à fine. *desiciisse* pro defecisse. p 45. l 8. *Lutherã* pro Lutheranã p. 47. l. 9. *vera.* pro. vera. p. 52. l. 9. *do fidei.* pro ad fidei. p. 56. l. 23. *nouos.* pro. næuos. p. 61. l 10 1570 pro 1580. p. 76. l. 4. *in vincibili.* pro. inuincibili. p. 79. l. 3. â fine. *occupari.* pro. occupare. p. 85. l. 10 *fuerint* pro. fuerunt. p. 89. *hæc.* pro. hac. *successio.* pro. successionis. p. 91 l. 24. *& erogant.* pro. derogant. p. 95. in tit. *probatum* pro. probatur. p. 98. l. 2. â fin. *demonstrant.* pro demonstrat. p. 99. l. 12. *Apostoli* pro. Apostolo p. 100 l. 5. *quod.* pro. quæ. p. 104. l. 4. deest. cum. ibid l. 27. *remittit.* pro. remitti. p. 107. l. 5. *Haresem.* pro. Hæresin. p. 114. l. 6. *sumus.* pro. scimus.

cimus. p. 133. l. 9. *ſi contra* pro. ſed contra. ibid. l. 26. *Chriſto* pro Chriſti. p. 138. l 25. *inuenire* pro inueniri. p. 175 l. 10 *leniſsima*. pro leuiſsima p 198 l. 8. *conſieſſet*. pro conſueſſet. p. 227. l. 1. *ſit* pro ſit. p. 242. l. 10. *ſolam*. pro. ſolum p. 243. l. 3. *de veſtra* pro. de manu veſtra p. 246. l. *potius vobis quam pro vobis*. pro. potiùs pro vobis quam vobis. p. 275. l 14. *quia*. pro quin. p. 285. l. 2. *quam*. pro. quem p. 294. l. 9. *& beneficia*. pro. ad beneficia. p. 318. l 11. *pœnas*. pro pœnæ. p. 323. l vlt. *iuſtas*. pro iuſtos p. 340. l. *ex natura DEi* pro. ex natura rei. p 343. l 8. *in juſtitia*. pro. in iniuſtitia. l. 14. *triſtia*. pro. triſtitia. p. 344. l 4. *volat* pro. valet. p 346. l 19. *animalis* dele. p. 348. l. vlt. *loca id*. pro. loca quæ id. p. 362. l 1. *& ſi ſunt*. pro & hi ſunt. p 390. l 1 *ſequitur*. pro. loquitur. p. 394. l. 1. *dolentis*. pro dolentes. p. 406. l. 26. *volens*. pro. nolens. p. 408. l. 23. *Exſuuiis*. pro. exuuiis.



ADMONITIO NECESSARIA AD LECTOREM CHRISTIANUM.

CUm passim Adversarii Fidei Catholicæ Romanæ jactent, Ecclesiam suam eandem esse, cum illâ verâ primitivâ; quam CHRistus & immediatè post illum, Apostoli per universum Orbem plantârunt & fundârunt: toto hoc Opusculo contrarium demonstrabo. Statuendum ergo primò certum Fundamentum est, cui labor noster totus innitatur, quod hisce Annotationibus sequentibus includitur.

ANNOTATIO I.

INprimis nemo Christianus dubitare potest, quin Apostoli, â CHRisto omnia fideliter accepta, in primâ Ecclesiæ fundatione posteris etiam fidelitèr tradiderint; tàm quæ ad Doctrinæ puritatem; legitimam Sacramentorum administrationem: quàm

quæ ad Disciplinæ & Regiminis Harmoniam pertinebant. Hæc autem nominatim in in Ecclesiâ Romanâ primitivâ exstitisse, Paulus Testimonio luculento probat *Rom. 1. v. 8.* ubi asserit: *Fidem ejus annunciatam fuisse in universo Mundo.* Fuit ergò tunc Ecclesia Romana, & quotquot per Orbem Terrarum in Fide & Charitate cum eâ communicabant; vera Ecclesia; Sponsa CHRisti; & omnium fidelium syncera mater; quâ cum omnes, in rebus fidei sentire & in iis cum eâ non sentientes, hæretici & rebelles haberi debuerunt. An autem, & quamdiu, Fidem illam per totum Mundum annunciatam & laudatam retinuerit, magna nobis cum Adversariis Controversia intercedit. Nobis enim certum & indubitatum est; *Ecclesiam illam verum primitivam*, fidem ac charitatem semper conservasse; & per continuam Successionem, nunquam interruptam, visibiliter ad nos usq; perduxisse; adeo, ut hæc moderna Ecclesia eadem omnino sit, cum illâ primâ à CHRisto & Apostolis fundatâ, quæ nunquam apostatavit vel defecit. E contra verò & illam apostatâsse & ab Apostolicâ Fide defecisse, contendunt omnes Lutherani, cæteriq; qui unquam sese ei opposuerunt; suosq; cætus, pro verâ Ecclesiâ haberi voluerunt. Quantò autem tempore Ecclesia

pri-

primitiva, CHRisto Sponso suo, fida manserit; ipsi non conveniunt. Nam licet ingenuè fateantur omnes, conditam ab Apostolis Ecclesiam, non unà cum ipsis mortuam ac sepultam esse; sed etiam ad Successores eorum transiisse, & apud eosdem aliquandiu remansisse: ajunt tamen mox ab Apostolorum obitu, errorum ac superstitionum semina cœpisse spargi; quibus paulatim pullulantibus, Ecclesiam corruptam, & Apostolicæ Doctrinæ integritatem deformatam quidem esse: non tamen continuò totalitèr eversam. Mansit enim adhuc (ut ipsi asserunt) vera Ecclesia, licet non omninò pura, in cujus communione pii quiq; illorum temporum piè sanctèq; vivere potuerunt, & porrò etiam vixerunt. In hoc autem licet non optimo, tolerabili tamen, & adhuc sancto Statu, Ecclesiam quidem perdurasse asserunt 300. vel 400. annos; alii 600. vel 700. imò 1000. annos aliqui assignant. Communissima tamen tàm Lutheranorum quàm Calvinianorum est opinio, usq; ad Annum Sexcētesimum seu per quinq; prima sæcula durasse; atq; ita, licet illam Ecclesiam, quæ quinq; primis Sæculis floruit, nævis quibusdam fuisse deformatam dicant; tamen eam hujusmodi fuisse confitentur, cui tutò communicare omnes, & in eâ tanquam Ec-

clesiâ adhuc verâ & Visibili, salvari potuerunt & reipsâ sunt salvati.

Hoc ergo tanquam Fundamentum, unum collocamus, ultrò ab Adversariis omnibus concessum; videlicet: *Ecclesiam primitivam, quæ per quingentos circitèr Annos ab Apostolis duravit, veram visibilem & certissimam Ecclesiam semper fuisse.* Et licet daremus (quod tamen falsum est) eandem variis nævis & abusibus fuisse deformatam, cum tamen illis non obstantibus fateantur *Ecclesiam tunc etiam adhuc fuisse veram & essentiales ac fundamentales Fidei Articulos retinuisse salvos*, irrefragabiliter inde consequentia deduco.

1. *Omnem Ecclesiam quæ cum illâ primitivâ convenit in Essentialibus Punctis Fidei, pro verâ JEsu CHRisti Ecclesiâ agnoscendam esse.*

2. *E contra; nullam Ecclesiam in Doctrinâ fundamentali aliter qvàm illa docuit, sentientem, veram esse posse, sed debere pro falsâ & erroneâ haberi.*

Ecclesiam verò Lutheranam nunc aliter sentire & docere, qvam senserit & docuerit vera Ecclesia primitiva, per seqventes demonstrationes omnes sic probabimus, ut appareat manifestè Lectori unicuiq; minimè passionato, non in Nævis tantum aut qvibusdam Ceremoniis; sed

in omnibus Fidei substantialibus Articulis, eam toto Cœlo ab antiquâ discrepare; adeoq; eam Ecclesiam veram nullo modo esse posse.

Antiquam enim illam Ecclesiam veram, tanquam Exemplar intuebimur; cum quo tùm Ecclesiam Romanam, tùm Lutheranam diligenter conferemus; & utrum nostra melius, an Adversariorum conveniat cum Exemplari suo, perpendemus. Unde evidentissimè comperiemus, hodiernam Ecclesiam Romanam, de fundamentalibus Christianæ Fidei Articulis, idem nunc prorsus sentire, ac docere, quod olim Ecclesia vera docuit & sensit. Et contrà Lutheranam Ecclesiam longè aliter sentire, ac docere; quam senserit, ac docuerit, Ecclesia primitiva; ac proindè eam veram non esse Ecclesiam, qui Scopus totius nostri laboris erit.

ANNOTATIO II.

UT probemus Ecclesiæ Romanæ Catholicæ, prout nunc est, cum antiquâ verâ Apostolicâ consensum: & è contrà, ab eâdem dissensum Lutheranæ; Testimonia producimus eorum Patrum, ac Doctorum, qui quinq; primis Seculis Ecclesiam primitivam gubernârunt. Cum enim ipsi Lutherani, tunc temporis, eos veros, ac legitimos Doctores, ac Pastores Ecclesiæ

veræ fuiſſe fateantur; conſequenter eorum Teſtimonia de Eccleſiæ Veritate, citra omnem dubitationem erunt vera. Et cum ipſi illis Seculis unà cum ſuis Ovibus Eccleſiam veram, Viſibilem conſtituerint; illa quoq; Eccleſia eſt habenda vera quæ nunc ſe illis in omni doctrinâ conformaverit: falſa autem & erronea, quæ ſe illis oppoſuerit. Nec obſtat illa vulgaris Objectio Adverſariorum, videlicet: Fidem noſtram non niti humanâ Autoritate, ſed verbo Dei, ac proinde ex Teſtimoniis Patrum, ac Doctorum, non poſſe probari Eccleſiæ veritatem, ſed ex ſolis Scripturis. Scimus enim, & fatemur hoc Catholici, Fidem haud niti humanâ Auctoritate; ſed Verbo Dei. Et ideo nullâ ratione, Patrum teſtimonia producimus, quaſi poſtpoſitis Scripturis ea ducamus potiora; & verbum Dei ad Probationem Dogmatum Eccleſiæ non adhibeamus. Ultrò enim concedimus & *proteſtamur*, Sacram Scripturam continere puriſſimum Dei Verbum, ejusq; autoritatem immenſo intervallo quorumvis Hominum, quantacunq; eruditione, ſapientiâ & ſanctimoniâ præpolleant, Autoritati præferendam eſſe. Sed hoc tantum volumus; quando in Controverſiis Fidei, utraq; diſſidentium Pars, ſacram Scriptu-

ram allegat, & pro se interpretatur; tunc præferendam esse interpretationem publicam Ecclesiæ veræ; Interpretationi privatæ singulorum. Itaq; cum ex Patrum Scriptis constet; quid vetus Ecclesia de hodiernis Controversiis statuerit; & quomodo sacram Scripturam quæ ad eas discutiendas allegatur, interpretata sit; hanc veteris Ecclesiæ Sententiam, & Interpretationem ex Patrum scriptis haustam, & perspectam; quibuscunq; Doctorum pro suo Spiritu & Ingenio de Scripturæ Sensu inaniter digladiantium, opinionibus & interpretationibus potiorem ducimus. Atq; ita, ad Fidei probanda Dogmata Verbum Dei primariò adhibemus; sed tantum in eo explicando Auctoritatem, & judicium veræ Ecclesiæ primitivæ & Apostolicæ (quæ per Concilia, Patres, ac Doctores loquitur) opinionibus recentium Doctorum, & hodiernorum Cætuum Ecclesiæ illi primæ sese opponentium, judicio præponimus.

ANNOTATIO III.

CUm (ut jam ostensum est) Adversarii fateantur; Ecclesiam primitivam quinq; primis seculis fuisse veram, nec in substantialibus errâsse; clarè sequitur, non posse Lutheranos, aut quosvis alios à Veteris Ecclesiæ Consensu, ad Sacram Scri-

pturam appellare; nisi planè sibi ipsis contradicant, & revocent quod apertè confitentur. Nam, vel dicent; Veterem Ecclesiam quinq; primis seculis, in Essentialibus Fidei errâsse; vel in iisdem non errâsse. Si aserant errâsse; jam sibi contradicunt; & sequitur, nullam unquam veram Ecclesiam fuisse. Si errâsse negent; frustrà ad Scripturam provocant, cum ipsum Scripturæ genuinum sensum, & omnia quæ essentialiter credere debemus, Ecclesia primitiva, quæ non erravit, nobis clarè & infallibiliter exhibeat & explicet. Unde hoc fundamentum unum sit: Cum non in levibus, duntaxat, quæstiunculis; sed in præcipuis, ac gravissimis Christianæ Fidei Articulis, moderna Ecclesia Romana cum primitivâ & veteri Ecclesiâ, omnibus Orthodoxis Patribus, ac Doctoribus consentiat,(ut per singulas Demonstrationes toto hoc Tractatu clarè ostendemus) duo contra Adversarios inde deducuntur.

1. Non posse illos contra Dogmata Fidei essentialia, quæ à modernâ Romanâ Ecclesiâ traduntur, ad Scripturas provocare. Cum enim, ut dictum est, Ecclesia Romana in omnibus cum veteri consentiat: Si ad Scripturam provocent; Veterem Erroris necessariò damnabunt, & sibi contradicent.

2. Non

2. Non posse illos affirmare Romanam Ecclesiam modernam fœdam Meretricem, Idololatricam, Matrem abominationum, & errorum esse; nisi eadem de Ecclesiâ veteri affirment, quod si faciant, & sibi contradicent, & nullam unquam in Mundo Ecclesiam fuisse, fateri cogentur. Eligant utrum ex duobus malint.

ANNOTATIO IV.

CErta Demonstratio censenda est; Ecclesiam, & omnium Sanctorum Patrum judicium tàm in uno, quàm in altero Fidei Articulo declarando, ejusdem ponderis & Autoritatis debere esse; adeò, ut si unum credamus, quia sic Ecclesia & Patres credendum esse declarârunt; etiam alterum, quod iidem nobis credendum tradiderunt, credere pari ratione teneamur. Nunc autem, cum tam Catholici Romani, quam omnes omninò alii Christiani, pro certo, & indubitato, credant, Evangelium v. g. Marci vel Matthæi, quod in manibus habemus, illud ipsum esse, quod dictante S. Spiritu â prædictis Evangelistis est conscriptum; & non alicujus alterius commentum, idq; credamus, tantum, ideo quia primitiva Ecclesia, omnes S. S. Patres, & tota Christianitas, ab Apostolorum Temporibus, huc usq; quasi per manus id posteritati tradidit (neq; enim alia ratione nobis hoc constare posse fatentur omnes etiam

Adversarii) Ergò omnia, quæ per eandem viam ad nos usq; pervenerunt, per easdem manus tradita, & quæ eorundem Autoritate sunt proposita nobis ad credendum; eâdem fide amplecti, & pro infallibilibus credere tenemur. Sed sanctos invocari posse, dari Purgatorium, licitum esse & fuisse sub unâ specie Eucharistiam sumere, Missæ Sacrificium in Ecclesiâ offerri, opera justorum bona meritum habere, solam Fidem non justificare, & plurima similia habemus totius Ecclesiæ primitivæ, Sanctorumq; Patrum testimoniis, nobis quodammodo per manus tradita, & sine interruptione ab ipsis temporibus Apostolorum nobis continuò inculcata: ergo eâdem fide qua credimus Evangelium Marci & Matthæi esse vera Evangelia, Auctore S. Spiritu dictata, & omninò certa ac infallibilia; eâdem, inquam, fide, credere debemus; omnia supradicta, quæ per eandem viam accepimus, certa & infallibiliter vera esse. Hæc autem omnia, ad nos per eandem viam pervenisse sequentibus omnibus Demonstrationibus evidenter ostendemus.

Annotatio V.

Cum Lutherani cæteriq; A-Catholici premuntur veteris seu primitivæ Ecclesiæ, Sanctorumq; Patrum primis sęculis viven-

viventium autoritate, unicum eorum est effugium; dum respondent, tam Ecclesiam, quàm illos Patres plurimos habuisse nævos; quos successu temporis, & ut vulgò sese accommodarent, paulatim contraxerunt: quibus è contra duo reponenda sunt.

1. Si nævus quispiam, aut error in aliquo fuisset; is proprius unius, aut alterius fuisset; cæteris contrarium docentibus: nullâ vero ratione dici potest, hos nævos & errores, communes omnium fuisse, qui ex sensu & autoritate universæ Ecclesiæ locuti sunt. At illa omnia quæ in Demonstrationibus sequentibus docebimus, semper, & ex sensu, & autoritate universæ Ecclesiæ Omnes docuerunt; nec ullus habitus est sanctus, aut Ecclesiæ veræ Scriptor, qui in primitivâ Ecclesiâ istis contradixerit; ergo nullo modo dici possunt esse nævi.

2. Errores in fidei substantiâ & in doctrinis ad salutem necessariis, & quid verâ Christi Ecclesiâ eos pertinaciter tenentem dividunt; non possunt esse nævi; sed Errores Fidei substantiales, quos si docuisset vera Ecclesia & S.S. Patres; errorem errassent Fidei substantialem, per quem â verâ Ecclesiâ fuissent separati.

ANNO-

Annotatio VI.

Quia Veritas est una; falsitas autem multiplex; fit, ut illa sit Adversariorum nostrorum modò in Opinionibus suis de præcipuis Fidei Articulis explicandis inconstantia, & mutua contradictio; ut vix ullus inveniri possit, qui cum altero secundum omnia conveniat. Ne ergò in vanum ictus mitterem, nec certum unum aliquem citando, me suspectum facerem malè citatæ partium sententiæ, & ei criminis impositi, cujus reum se nemo agnosceret: unum quempiam præ manibus accipiendum esse statui; is est Gasparus Erasmus Brochmannus in Regiâ Academiâ Haffniensi Professor Ordinarius, cujus Systema Theologicum Lipsiæ ultimò recusum Anno 1638, quia præcipua, quæ ad Fidem spectant, videtur præ cæteris accuratiùs complecti; fit etiam, ut errores omnes, quibus moderni Lutherani hoc tempore involvuntur, nobis clariùs præ cæteris exhibeat. Et cum inter temporis hujus Adversarios, ille facilè Sectæ Lutheranæ Princeps sit, cujus Scripta, ut Oraculum de Tripode prolatum cæteri suscipiunt; si ille falsitatis fuerit convictus, etiam sequaces ejus omnes jugulati facilè occident. Quocirca ubi sese offeret occasio, ejus opiniones ac sententias citabo: & ita refellere conabor,

bor, ut lectori cuicunq;, quem passio in adversum non abripuerit, manifestum sit; solam in Ecclesiâ Romanâ Veritatem inveniri; adversus quam, tanquam firmissimam Petram â Christo constitutam, & solidum firmamentum Veritatis, nullæ unquam Inferorum Portæ prævaluerunt; & porrò nullæ, si DEus verax est, qui est ipsa veritas, unquam prævalebunt.

Has igitur sex Annotationes, totì Opusculo præmittendas duxi, ut cum omnes in singulis Demonstrationibus locum habeant, & plurimum ad earum stabilimentum faciant; necesse non sit easdem toties ad chartam revocare, quoties earundem usus sit. Has ergo cum cæteris, boni Lector consulat, & si Salutem suam amat, deposito quolibet affectu partiali, seriò coram Deo suo volvat, sibiq; hoc firmitèr persvadeat, Deum summum ac severissimum Judicem ab uno quoq; propositæ & clarissimè exhibitæ Veritatis olim rationem exacturum.





INTRO.

INTRODVCTIO Fundamentalis.

ad

DEMONSTRATIONES SEQUENTES

de

VERA CATHOLICA ECCLESIA.

PARS I.

De qualitatibus Veræ Ecclesiæ.

CUm in ſola vera Eccleſia CHRIſtus Redemptor laborum ac paſsionis ſuæ fructum repoſuerit, ut in hac ſola per Spiritum Sanctum remiſsio peccatorum, gratia DEI, juſtificatio & ſanctificatio tota diſpenſetur, adeoq; in hac ſola, ubicunq; illa ſit, vitæ æternæ promiſsio, & hæreditas, & verbum DEI ſiue ſcriptum ſiue traditum inveniatur, fit ut extra illam ſaluari nemo poſsit. Vnde Cyprianus l. de ſimplicitate Prælatorum: *ad ipſam ſalutem*, inquit, *& vitam æternam nemo peruenit, niſi qui habet caput*

Chri-

Christum; habere autem caput CHRistum, nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia.

Qua in re Orthodoxi, & omnes cujuscunque sectæ hæretici consentiunt, nulla enim est nec ante fuit unquam tam abjectæ sortis hæresis, quæ sibi titulos & ornamenta Ecclesiæ indivisæ CHRisti Sponsæ non vendicare sit conata, quod etiam temporibus Tertulliani accidisse legimus, qui l. 4. c. 5. contra Marcionem; *habent*, inquit, *Ecclesias hæretici, sed suas tam pestiferas quàm adulteras: quarum si sensum requiras, facilius Apostaticum inuenies, quàm Apostolicum. faciunt & favos vespæ; faciunt Ecclesias & Marcionistæ.* Unde fit ut recti specie objectâ, scilicet, Ecclesiæ & Religionis falsâ pietate plurimi decipiantur; qui dum Ecclesiam se invenisse putant, in cœtum impiorum, & certissimam perditionis foueam præcipites labuntur.

Quare cum facile intelligatur, quanti ad Salutem omnium intersit scire, quænam & penes quos Vera Ecclesia inueniri possit, serium ejus cognoscendæ studium necessariò suscipiendum erit. Cum enim hodie etiam multi sese mutuo oppugnantes & condemnantes cœtus, in Germaniâ nostrâ inueniantur, Catholici videlicet, Lutherani, Calvinistæ, Schusteriani, Sociniani,

ciniani plurimiq; alij, quorum singuli Ecclesiæ veræ nomen & titulos assumunt; omnes autem id jure facere, sit impossibile; Sedulò toto hoc tractatu inquiremus, quinam tandem inter illos veram Ecclesiam habeant.

Qua in re Lectoris commoditati, cui integra litigantium volumina evolvere, non vacat, conabor inservire, breviter, dilucidèq; veritatis lucem explicando, & hac brevi ratiocinatione totum hunc tractatum de Ecclesia complectar.

Vera CHRisti Ecclesia debet semper esse visibilis, & nec deficere nec errare posse.

Sed Ecclesia Lutherana, Cæteræq; acatholicæ, non semper visibiles fuerunt, imo defecerunt & errarunt. Catholica vero Romana visibilis semper fuit, & nunquam defecit, aut erravit. Ergo Catholica Romana Ecclesia, vera est Ecclesia, aliæ autem omnes falsæ.

Quem discursum sequentibus capitibus sic conabimur probare, ut propositionum singularum appareat manifesta veritas, ac deinde pro majore confirmatione, notas præcipuas adjiciemus, é quibus Ecclesia vera dignoscetur.

CAPVT I.

An vera Christi Ecclesia sit ita visibilis, ut nunquam fuerit, neq; fieri possit inuisibilis?

§ I.

Exponitur fundamentum sententiæ Lutheranæ.

DE facto visibilem aliquam Ecclesiam existere fatentur omnes. Sed eam veram Ecclesiam visibilem, fuisse aliquando, vel fieri potuisse inuisibilem Catholici negamus, affirmant Lutherani, ac nominatim Matthias Hoe in libello suo Euangelico pag. 26. Et Casparus Erasmus Brochmannus de Ecclesia cap. 1. sect. 5. Ecclesiam duplici modo inuisibilem fieri posse, asserunt.

1. Ratione publici ministerii, quando videlicet publicum religionis exercitium his negatur, qui cœlestem doctrinam profitentur, ita ut Ecclesia inuisibilis hoc sensu accepta, sit cætus hominum Deum occultè colentium.

2. Respectu fidei & internæ sanctitatis solius Dei oculis conspicuæ. De 1. difficultas nulla est, nam & Catholici fatemur fidem & charitatem, qua inter se & cum DEo Ecclesiæ membra colligantur, inuisi-

inuiſibilia eſſe; ſicut in Wratislauienſi Ciuitate cæteroqui quo ad omnia viſibili, interna tamen affectio, qua Ciues inter ſe uniuntur, inuiſibilis eſt. In primo itaq; cardo totus vertitur. Neceſſitas autem quæ Lutheranos omnes ad hanc ſententiam impellit, iſta eſt: affirmant modernam ſuam Eccleſiam veram eſſe, & eandem quidem, quæ Apoſtolorum tempore, & duobus, ternisue ſæculis poſt illos viſibiliter floruit, & per Orbem uniuerſum propagata eſt; Verùm cum toto illo tempore, quod Apoſtolos & Lutherum interceſſit, nullum Lutheranæ fidei veſtigium, nec Doctor ullus, qui eam ſecundum omnia docuerit, aſſignari poſſit, dicere neceſſariò coguntur, totis illis mille & trecentis annis Eccleſiam ſuam vel penitus inter mortuam fuiſſe, vel certè plane inuiſibilem & ignotam latuiſſe. Hoc autem ita contigiſſe, non aliter probare poſſunt, quam hac ratiocinatione:

Eccleſia Lutherana ab Apoſtolis ad hoc uſq; tempus durauit, non viſibiliter; ergo inuiſibiliter. Cujus argumenti fundamentum quam ſit fragile, nemo eſt tam obeſæ naris, qui non capiat, cum dubia per magis dubia, & quæ in quæſtione ſunt, probari nullo modo poſſint. Dubium autem eſt quinimo omnino falſum Eccleſiam Lutheranam ab Apoſtolis ad hoc

uſq;

usq; tempus durauisse. Potuisse vero fieri, probare satagunt variis ex Scriptura adductis argumentis proximo paragrapho producendis.

In hac ergo quæstione difficultatis & Ecclesiæ totius cardo vertitur, nam si Catholici probemus (quod facturos nos cum Dei gratia confidimus) Ecclesiam veram, quæcunq; illa sit, non solum semper visibilem fuisse, sed neq; inuisibilem unquam esse posse, Ecclesia Lutherana ruit, quam ipsorummet confessione cōstat plusquam trecentis supra mille annis inuisibilem aut penitus inter mortuam fuisse. Si vero probent ipsi, veram Ecclesiam fuisse aliquando, vel potuisse esse inuisibilem (quod nunquam probare poterunt) nondum tamen euicerunt; insuper enim adhuc supererit probandum, id Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ, seu (ut ipsi ajunt) suæ accidisse: quod etiam hactenus â nullo vidimus probatum.

§ 2.

Proponitur & Confirmatur sententia Catholicorum.

NUnc autem quod vera Ecclesia CHristi semper visibilis fuerit, imo necessario, suppositis claris promissionibꝰ Christi, semper visibilis esse debeat dupliciter conabimur probare, scripturis ac Ratione.

1. Isa: 2. v. 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Ergo Ecclesia (quam omnium Doctorum consensu mons ille designat) semper debet esse visibilis, ut omni tempore gentes omnes ad eum confluere possint.
2. Isa: 61. *Fædus perpetuum feriam eis, & scient in gentibus semen eorum & germen eorum in medio populorum; omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.* Et ne quis dubitare posset hæc de Ecclesia dici, totum hoc caput Prophetæ, ipsemet CHRistus Ecclesiæ applicat. Luc. 4. v. 18. Quî clarius exprimi potest Ecclesiæ perpetua visibilitas? pactum cum Ecclesiæ membris *fædus perpetuum*, & ne dici possit cum primitiua tantum Ecclesia id factum, jamq; promissionem esse completam, *scient in gentibus semen eorum, & germen* (hoc est tota posteritas) *eorum in medio populorum,* utiq; visibiliter, quia *omnes qui viderint illos cognoscent eos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus*, veræ videlicet Ecclesiæ membra, semper visibilia atq; conspicua.
3. Ecclesia rebus magnis ac semper visibilibus comparatur: Dan: 2. v. 36. *Monti magno qui impleuit uniuersam terram.*

Psal:

Psal. 71. *Regno diffuso à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos terræ.* Psal. 88. v. 30. *Throno sempiterno.* v. 37. ipsi *Soli* qui semper est visibilis, & *Luna* semper plenæ. Matth. 13. v. 24. *Area spatiosissima.* ibid: v. 47. *Sagena capacissima.* Matth. 22. v. 1. 2. *Conuiuio instructissimo:* quibus omnibus euidenter demonstratur Ecclesiæ perpetua visibilitas; nam cum semper & omni tempore similis esse debeat iis rebus, quibus in sacris literis â Spiritu Divino, & ab ipso CHristo, comparatur; eæq; planè sint visibiles, sequitur Ecclesiam quoq; omni tempore visibilem debere esse.

2. Veritatem hanc rationibus probamus.

1. Ab ortu & progressu Ecclesiæ, ejus visibilitas perpetua & continua demonstrari potest. Nam vera CHRisti Ecclesia in Discipulis & Apostolis Christi tota visibilis erat, & ita quidem, ut Spiritus SS. visibiliter super illos in die Pentecostes descenderit: quibus deinde visibiliter die unâ circiter ter mille homines additi sunt, per fidei confessionem & baptisma. *Act: 1. 2. 3. 4.* ac deinceps consequenter, & illi omnes & soli semper de Ecclesia CHRisti sunt habitu, qui illis se adjunxerunt per baptismum & fidei confessionem. Cum autem manifeste demonstremus, nullo sæ-

culo non fuiſse tali modo, per baptiſmum videlicet & fidei confeſsionem plurimos viſibiliter Eccleſiæ adjunctos, idq; per continuam Sæculorum ſucceſsionem poſteriori Catholicorum Cætu prioribus ſeſe viſibiliter conjungente, & his rurſum alijs usq; ad Apoſtolorum tempora, manifeſte ſequitur, Eccleſiam, quæ ex membris illis ſociatis conſtat, continuo viſibilem fuiſse. aut Sæculum aliquod aſsignent Aduerſarij quo non aliqui Apoſtolis, vel Apoſtolorum Succeſsoribus per fidem & baptiſma viſibiliter ſeſe conjunxerint.

2. Omnis ſocietas humana, quæ in externis ſignis & conſpicuis conſiſtit, ſine quibus ne quidem ab ipſis ſocijs agnoſci poteſt, ſemper eſt viſibilis, alias deſineret eſſe ſocietas. talis autem ſocietas eſt Eccleſia; ergò ſemper debet eſſe viſibilis.

3. Obligamur omnes ſub periculo damnationis æternæ, veræ Eccleſiæ nos adjungere, & in illa perſeuerare, teſte Cypriano & Hieronymo Ep: 1. ad Damaſum & Auguſt: de bapt: l. 1. at hoc fieri non poteſt ſi eſt inuiſibilis Eccleſia: nam quomodo gentes, quo ſe conferre debeant, intelligent, aut vnde veritatis lumen haurient? penitus autem eſt ineptum quod hic opponit Brochmannus. c. 2. de Eccl: q: 4: *tam diu non defuturum unde certi reddantur*

fideles

fideles pariter ac infideles cui Societati se adjungent, quam diu monumentorum sacrorum Corpus manserit intactum & illibatum: hoc est, quamdiu habuerint scripturas. Nam unde dubius vel infidelis quispiam scire poterit, ubi & quænam vera sit scriptura, si omnes lateant, â quibus hoc possit discere quomodo scripturam scient esse normam regulamq; rerum credendarum & non fabulosam historiam, vel prophani alicujus legislatoris commenta, nisi ab Ecclesia? Si dicant id â proprio Spiritu intelligi; unde constat illum esse Spiritum veritatis, & non potius fallaciæ?

Deniq; si scripturam inueniat, ejusq; veram interpretationem, jam veram Ecclesiam inuênit, cum scriptura ejusq; vera interpretatio non nisi in vera Ecclesia inueniri posſit; & tunc quidem fateri visibilem Ecclesiam cogentur.

4. Ab absurdis quæ Ecclesiæ inuisibilitatem consequuntur, nam si vera CHRisti Ecclesia (ut Lutherani fateri necesſario coguntur) per 1300 annos, vel latuiſset, vel extincta penitus fuiſset; ergo tot Milleni SS: Patres & Ecclesiæ Doctores, qui toto illo intervallo temporis vixerunt, extra veram Ecclesiam vixerunt. quo quid absurdius excogitari poteſt? Sequela tamen manifesta est. Cum eorum cœtus

ſemper fuerit viſibilis & conſpicuus, per quem Eccleſia inuiſibilis non poterat conſtitui. quia per viſibilia membra, non poteſt conſtitui corpus inuiſibile.

5. Si aliquando Eccleſia fuiſset vel eſſe poſſet inuiſibilis, falſæ forent omnes illæ CHRiſti promiſsiones certiſsimæ, de regno ampliſsimo, eoq; perpetuo & omnibus conſpicuo. De hoſtibus omnibus huic continuo ſubjiciendis, & aliæ ad initium hujus paragraphi allatæ.

6. Deniq; quod â CHriſti & Apoſtolorum temporibus, huc usq; viſibilis ſemperfuerit Eccleſia, ſic clare demonſtramus: Vera Eccleſia tempore CHRiſti & Apoſtolorum, imo poſt illos per trecentos ac plures annos fuit conſpicua & viſibilis (ut ipſi etiam fatentur Lutherani) ſed ſicut trecentis illis vel pluribus annis ſemper viri ſancti, & ejusdem fidei, cum eadem Sacramentorum Communione fuerunt, ratione quorum Eccleſia tunc dicebatur & erat viſibilis; Sic ſæculis ſequentibus. 4. 5. 6. 7. usq; ad hoc modernum decimum ſextum ſemper ac continuo viri ſancti conſpicui ac viſibiles fuerunt, ejusdem doctrinæ, fidei, ac Sacramentorum, ratione quorum non minus poſterioribus iſtis ſæculis quam primis, Eccleſia dici ſemper & eſſe debuit viſibilis. Quod autem

tales omnibus sæculis continuo fuerint, nos Catholici demonstramus euidenter per Catalogos SS: Patrum, qui continenter singulis sæculis vixerunt, quos collegit P. Jacobus Gualterius in tabula Geographica, & optimè Jodocus Coccius, ut postea ostendetur.

Ex quibus hujus Controversiæ veritas manifeste liquet, videlicet 1. Romanam Catholicam Ecclesiam semper visibilem fuisse, eamq; ideo solam esse veram. 2. Lutheranam Ecclesiam, quam ipsi ajunt 1000. & pluribus annis latuisse, vel emortuam fuisse non esse veram Ecclesiam, cum vera Ecclesia semper visibilis esse debeat.

§ 3.

Proponuntur Argumenta Lutheranorum pro Ecclesiæ inuisibilitate.

ADversariorum argumenta quibus probare satagunt, veram Ecclesiam aliquando inuisibilem fuisse, partim ac exemplis partim ex scriptura desumuntur.

1. ab Exemplo. 3. Reg: 22. v. 5. 6. Vbi de Michæa Propheta Domini dicit Achab: *Remansit vir unus, per quem possumus consulere Dominum.* Ergo Ecclesia in eo statu tunc erat posita, ut esset inuisibilis.

2. Adducunt Ecclesiæ statum tempore Eliæ. 3. Reg: 19. v. 20. ubi sic: *derelique-*

runt pactum tuum filij Israel &c: derelictus sum ego solus.

3. Probant â statu Ecclesiæ CHRisto jam in carne comparante, illi enim aduersabantur omnes, doctrinam ejus proscindebant, ipsum tanquam â Diabolo possessum ac seditiosum condemnabant. Vno ore populus acclamabat morituro: *Crucifige.* ergo tunc errarunt omnes, & vera Ecclesia fuit inuisibilis, quia tunc temporis non erat publicus aliquis & numerosus cœtus, qui Deum recte coleret.

Addit hæc scripturarum testimonia Brochmannus de Ecclesia c. 1. Sect: 4.

1. Matth: 24. v. 24. *Surgent multi Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri poßit, etiam electi.*

2. Luc. 16. v. 16. *Cum venerit filius hominis, putas inueniat fidem in terris?*

3. 2. Thess: 2. v. 3. *Non veniet magna dies Domini nisi venerit prius defectio.*

Et hæc sunt omnia argumenta è sacris literis prompta, quibus innixus Brochmannus & Lutherani sequaces, inuisibilitatem Ecclesiæ probant, quorum debilitatem jam ostendemus.

§ 4.

Refelluntur Aduersariorum argumenta.

Nunc

NUnc hæc breviter eodem Ordine ſoluamus.

Reſpondeo itaq; 1. in commune, exempla illa omnia, & confirmationes alias ex veteri teſtamento adductas, contra nos ne hilum quidem facere. Nam licet daremus Eccleſiam Veterem defeciſſe, & conſequenter inuiſibilem fuiſſe (quod tamen plane falſum eſſe oſtendemus infra) non ideo tamen ſequeretur, id etiam Eccleſiæ novæ contingere potuiſſe. Antiquæ enim nulla de perpetuitate facta eſt promiſsio. factæ autem plurimæ ſunt novæ. quibus ſuppoſitis ita neceſsario viſibilis eſſe debet; ſecus autem illa, quæ omni promiſsione caret.

Ne tamen aliquid Aduerſarij euiciſſe videantur: etiam demonſtrabimus, eorum argumenta, quibus Eccleſiæ veteris defectionem, ac inviſibilitatem probant, ruinoſa & ſine fundamento eſſe.

Itaq; ad 1. &. 2. nam eadem de utroq; ratio eſt, reſpondeo. Ex eo quod inter Prophetas totus Michæas verus eſſet, & Elias omnes Prophetas occiſos, ſeq; ſolum derelictum eſſe, quereretur, non ſequitur in Iſrael Eccleſiam totam defeciſse. Multos enim veros DEI cultores ſuperfuiſſe, patet inde, quod paulò ante Jeſabel plurimos occiderit Prophetas, ex quibus

bus adhuc superstites erant Elias, Elizæus, Michæas, & Abdias dispensator ipsius Achab, alii & 100. Prophetæ, quos absconderat, Abdias. Vt patet 3. Reg. 16. aliiq; insuper Prophetæ, de quibus mentio fit, 3. Reg. 20. v. 22. 28. 35. quod ergo dicit Elias: *Et ego relictus sum solus:* intellige: solus qui publice & intrepidè oppono me Baal & Jesabel. Ex Laicis vero multo plures in Israel fuisse ex Dei verbo patet, *reliqui*, inquit, *mihi 7000. millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.*

2. Licet Ecclesia Dei in Israel seu Samaria, eam persequente Jesabele, paucos ibidem cultores, & eos latentes quidem numeraret; tunc tamen eadem Ecclesia spectabilis & florens in Juda triumphabat, ubi ab Asa & Josaphat Regibus piis & fidelibus, publicè templo, sacrificiis, ac cæremoniis DEus verus colebatur. Nec obstat exceptio Brochmanni, qui duos illos Reges Achab & Eliæ Coetaneos, quasi improbos describereconatur, sed nec Ecclesiam sub illis in Juda floruisse; pluris enim mihi est testimonium scripturæ, quæ magnificè de utroq; loquitur. 3. Reg. 22. v. 43. *Et ambulavit* (Josaphat) *in omni via Asa patris sui, & non declinavit ex ea, fecitq; quod rectum erat in conspectu Domini.* ergo uterq; probus & fidelis erat, faciendo quod

rectum

rectum erat in conspectu Domini. quomodo igitur dici potest, Ecclesiam uniuersam latuisse inuisibilem, quæ in regno integro manifesta & omnibus conspicua florebat? nihil ergo per hæc exempla ab Aduersarijs probatum est.

Quod attinet ad Ecclesiæ statum CHRistum jam in carne comparente. Respondeo. Licet multos doctrinæ suæ CHRistus habuerit aduersantes, certum tamen est ex tota historia Evangelica plurimos illum habuisse sibi adhærentes. nunquid enim in illum credebant innumeri ab illo in corpore curati & sanati? nunquid tot millia cum in desertum prosecuta doctrinam ejus fuerant amplexa? nunquid innumeris miraculis commotum vulgus universum ei adhærebat? quis credat omnes omninò Jerosolymam confluxisse, fidem excussisse, & in mortem ejus conspirasse? Deinde nunquid infiniti adhuc per Judæam & mundum vniuersum Judæi sparsi esse poterant, qui CHRisti aduentum inuincibiliter ignorantes, in Messiam venturum crederent, & Ecclesiam veterem continuarent, cum Ecclesia nova proprie post aduentum Spiritus Sancti inchoata fuerit? nemo igitur dubitare potest, quin Ecclesia tunc temporis fuerit amplissima, nec solius Judeæ terminis comprehensa,

hensa, sed per mundum Vniversum latissimè diffusa.

2. Locus Matth. 24. v. 24. per Pseudoprophetas multos in errorem inducendos, & si fieri posset etiam electos, nihil probat; nam magnam solum futuram persecutionem ostendit, non autem omnes electos in errorem inducendos, hoc enim fieri non posse, ex ipsa scriptura colligitur, qui ideo addit, *si fieri posset*, quod etiam ipse Christus affirmat, dum dicit Matth. 24. v. 11. *Multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos.* ergo non omnes. Et Apost. 1. Timoth. 4. *In novissimis diebus descifcent multi à fide.* Ex quibus verbis manifestè colligitur, innumeros adhuc superfuturos, per quos Ecclesia vera constituatur.

3. Ad illud Luc. 16. v. 6. respondeo, vel loqui filium hominis de primo suo aduétu, vel de secundo. Si de primo, valet responsio data de statu Ecclesiæ CHRisto in carne comparante, & illud Act. 2. & 6. *Conveniebant viri religiosi ex omni natione.* ergo multi habebant fidem. Si de secundo, valet proximè superior solutio. Cui addo non agere hic CHristum de fide simpliciter, sed de fide quadam eximia, quæ reperitur in paucis.

3. Respondeo per ultimam illam defectionem seu discessionem, intelligi rebelli-

bellionem, quâ pleræq; & passim omnes gentes deficient ab Imperio Romano, ut explicant Ambros: Primasius, & Sedulius. Aut certè Ecclesias particulares intellige, non autem generatim omnes. Nam cum *tantum in novißimis diebus descisc ent quidam à fide*, multæ particulares adhuc superant Ecclesiæ, ratione quarum adhuc dici poterit Ecclesia vigere. Reliqua quæ ab Aduersarijs adferuntur, in eundem sensum facillimè enodantur.

CAPVT. II.

An vera visibilis Ecclesia deficere vel errare possit.

AD majorem quæstionis hujus Claritatem præmittendum est, non institui â nobis quæstionem, an Ecclesia quæpiam particularis deficere vel errare posit: hoc enim posse fieri, jamq; sæpius esse factum, nobiscum Aduersarijs fatentur. Sed quæritur an tota visibilis Ecclesia deficere, vel in veræ fidei dogmatibus errare posit?

§. I.

Proponitur & exponitur sententia Lutheranorum affirmatiua.

ERasmus Brochmannus de Eccl. c. 1. Sect. 4. n. 5. sic ait: *quanquam universa Ecclesia nunquam erret errorem fundamen-*

damentum fidei convellentem: fieri tamen potest, ut error etiam fundamentum subvertens ita invalescat, ut non detur ullus cœtus publicus, saltem numerosus & natus, qui ab illo sit intactus & immunis. Sic ille conformiter suis principijs, superius. c. 1.

1. allatis. Cum enim (ut ibidem ostendimus) cum suis asseclis doceat, veram visibilem Ecclesiam, posse desinere esse visibilem, & planè inuisibilem fieri; consequenter fateri cogitur in totam visibilem Ecclesiam irrepere posse substantialem errorem, â quo tantum sint immunes perpauci latentes, ac soli DEo cogniti, qui veram quidem Ecclesiam, sed jam inuisibilem constituant. Si quispiam vero doctrinæ hujus rationem ab illis requirat, modò veritati consulere voluerint, fateri cogentur, id dicere sese, ut ostendant potuisse non fieri tantum, sed & modo factum esse, ut in Ecclesiam veram, quæ Apostolorum temporibus, & ab his etiam sæculis aliquot floruit, irrepserint errores quàm plurimi, in quos Ecclesia tota visibilis lapsa defecit; paucis tamen exceptis & soli DEo cognitis, qui Ecclesiam, sed inuisibilem constituebant. atq; illam sic inuisibilem, occultam & sine errore mansisse, donec Martinus Lutherus instinctu diuino (si superis placet) primus

illam proferret in lucem. Et hæc syncera Lutheranorum doctrina est, ad quam illos necessitas compellit. Cum Catholicis quidem per illam in eo conueniunt, quod affirment uniuersim loquendo non posse deficere vel errare Ecclesiam, quod idem fatentur Catholici, sed alio modo: Lutherani enim totam Ecclesiam ita visibilem dicunt, ut si per impossibile, visibilis Ecclesia tota deficeret (quod affirmant fieri posse) non tamen ideo Ecclesia tota deficeret, sed quæ visibilis erat, inuisibilis fieret. Hoc autem factum nunquam fuisse, satis ostendimus, cum cap: præcedenti euicimus, nunquam fieri potuisse. Aduersariorum argumenta sunt eadem cum illis, quibus supra probare conati sunt, visibilem Ecclesiam posse inuisibilem fieri: quæ quia dissoluimus ibi, repetenda non sunt, ea præcipuè quæ Brochmannus ex veteri testamento producit, nam licet ille euinceret (quod non facit) synagogam errasse, tamen inde non posset concludi, veram Ecclesiam CHRisti posse errare, huic enim, non illi CHRistus immunitatem ab errore promisit. ut dictum supra.

§ 2.

Exponitur & stabilitur sententia Catholicorum.

C Omni-

OMnium Catholicorum ſententia fide tenenda eſt, uniuerſam CHriſti Viſibilem Eccleſiam non poſſe deficere vel errare in aliquo puncto vel articulo fidei. aut clarius; CHRiſtum qui Eccleſiam ſuam gubernat permiſſurum non eſſe, ut ipſa Eccleſia tota, quatenus toto Orbe diffuſa eſt, publicè profiteatur aliquod dogma, quod contra fidem aut Euangelium ſit.

Hanc doctrinam certiſſimam infallibilibus CHRiſti promiſſis niti contendimus.

1. Matth: 16. v. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.*

2. *Joan: 16. v. 13. Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.*

3. *Matth: 28. v. 20. Ecce ego vobiſcum ſum, usq; ad conſummationem ſæculi.*

4. Joan: 17. v. 17. Precatus eſt pro Eccleſia CHRiſtus, ne unquam deficiat, & quis dubitare volet, quin CHriſtus ſemper exaudiatur à patre?

5. Joan: 14. v. 18. *Non relinquam vos Orphanos.*

6. Iſa: 54. v. 4. ad Eccleſiam DEus. *Noli timere quia non confunderis, neq; erubeſces.* Confunderetur autem & erubeſceret ſi erraret in fide.

Et

Et hæ promiſsiones certiſsimæ CHRiſti, qui mentiri non poteſt. Addo his alia teſtimonia clara ſcripturæ.

1. Eccleſia uniuerſa pro vt continet omnes fidelis, *eſt Columna & firmamentum veritatis.* 1. Timoth: 3. v. 15.

2. Eccleſia gubernatur à Chriſto tanquam â capite ſuo. Ephes: 1. v. 22. 23. *ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius;* ergo ſemper erit Eccleſia extra omne errandi periculum, quod ſemper â capite regitur, quod nunquam poteſt errare.

3. Obligantur fideles ſub anathematis pæna in omnibus Eccleſiæ credere. Matth: 18. v. 17. *quod ſi Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Et Concilia omnia dicunt anathema, non conſentientibus Eccleſiæ decretis. at ſumma foret iniquitas ſub tam grauibus pænis obligari ad credendum rebus incertis & interdum etiam falſis.

4. CHRiſtus Eccleſiam Viſibilem in veritate ſibi aſſimilat, & eandem ei fidem adhiberi cupit, quam ſibi, nam Luc: 10. v. 16. Allocutus Apoſtolos, qui tanquam paſtores totam repræſentabant Eccleſiam. *qui vos audit*, inquit, *me audit.* Et Matth: 23. v. 2. hortatus cæteros omnes ad obtemperandum Eccleſiæ. *Ergo quæcunque*,

inquit, *dixerint vobis, seruate & facite.*

His igitur abunde probatum est, Ecclesiam errare non posse; quod autem non possit deficere, constat ex illis, quæ superiori capite, pro Ecclesiæ visibilitate perpetua contra Lutheranos attulimus.

§. 3.

Dissoluuntur objectiones Aduersariorum contra sententiam nostram.

AD omnes CHristi promissiones in sententiæ nostræ confirmationem allatas, respondent Lutherani dupliciter.

1. Quidem affirmant, eas nunquam non fuisse verissimas, & absolutè semper completas. non quidem in visibili Ecclesia. quæ post pauca sæcula ab exortu suo desiit esse, sed in inuisibili, & hac enim CHRistus perpetuò mansit, hanc nunquam deseruit, in hac Spiritum veritatis seruauit, hujus semper exstitit caput.

Verum cum Ecclesiam euicerimus supra non posse inuisibilem fieri, tota hæc responsio concidit. Et verò, quomodo dici posset hanc Ecclesiam ædificatam supra petram, & esse firmissimam, aduersus quam non præualebunt inferi portæ, si statim ab exortu suo labatur, & penitus er-

roribus

roribus immersa potestati inferni succumbat, dejectaq; & prostrata 1300. annis permaneat? Quomodo usq; ad consumationem sæculi posset in illa dici manere veritas diuina, quæ illam per 1300. annos innumeris erroribus inuolutam deseruit? Non deseruit inquies, in inuisibili Ecclesia mansit. Sed male assumitur, quod probari non potest. tanto tempore Ecclesiam inuisibilem fuisse. non dico, non euincitur, sed etiam neq; probabiliter suadetur, ut supra monstrauimus.

2. Asserunt Aduersarii pleriq; promissiones istas omnes non absolutas sed conditionatas tantum fuisse, ita Broch: de Eccl: c. 2. q. 5. dub: 1. videlicet Ecclesiam quamdiu gubernatur â capite Christo, tamdiu extra omne errandi periculum esse. Item promisisse DEum conseruaturum se fideles in fide, ea conditione si officio suo non defuerint ipsi fideles. Deniq; quoties â Catholicis urgentur promisiones de perpetua gratia, qua Christus se Ecclesiæ adfuturum promittit, toties addendam esse limitationem traditam â CHristo: Joann: 6. v. 31. *Si in sermone meo manseritis, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem.*

Hæc illi. verum istiusmodi effugia fundamento destituuntur. non enim ad-

denda eſt conditio, vbi eam CHRiſtus non addidit. Cum autem promiſsionibus citatis nullam limitationem addiderit CHriſtus; cur eas Adverſarii limitare præſumunt? diſquiramus per aliquas. *Portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam, & ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſq; ad conſuummationem ſæculi.* Si ſtatim inferi portæ præualeant, & poteſtati diabolicæ ſuccumbat, Eccleſia, aut, non dico mille annis, ſed uno tantum die ſuam CHRiſtus Eccleſiam deſerat, nunquid tunc etiam CHriſtum poſt tam expreſſas promiſſiones veracitas deſeret?

Sed neq; limitatio quam Aduerſarii â CHriſto traditam ferunt Joanni 8. v. 31. quidquam ad rem facit. Dum enim ibidem CHriſtus dixit: *Si in ſermone meo manſeritis, verè Diſcipuli mei eritis &c.* Manifeſtum eſt illum non alloqui Eccleſiam uniuerſam, ſed particulares quoſdam & præſentes ibidem Judæos, qui jam ſibi credebant & per fidem ab iis qui nondum credebant jam erant diſcreti. ut conſtat euidenter ex verbis ejusdem verſiculi: *Dicebat ergo JEſus ad eos, qui crediderunt ei Judæos.* Debent ergo locum aliquem ex ſcripturis Aduerſarii producere, qui ad Eccleſiam uniuerſam ſpectet, non ad perſonas aut Eccleſias particulares, quibus illæ

illæ CHristi promisiones absolutæ non sunt factæ; ideoq; ab errore non immunes esse non inniti damus.

Deinde apud omnes in confesso est, promissiones illas divinas merè gratuitas esse; si ergo CHRistus promittat se adfuturum Ecclesiæ semper, si Ecclesia semper fidelis sit, non erit jam gratuita promissio, sed præsentia CHRisti merces erit fidelitatis.

Deniq; quamdiu CHRistus tanquam caput adest Ecclesiæ, impossibile est Ecclesiam esse infidelem, quia corpus â capite regitur, ergo cum CHRistus se semper adfuturum Ecclesiæ spondeat, spondet etiam Ecclesiam semper fidelem futuram, ut ferè identica propositio sit: CHRistum regere Ecclesiam, & Ecclesiam esse fidelem. sicut idem est, animam in corpore esse, & hominem vivere. Quæro enim ex Aduersariis, quid prius sit: Ecclesiam deseri â CHRisto, an CHRistum ab Ecclesia deseri? si primum; manifestè falsæ sunt promissiones CHristi, quacunq; conditione apposità, quia CHRistus Ecclesiam deseerit, licet ea non desinat esse fidelis. Si posterius; implicat contradictionem, nam impossibile est Ecclesiam fieri infidelem, vel errare, quamdiu eam CHristus, tanquam caput quod non potest errare, gubernat.

bernat. Ex quibus euidenter liquet, promiſſiones omnes ſupra citatas abſolutas eſse, neq; conditionem ullam admittere.

Ad locum Apoſtoli 1. Timoth: 3. reſpondet loco citato Brochman: Eccleſiam veram eſſe quidem *columnam & firmamentum veritatis*, ſed tantum quamdiu manet Eccleſia vera. ridiculum, quis enim affirmat Eccleſiam falſam eſſe *columnam & firmamentum veritatis?* ſed ſolum inferimus ideo Eccleſiam veram errare non poſſe, quia eſt *columna & firmamentum veritatis*, quæ errare non poteſt. adeo ut ſi per impoſſibile ex Eccleſia tolleretur hæc veritas, Eccleſia vera non eſſet, idem enim omnino eſt, Eccleſiam eſſe *columnam & firmamentum veritatis*, & eſſe Eccleſiam veram. Nihil ergo dicit Brochmannus, quam Eccleſiam eſſe veram quamdiu Eccleſia eſt vera, quod eſt abſurdum reſponſum.

Quod autem addit *per columnam & firmamentum veritatis*, debere intelligi, quod veritatem cæleſtem promulget, & monumētorum ſacrorum depoſitum conſeruet, non minus abſurdum eſt. imprimis enim hac ratione columnæ veritatis appellari deberent officinæ librariæ, quæ diligentiſſimè ſcripturas omnes cuſtodiunt. adde quod ſi eccleſia fuerit etiam ve-

ritatis

ritatis columna, priusquam esset ulla scriptura, ergo Ecclesia dici non potest tantùm custos scripturæ.

Locum Matth. 18. dupliciter explicat Brochmannus citatus, videlicet

1. Audiendam Ecclesiam esse, veram non falsam, verum ineptè. de qua enim CHRistus hic agit, nunquid de vera? quis enim dixerit falsam Ecclesiam audiendam, nisi qui dixerit, audiendam esse Lutheranam?

2. Asserit hoc loco agi de correptione fraterna, non articulis fidei. sed contra. generalis propositio est, atq; ideo nullam Aduersarii limitationem admittit; ergo dici non potest, hic agi tantum de moribus. præsertim cum mores non tam ad Ecclesiam, quam ad aliud tribunal pertineant. Præterea demus (quod falsum est) hic de fraterna correptione & moribus agi. tum sic. Si ipsa veritas CHRistus talem ut Ethnicum & publicanum habendum pronuntiat, qui in rebus leuioris momenti & propriè non spectantibus ad tribunal Ecclesiæ, eam audire noluerit; quanto potiori jure pronuntiandum hoc censeret in illos, qui in articulis fidei Ecclesiam, hoc est, proprium Judicem suum audire noluerint? atq; ita Brochmannus ipse se jugulat.

Ad illud quod attulimus parag: 2. Christum esse caput Ecclesiæ, & ideo eam errare non posse. respondet verum hoc esse tamdiu, quamdiu CHRistus gubernat Ecclesiam, tanquam ejus vnicum caput, illam tamen posse deficere, & in errores prolabi; juxta illud Isa: 1. v. 21. *quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis?* Verùm supra monstrauimus, non posse Christum suam, non gubernare Ecclesiam, atq; ideo eam errare non posse. Quod ad locum Isa: & alias multas hic â Brochmanno citatas scripturas, nihil omnino per illas probari potest, quam particulares Ecclesias errare, atq; deficere posse, quod non inuiti concedimus. Vnum loco Coronidis addo. Cum Aduersarii asserant, veram visibilem Ecclesiam errare atq; deficere posse, imo defecisse de facto ante 1300. circiter annos, adeo sensim ac impercibiliter, ut ab homine non potuerit ullo modo notari. Hanc doctrinam sic in illos retorqueo. Ergo Ecclesia Lutherana etiam errare potest, neq; ipsi hoc negant. quod si ergo nunc errauerit, & ipsi non perceperint? nam sensim & impercibiliter potest deficere (sicut Catholicam deficisse affirmant) & ita ipsis inscijs deficere potuit. Nulli igitur Lutherani de Ecclesia sua possunt esse certi.

Nec

Nec obſtant, quæ nonnulli dicunt: Eccleſiam ſuam errare non poſſe neq; deficere, quamdiu ſequitur verbum Dei. nihil enim faciunt hæc verba. nam pontificia Eccleſia in ſuo exortu etiam verbum Dei ſecuta eſt, & tamen, ut ipſi affirmant, ſenſim ac occulte defecit. tum ſic argumentum ſuperius repetam: quod Eccleſiæ Pontificiæ contigit idem Lutheranæ contingere poteſt; ergo ſicut pontificia juxta illos; ita etiam Lutherana verbum DEI ſenſim ac occultè deſerere poteſt. quid ſi ergo jam deſeruerit, & factum ſit, quod non aduertentibus aut notantibus fieri poteſt? Contrarium demonſtrare non poſſunt. & ſic ſemper dubij manebunt & anxij; niſi doceant Eccleſiam Viſibilem errare non poſſe.

Deinde unde conſtabit utra Eccleſia, noſtrane an illorum ſequatur verbum Dei? nos affirmamus de noſtra, illi de ſua; ſi dirimenda lis eſt, Judicem infallibilem aſſignare neceſſe eſt, qui ſententiam ferat. Nos aſſignamus Eccleſiam tanquam columnam & firmamentum veritatis, & quæ errare non poteſt. Illi ſcripturam quæ obſcura eſt, Judicem faciunt, cujus ſcripturæ utpotè obſcuræ, iterum interpres quærendus eſt, & ita dabitur *in infinitum proceſſus*, *niſi ad Eccleſiam veniant.*

PARS

PARS II.

DE NOTIS VERÆ ECCLESIÆ.

CAPUT I.

Quænam sint Veræ Ecclesiæ Notæ?

§ I.

Exponuntur & refutantur notæ Lutheranæ Ecclesiæ.

NOtas aliquas dari seu signa, unde vera dignoscatur Ecclesia, cum Catholicis sectarii omnes fatentur. Sed in illis assignandis dissentiunt. nam pauca nonnulli, plurimi multa constituunt & varia varii. Sed eo securiora sunt illa, quæ majorem credibilitatis euidentiam continent, & rem in qua inueniuntur clarius demonstrant. Non tamen singulorum signorum ea debet vis esse, ut unumquodq; per se solum ad Ecclesiæ veræ probationem certam sufficiat, sed ita, ut omnia sic soli rei signatæ conueniant, ut alteri præterea nulli.

Nunc autem quasnam Ecclesiæ suæ notas Lutherani constituant, videamus.

Broch-

Brochmannus de Eccl: c. 1. 5. 6. demonstrare conatur Ecclesiis Lutheranis jure justo tribui Elogium veræ Ecclesiæ, quod colligit ex duabus essentialibus notis, tanquam infallibilibus signis: sunt autem istæ: *Syncera verbi diuini prædicatio, &* 2. *legitima Sacramentorum administratio.* Et has penes solam Lutheram Ecclesiam esse contendit. addit his notas alias secundarias septem, de quibus postea agendum. Nunc lubet duas illas notas essentiales producere in medium, & simul inquirere, an per istas in Lumen veritatis Lutheranæ incurrere possimus.

1. Synceram verbi divini prædicationem, qualem se habere Lutherani dicunt, non esse veram Ecclesiæ veræ notam, sic probamus:

1. Certum apud omnes est, notas sic debere esse proprias illi rei cujus sunt notæ, ut nulli alteri conuenire possint; Si enim alteri conueniant, non jam unius rei, sed diuersarum notæ sunt. Vt si certum hominem nulli ante notum designarem, cognoscendum per eam notam, quod duos oculos vel nasum habeat, inquirenti risum simul & stomachum mouerem, nam habere nasum & duos oculos omnibus commune est.

Certum præterea est, non posse me rem quampiam ignotam per eam notam

designa-

designare; quæ licet secundum rem sit ei propria, non est tamen propria judicio aliorum, cum multi alii eam sibi vendicare soleant. Vt si velim demonstrare, ibi tantum in vna domo bonum vendi vinum vbi hedera exposita est, licet verum sit, cum tamen hederam exponant multi alii, vnum illud hospitium in quo bonum vinum est, discernere non possum. tum sic: Syncera veritatis prædicatio est sectis omnibus communissima, si non â parte rei, saltem opinione ipsarum, quænam enim vel religio nunc est, vel aliquando fuit, quæ non affirmaret, penes se veram esse prædicationem veritatis? & ita fit vt omnes hanc tanquam hederam exponant, licet apud vnam tantum bonum vinum sit, hoc est, ipsa veritas. Non potest ergo ex hac nota discerni veritas prædicationis Lutheranæ, quam omnes sibi communem asserunt esse, præsertim cum non sit una fide dignior quam altera.

2. Vt aliquid rei certæ, certa nota sit, debet ea nota notior esse, quam ipsa res notata, sic enim hæc nota, deberet aliam habere notam, & sic in infinitum. aut certe res notata maneret penitus ignota. Vt si quispiam ibi bonum vinum vendi diceret, ubi Hungaricum propinatur, sciri non poterit, ubi bonum vinum sit, cum

nesci-

nesciatur quis hospitum Hungaricum propinet. tum sic: Cum dicant Lutherani, non solum prædicationem exteriorem veritatis, sed etiam ejusdem interiorem receptionem Ecclesiæ veræ notam esse, quis scire poterit, ubi & â quibus verbum DEi internè recipiatur? æquè nota igitur est Ecclesia, quin imo notior, quam quæ sit veræ verbi DEi prædicatio; hanc enim ab Ecclesia discere debemus. quod hac ratione probo: vera prædicatio est vera interpretatio scripturæ diuinæ; quænam autem vera sit scriptura, scire nullo modo possumus, nisi ab Ecclesia, vt testatur Augustinus; & ex Aduersariis etiam Brentius in Confess: Witenberg: c. de Scriptura, ubi fatetur: *Ecclesiam habere jus testificandi de Scriptura sacra. & ipsemet Brochmannus* c. 2. q. 2. de Scriptura ubi sic ait: *Libros monumentis biblicis comprehensos pro libris verè diuinis â Christianis semper habitos esse: id Ecclesiæ Christianæ testimonio nobis innotescere ultro damus.* adde quod Ecclesia multis annis ante scripturam fuerit. Vnde clare patet, Ecclesiam notiorem esse, quam sit Scriptura vera, quæ ab Ecclesia monstrari debet; & consequenter â priori notius, quæ sit vera Ecclesia, quam quæ sit vera Scripturæ interpretatio & prædicatio. ergo Verbi

diuini

diuini prædicatio non poteſt eſſe Eccleſiæ veræ nota.

2. Eccleſiæ Lutheranæ nota, eſt legitimus ſacramentorum uſus. Et hæc nota ijsdem ferè rationibus deletur, quibus ſuperior. Legitimum enim ſacramentorum uſum omnes ſibi vendicant. Etenim Catholicis omiſſis, Caluiniſtæ ideo potiſſimum â cæteris Lutheranis ſunt diuiſi, quod utriq; ſe verum Euchariſtiæ ſacramentum habere putent. Anabaptiſtæ vero ſeparantur ab utrisq;, quod penes ſe ſolos verum baptiſmum opinentur eſſe.

Accedit his quod etiam de priori ſigno dictum eſt, legitimum ſacramentorum uſum minus eſſe notum, quam ſit Eccleſia; Aduerſarijs enim etiam fatentibus ille legitimus ſacramentorum uſus eſt, qui conformis eſt ſcripturis; at ipſæ ſcripturæ habentur ab Eccleſia. ex his legitimus Sacramentorum uſus; ergo Eccleſia notior eſt quam uſus iſte. Ergo uſus iſte Eccleſiæ veræ ſignum eſſe nequit. Et hiſce ſatis arbitramur refutata Eccleſiæ Lutheranæ ſigna, ſiue notas eſſentiales duas.

§ 2.

Aſſignantur Eccleſiæ Catholicæ Romanæ veræ Notæ.

ECcleſia Catholica ſoli comparatur, qui claros ex omni parte radios diffundit,

fundit, ut per illos facile dignosci possit. Hi autem radij testimonia siue notæ sunt, quibus ab omni alia falsa religione discernitur, & quamuis non faciant euidenter verum, ipsam Ecclesiam DEi veram esse, (euidenter enim verum est, quod in se vel in suis principijs videtur) faciunt tamen euidenter credibile eam esse veram. Nam euidenter credibile est, quod non quidem in se vel in suis principijs videtur, habet tamen tot, tantaq; testimonia, ut nemo non insipiens veritate conuictus id credere cogatur. juxta illud Psalm: 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Apud eos tamen qui Scripturas sacras, nec non historias & Patrum veterum scripta non repudiant, hæc signa siue notæ etiam euidentiam Veritatis faciunt, supposita videlicet veritate Scripturarum, ex quibus quod deducitur euidenter, etiam euidenter verum est.

Hujusmodi notas licet alij atq; alii varias constituant nihilominus Constantinopolitanum Symbolum secutus tantum quatuor proponam, ad quas sic reducam reliquas, ut nulla desit, eæq; sint ejusmodi, ut nulli Religioni alteri conueniant. Sunt autem istæ: Vera Ecclesia est *Vna, Sancta, Catholica & Apostolica.*

CAPVT II.

Prima Ecclesiæ Veræ Nota.

VNITAS.

VNitas seu consensio ut in numeroso Cætu tripliciter considerari potest. sic & in Ecclesia.

1. Vel pro ut inter modernam, veteremq; doctrinam inuenitur.

2. Vel ut inter membra, caputq;.

3. Vel deniq; ut inter se membrorum. De singulis per §. §. singulos nobis erit sermo.

§. 1.

Vnitas Modernæ Ecclesiæ doctrinæ cum antiqua in Ecclesia Romana.

PRopositio hæc apud omnes Catholicos est certissima: quotquot ab Apostolis huc usq; SS: Patres atq; Doctores Catholici in diuersissimis & ab inuicem maximè dissitis locis docuerunt aut scripserunt, in nullo omninò fidei articulo discordes, concordes autem in omnibus constantissimè conuenerunt. Idem de Concilijs ubiq; gentium & locorum habitis, dictum esto. Quam propositionem ut stabiliamus

1. Doctores & Patres nominamus; scripta, librosq; producimus, seriem o-

omnium auctorum contexímus. Cum igitur in hujus veritatis possessione manifesta jam simus, vt Aduersarii nos inde deturbent, incumbit illis ostendere. 1. aliquem ab ætate Apostolorum huc usq; Doctorem Catholicum qui in aliquo fidei articulo pertinaciter ab aliis dissenserit, aut aliter, quam Apostoli, docuerit. 2. Nouum aliquod inductum fidei dogma in Ecclesiam, quod ante non fuit. aut si inductum est aliquod, quod ab Apostolis non habet originem, Aduersarii illud assignent; quo sæculo, quo auctore id factum sit, monstrent. Nam cur minus id facere queant quam Catholici, quibus non est difficile dicere, & ostendere, quæ singulæ hæreses, quibus auctoribus & temporæ natæ sint atq; damnatæ?

Obijcit his Jacobus Hoe & monstrare conatur, multa nunc in Ecclesiam inducta esse quæ ante 1000. vel 800. 600. im 500. annos non fuerunt. exempla producit. Festiuitas seu celebratio Corporis CHRisti. doctrina de transubstantiatione. præceptum sumendi sub vna tantum specie Dominicum Corpus. Deniq; ad sacrificium missæ variorum additamenta Pontificum.

Verum non distinguit hic fidei doctrinam â Cæremoniis sacris: illam im

mutabilem esse; has pro ratione temporum institui & mutari posse contendimus, vbi id major Dei & Sanctorum gloria reposcit. Etenim hebes sit oportet, qui non videat Ceremonias precesq; in Sacrificio missæ adhiberi consuetas, non pertinere ad Sacramenti substantiam, cum his etiam demptis Sacrificium ac Sacramentum hoc effici possit. Cæremoniæ ergo do fidei doctrinam non pertinent, sed ad Reuerentiam majorem tanti Mysterii solùm adhibitæ sunt. Idem de festiuitatibus corporis CHRisti, aliorumq; dierum festorum institutionibus dictum sit. Transubstantiatio autem panis ac vini in Corpus & Sanguinem CHristi, præterea vera Sanguinis & Corporis CHRisti sub speciebus panis & vini, etiam extra sumptionem præsentia, ad fidei doctrinam & essentiam spectant, & tam â Vetere quam moderna Ecclesia pro fidei articulo habita est, ut fusius suo loco etiam ex Sacra Scriptura monstrabitur. Ad præceptum verò quod attinet, de sumendo sub una specie Dominico Corpore, Respondeo 1. Cum nullum extet præceptum â CHRisto de gemina specie, ac proinde sumptionem sub utrauis specie reliquerit liberam, potuit Ecclesia sancta statuere, quod pro ratione Circumstantiarum, locorum ac temporum com-

modum aut necessarium duxit. ut in demonstratione de utraq; specie clare ostendemus.

Nihil ergo objectionibus istis euincitur, certumq; manet modernam Romanam Ecclesiam Catholicam in omni fidei doctrina, cum Vetere & Apostolica conuenire, nec unquam ab illa deflexisse.

E contra vero probamus in vera & primitiua Ecclesia semper docta fuisse contraria illis, quæ nunc Aduersarii etiam in substantialibus fidei docent; ut ex Doctoribus ipsius Primitiuæ Ecclesiæ, & Apostolorum Coetaneis constat. & omnibus sequentibus demonstrationibus clarissimè ostendemus, Lutheraram, aliasq; hæreticorum doctrinas cum Ecclesia Vetere non stare, â qua jam illas longe recessisse certum est. Nunc autem ut ad confirmationem propositionis initio factæ redeamus, doctrinæ nostræ cum antiqua consensum ostendimus.

2. Probamus ipsorum confessione Aduersariorum, qui nostram doctrinam, â Veteribus semper doctam esse liberè confitentur, ut fusissimè videre est apud Bellarm: lib. 4. c. 9. de notis Eccl:

3. Probatio sit, quod eadem, quæ nunc ab Ecclesia Catholica damnantur etiam â Veteri Ecclesia damnata fuerint. Ex quo duo concluduntur.

1 Ecclesiam Modernam cum antiqua primitiua conuenire, 2. Moderni temporis hæreticos à Veteribus non dissentire. Vnde hinc illud argumentum formo.

Quodcunq; vera CHRisti Ecclesia damnauit, & ut erroneum duxit damnatum & erroneum ab omnibus haberi debet.

Sed Ecclesia tempore Apostolorum, & post illos 4. sæculis vera fuit Ecclesia (ut ipsimet affirmant) & dogmata multa, quæ nunc Aduersarii docent etiam damnauit & erronea censuit; ergo

Hæc tanquam damnata & erronea ab omnibus haberi debent. Major propositio etiam Aduersariorum confessione certa est, vti & prior pars minoris, cujus pars altera probanda est. quod exemplis in hanc rem adductis euidenter facio.

Sæculo 1. circa annum 51. damnatum Simonis Magi dogma docentis hominem per gratiam solam sine ullis bonis operibus consequi salutem posse. Irenæus lib. 1.c. 2.

Item hominem non liberè agere. Clemens 3. Recog: Sacerdotum Cælibatum irridendum esse. Epiph: hæresi 21. Lutherani vero ac nominatim Brochmannus bonorum operum necessitatem ad salutem rotundè negant. c. 1. de bonis ope-

ribus. Sect : 3. liberum arbitrium circa spirituales actiones plane tollit. c. 1. de lib: arb: Sec: 6. Cælibatum Sacerdotum ac Episcoporum contemnit, de Ministerio Eccl: c. 1. Sect: 5. Item Sæculo 1. circa annum 66. damnatus est Cerinthus eo quod inter cætera doceret hominem absq; baptismo consequi salutem posse, aliis ejus complentibus defectum. Epiph: hæresi 28. Docet idem Brochmannus cap: 6. de peccatis q. 6. in paruulis fieri posse.

Sæculo 2. circa annum 180. damnati Marcistæ qui fæminis non concionandi solum aut prophetandi; sed etiam Sacramenta conficiendi potestatem tribuebant. teste Irenæo lib: 1, c. 2. Brochmannus de Eccl: q. 10. Secutus Lutherum fatetur in casu necessitatis tanti esse mulieris quanti sacerdotis absolutionem.

Archontici damnati quod Sacramenta quædam reijcerent teste Baronio. Brochmannus cæteriq; Lutherani Sacramenta omnia duobus exceptis reijciunt, eaq; sic mutilant, vt vix inter Sacramenta possint haberi.

Sæculo 3. Damnatus Origenes quod inter cætera assereret, imaginem DEi in homine penitus per lapsum amitti. Idem docet Brochmannus de primo homine. q. 9.

Proclus damnatus quod non dubitaret asserere, semper in renatis manere pec-

catum. Idem Lutherani docent, & Brochmannus dum ait per baptiſmum non exſtirpari peccatum.

Et plura ejusmodi quæ ab Eccleſia primitiua damnata fuerunt & nunc ab Aduerſariis reſuſcitantur atq; docentur. videri copioſiſſimè poſſunt apud Bellarm: de notis Eccl: lib: 4. c. 9. vti & apud Jacobum Gualterium 1. 2. 3. 4. Sæculo Chronologiæ ſuæ, & fuſiſſimè apud Jodocum Coccinum lib: 8. art: 3. ut hinc verè concludere liceat, ea quæ â primitiuâ Eccleſiâ inuiolata CHRiſti ſponſa damnata fuerunt, nunc quoq; ab Aduerſariis reſuſcitata pro erroneis & falſis haberi debere. Certiſſima igitur veræ Eccleſiæ nota ſit, continuus iſte modernæ Eccleſiæ Romanæ, in iisdem damnandis reijciendisq; cum primitiua conſenſus.

Verùm excuſant hæc Lutherani nonnulli, & ajunt ſupradictas ſententias, male damnatas, & Eccleſiam (licet vera fuerit) non paucos tamen contraxiſſe tunc nouos, inter quos unus fuit non minimus, hæc ſupradicta damnaſſe quæ veritati conſentanea erant.

Sed contra, vel bene damnauit iſta, vel male. Si bene, quod intendi probatum eſt; ſi male, ergo Eccleſia primitiua temporibus Apoſtolorum errauit; ergo Ec-

clesia illa non fuit Ecclesia vera. vbi enim erratur in essentialibus fidei, nequit esse vera Ecclesia, libertas arbitrii, bonorum operum ad salutem necessitas, &c: puncta sunt essentialia fidei, ergo nævi esse non possunt. Patet ergo quod probare voluimus, Aduersarios videlicet, qui se consentire cum primitiua Ecclesia asserunt, id contra veritatem asserere. nunc enim amplectuntur & docent, quod Ecclesia primitiua damnauit. Carent ergo hâc notâ, quæ est doctrinæ modernæ cum antiqua consensio. procedamus ad alteram.

§. 2.

Vnitas membrorum inter se & cum suo Capite, in Ecclesia Catholica Romana.

VEritas cui essentialiter conuenit vnicam esse, proprium habet omnes in unum congregare consensum. Falsitas quæ multiplex est, in varios errores & sententias dissipat. Hinc veritatis consensum euidenter demonstrant omnes in Orbe toto particulares Ecclesiæ sub vno capite Christo & Romano Pontifice ejus in terris Vicario; siue enim modernas, seu veteres spectes cum Doctoribus suis Catholicis, omnes inter se, & cum capite suo in articulis fidei consentire videbimus, quod esse certissimum, Aduersariorum diligentia probat,

probat, qui facta, dictaq; Patrum, Doctorum Ecclesiæ & omnia Conciliorum statuta, in Lucernis scrutati, nihil dissensionis aut contrarietatis in ullo fidei puncto inuenire potuerunt; aut si quidquam inuenerint, ostendant, necesse est. neç obstat quod sine fundamento ab illis jactatur, sensim & occultè veram defecisse Ecclesiam, & totam tandem adulteram factam; assignare enim illos oportet & locum & tempus & auctores, per quos deficere cæperit, quinimo monstramus contrarium: videlicet tam modò modernos quam inter se veteres conuenire Doctores. Ostendimus insuper descendendo per singula sæcula, per eos qui per singula scripsêre Doctores, eadem fidei dogmata, quæ nunc in Ecclesia nostra docentur, pari consensu tradita semper fuisse. Si quenquam â Veritate quid alienum docuisse contigerit, ad Concilium vel ad supremum Ecclesiæ caput delatus est: his si obedire noluerit, sicut Ethnicus & publicanus est habitus, & tanquam pestilens membrum ab uniformi Ecclesiæ Corpore statim resectus. atq; ita perpetua in Ecclesia seruata est vnio i. & doctrinæ consensus. qui etiamnum manet, & usq; ad consummationem sæculi, frendentibus licet hæreticis, CHRisto promittente manebit. At è contra, quis nunc inter illos

qui ab hac Ecclesia recesserunt, consensus & unio sit, Sectione sequenti docebimus.

§. 3.
Lutheranæ Ecclesiæ & aliarum dissensio.

VT omittamus quæ nota sunt omnibus, & Bellarminus lib. 4. c. 10. copiosè demonstrat innumera priscorum hæreticorum exempla, solas horum temporum Lutheranorum in religione & articulis fidei discordias Lectori ponemus ab oculos: ut clarissimè pateat hanc solidissimam notam illis deesse. Tanquam certum suppono; homines in doctrina fidei inconstantes infallibilem Spiritus Sancti directionem non habere, ac proinde â DEo immediatè missos non esse, nec eis fidem adhibendam, quotquot enim â DEo ad gentium doctrinam sunt missi, sic regebantur ab illo, ut in prædicatione scriptisq; illis falli nulla in re possent. id ipsum Prophetarum & Apostolorum doctrina testatur. & affirmat Lutherus ipse in Assert: Teutonica. art: 25. ubi sic: *qui semel mentitur hic certissimè ex DEo non est.* quod ipsum adhuc sex aliis in locis ac potissimum libro contra Emserum inculcat. hoc tanquam fundamento posito sic ratiocinamur. quicunq; in doctrina fidei inconstans, dubius, & contra-

rius

rius sibi est, is â DEo non est missus. at Lutherus ac Lutherani, cæteriq; acatholici in substantiali fidei doctrina inconstantes, dubii & sibi contrarii sunt; ergo certum est â DEo non esse missos, & consequenter apud illos veram Ecclesiam non esse. Major ex dictis constat. Minor sic probatur. Lutherus de sola communione Eucharistiæ 36. contradictiones habet, quas ex ejus operibus illo viuo adhuc, collegit & in lucem edidit Casparus Querhammer Saxo Laicus, apud quem videri possunt. De communione *sub utraq;*, septem manifestas contradictiones Lntheri Cochlæus annotauit. quinimò totus ille Cochlæi liber, cui titulus Lutherus *Septiceps* nihil continet aliud, quam contradictiones ejus, & contrarias de omnibus pæne controuersis fidei articulis sententias verbis ipsius propriis expressas. in omni autem contradictione necesse est semper alteram partem falsam esse.

Adde quod ex Lutheri doctrinis orta tanta sit dissensio, ut statim ab exortu suo in Anabaptistas, Confessionistas, & Sacramentarios diuisa sit; ac rursus hæ sectæ singulæ in alias atq; alias usq; ad 34. teste Friderico Staphylo in libello de Concordia Lutheri discipulorum. Quin ipsimet Lutherani hanc inter se discordiam fa-

tentur.

tentur. Etenim Nicolaus Gallus Lutheranus prædicans in Thesibus suis ac hypothesibus hanc ingentem inter sectæ suæ homines de præcipuis fidei capitibus discordiam fatetur, enarrat, deplorat, & grauiter detestatur. verba ejus breuitatis gratia omitto.

Lucas Osiander dissensiones Lutheranorum in historia sua per annos singulos Chronologicè producit, plurimis eorum conuentibus, colloquiisq; recensitis; sed effectu nullo, summâ semper discordia finitis. Idem fusius in historia Saxonica lib: 16. folio 413. Dauid Chytræus; nec non clarissimè Nicolaus Salnecher Saxoniæ Electoris prædicans, in Psal. 133.

Deniq; nulli non est notum anno 1548. Religionis Lutheranæ formam in Synodo Lypsiensi constitutam, & â Mauritio Saxoniæ Electore promulgatam, & per ditiones suas omnes obseruari jussam; ab aliis ejusdem sectæ prædicantibus tanquam abominabilem damnatam, teste Osiandro historiæ suæ Eccles: folio 502. ubi sic: *Libellus ipse Lypsicus, inquit, maximas peperit offensiones & certamina inter Theologos Augustanæ Confessionis.*

Conuentus Altenburgensis anno 1566. in quo de bonis operibus & Justificatione fuit actum, sic peractus est, ut de illo dicat

Osian-

Osiander fol: 821. *multo major animorum offensio relicta est quam ante fuit.*

Synodus Dresdensis anno 1571. celebrata, Vbiquitatem â Brentio & Illyrico confictam, pari consensu tanquam inauditam & horrendam omnis Apostolicæ doctrinæ *profanationem* explosit, & damnauit, toto conuentu prædicantium se subscribente. Cum tamen decimo post anno, videlicet anno 1570. illam ipsam â se damnatam doctrinam in libro concordiæ Lypsiæ promulgatæ tanquam fidei articulum iidem ipsi qui contrariæ subscripserant, receperunt. nec hoc satis, nam anno 1583. Theologi Brunswicenses, & anno 85. Anhaltini Prædicantes, qui omnes Lipsiensis Concordiæ consenserant, ab illa denuo in Vbiquitatis articulo recesserunt. Et quamuis multa demum Colloquia ea super re sint instituta Quedlinburgi; cum summa tamen dissensione semper fuerunt dissipata, ut testatur luculente ejusdem Sectæ Osiander fol: 945. & 965.

Cum ergo has inter se de rebus fidei grauissimis dissensiones Lutherani negare nullo modo posśint, & ferè singulæ eorum Academiæ & Ciuitates id loquantur, quarum singulæ doctrinā aliam atq; aliā profitentur pro suorum doctorum ac prædicantium affectu satis probatam existimamus propositionem Minorem à nobis supra positam, ut

inferri

inferri manifestè posſit. ergo certum eſt hos Doctores â Deo non eſſe miſſos, & conſequenter apud illos veram Eccleſiam non eſſe.

§ 4.

Objectiones & Reſponſiones Aduerſariorum refelluntur.

OBijciunt ſeu potius reſpondent ad iſta quidam cum Caluino & Luthero.

1. Mirum non eſſe, ſi vel è Caluini vel Lutheri religione mox ortæ ſint diſſenſiones, ac Sectarum diuiſiones variæ, id enim etiam Eccleſiæ Apoſtolorum accidiſſe, ex qua Nicolaitæ, Simoniani, cæteriq; ſtatim prodierunt, inter bonum ſemen Zizaniâ ſeminante diabolo.

2. In grauibus etiam rebus Apoſtolos inter ſeſe diſſenſiſſe, Petrum videlicet & Paulum, ut ex Gal: 2. v. 14. manifeſtè conſtat. Verùm ad primum hoc repono. inter diuiſionem hæreticorum ab Eccleſia, & diuiſionem ab aliqua hæreſi, diſcrimen ingens eſſe. id nempe, quod cum in Eccleſia Catholicâ componendarum litium certa regula inueniatur, hoc eſt ſententia Pontificis vel Concilii plenarii, fit ut ex doctrina Eccleſiæ, diſſenſio non oriatur; ſed ex Diaboli malitia. ubi autem diſſenſio comperitur, mox damnatur & hæreticus ab Ec-

clesia rescinditur. neq; ulterius in Ecclesia dissensio progreditur. Secus apud acatholicos ubi nulla regula, sed judicem seipsum quisq; statuit. Hinc quælibet noua hæresis, alias fæcunda parit, donec in innumeras diuisa consumatur.

Ad 2. quod attinet, ajo, Apostolicam hanc dissensionem, de qua loco citato Paulus, de nullo puncto fidei fuisse; nec in fide errasse petrum, sed Judaismum incautè simulasse; quod ne faceret, nec aliis esset scandalo, jure admoneri potuisse. ut videre est apud Cornelium â Lapide in Epist: ad Gal: 1. v. 14.

Obijcit Jacobus Hoe in libello suo Euangelico pag: 20. diuersorum apud Catholicos religiosorum instituta, vestes, disciplinam, Regulas. Item Scholasticas dissensiones Thomistas inter & Scotistas aliosq;. ex quibus nititur probare, hâc Vnionis notâ Ecclesiam Catholicam carere.

Verùm hæc objectio doctis auribus indigna nunc etiam ad lippos deuenit & tonsores, nemo enim ignorat, quod licet regulis ac vestitu differant Religiosi; aut in aliqua doctrina seu ingenij partu diuersum sentiant, conueniant tamen in duobus omnes.

1. quod uni Capiti seu Romano Pontifici, ac suis quiq; Episcopis se submittant ac obediant.

2. quod

2. quod in fidei capitibus conueniant ac ſentiant idem omnes. quod autem nominibus diuerſis compellantur, hi Franciſcani, Dominicani alii &c: non ab auctore doctrinæ, ſed ab inſtitutore diſciplinæ ſeuerioris habent. doctrina enim quoad fidem omnibus eadem eſt.

Et hæc ſunt quæ ab Aduerſariis frigide obijciuntur. Manet ergo certum fixumq́;, unionem & conſenſum ejusdem fidei ac doctrinæ in Cætu Illuſtri & conſpicuo hominum inter ſe, & cum ſuo capite CHRiſto JEſu, ejusq́; in terris Vicario veræ Eccleſiæ notam eſſe, eamq́; in ſola Eccleſia Romana, in nulla verò alia inueniri.

CAPVT III.

Secunda Eccleſiæ Veræ nota SANCTITAS.

SAnctitas Eccleſiæ veræ conſiderari dupliciter poteſt. Vel ut illam habet Eccleſia in ſe, vel ut in cultoribus ſuis. Prima hæc Eccleſiæ Sanctitas potiſſimùm in ejus doctrina conſiſtit, adeo ut ibi Veram Eccleſiam eſſe neceſſe ſit; vbi doctrinæ veritas & Sanctitas inuenitur.

2. Vbi Cultores illius ſunt ſancti. Probandum eſt igitur hanc veritatem & Sanctitatem doctrinæ in ſola Romana Eccleſia eſſe, non autem in alia ulla.

§. 1.

Sanctitas Doctrinæ in sola Ecclesia Romana est.

SAnctitatem & Veritatem doctrinæ in Vera Ecclesia esse debere, nobiscum Aduersarii omnes consentiunt. Hanc autem in sola Romana Ecclesia esse, sic probo. Vbi professio sancta est & fidei doctrina, nihil continens falsum, & quoad mores nihil docens injustum, ibi est veritas & Sanctitas vera, quæ in Ecclesia sancta requiritur. Sed hæc sunt in sola Romana Ecclesia ergo sola est sancta.

Majorem concedunt Aduersarii omnes, & ipse Brochmannus de Eccl: c. 7. dub: 10.

Minorem probamus primo, quia sola Romana nihil injustum, nihil contra rationem, nullam morum turpitudinem docet: quia ad studium perfectionis inducit, & licentiam peccandi excludit; eò quod sola sanctos cultores habeat, & sanctitatem ac veritatem suam miraculis confirmet. Quod sola gentes ad fidem conuertat; Deniq; quod ab Aduersariis in ea nihil possit assignari non justum, non sanctum, ut probabitur infra.

E contra vero neq; Lutheranam neq; ullam aliam Ecclesiam tali modo sanctam posse

posse vocari, conspicuum est. 1. quia timorem diuinum excutiunt, laxant peccandi licentiam: nam Confessionem particularium criminum, contritionis & satisfactionis necessitatem, tanquam portenta reijciunt. Brochm: de pænit: 48. Castigationem omnem temporalem animarum post hanc vitam & purgatorium in scriptis suis omnibus & Cathedris tollunt. solam fidem ad remissionem omnis culpæ, & pænæ sufficere docent, nec aliud quidquam requiri, sed habenti fidem nullum amplius imputari peccatum. hac ratione Lutherus l. de lib: Christ: dicebat non magis ad nos pertinere decalogum quam alias Cæremonias legis antiquæ, sed omnem ejus obligationem esse sublatam per Christum, quia videlicet non magis imputatur credentibus violatio illius, quam aliarum Cæremonialium legum. his & similibus aliis clarissimum est in vitia habenas laxari. quid enim timeat cui nullum peccatum imputatur ad culpam? cui DEus non imputat iram diuinam, & propter Christi satisfactionem non potest irasci? Omitto innumera alia Lutheranæ Ecclesiæ dogmata, quæ requisitam Ecclesiæ Sanctitatem penitus tollunt. Omitto errores doctrinæ, quos ostendimus supra; Cum quibus Ecclesiæ Sanctitas stare non potest. Sic ergo licet inferre.

Igitur doctrinæ Sanctitas in sola Ecclesia Romana est.

§. 2.

Sanctitas & Veritas Ecclesiæ Romanæ probatur ex Miraculis.

PEr gloriam verorum miraculorum veram Sanctitatem & doctrinam probari, manifestum est, miracula enim sunt sicut sigilla quædam & testimonia Dei, quibus res aliqua comprobatur. DEus autem hujusmodi testimonium rei falsæ dare nequit. Dico verorum miraculorum, ut omnia miranda excludam, quæ viribus naturalibus, vel arte Diabolica possunt patrari: vbi igitur hæc vera miracula reperiuntur, ibi esse veram doctrinam & Sanctitatem oportet, cum enim naturæ vires excedant, & non nisi virtute Dei fieri possint, sequitur quod ea tantum in vera & sola Ecclesia CHRisti fieri queant. & contra ubi illa nec facta fuerunt nec sunt, ibi veram Ecclesiam esse non posse. Quocirca duo hic affirmamus. 1. Hanc miraculorum gloriam ad nouam fidem vel extraordinariam missionem persuadendam necessariam esse. 2. Miracula semper in vera Ecclesia esse debere. Justum enim & æquum est, ut qui extraordinariè in re magni momenti legatur, auctoritatem legationis, testimonio legan-

tis

tis confirmet. hinc fit ut literas sigillo munitas seu credentiales ostendat is, qui legatus mittitur. Sic quem solus DEus immediatè delegat, Dei sigillum ostendat necesse est. Sigillum autem illud miracula sunt Marco testante: *cap: ult: illi vero profecti prædicauerunt, vbiq; Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* & ad Heb: 2. v. 11. *Contestante DEo signis & virtutibus.* Rationem hanc DEus efficaciter ordinario suo modo agendi confirmat, sic enim Moysen cum miraculis mittit Exod: 4. Sic CHRistum Jo: 15. v. 24. Apostolos atq; discipulos Matth. 10. v. 7. Mar: 6. v. 17. Et quid dici clarius potest, quam quod Matth. 11. à CHRisto Joanni responsum est? *Tu es qui venturus est an alium exspectamus* inquiunt nomine Joannis ejus discipuli. *Et respondens JEsus ait illis: euntes renunciate Joanni, quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Ecce non* verbo fatetur, se illum de quo quæritur esse, sed sua ipse producit miracula, tanquam vera missionis suæ sigilla, doctrinæ suæ veritatem ac sanctitatem abundè probantia, & euidentia argumenta se esse Messiam. Et Joan: 10. v. 24. *Opera* inquit *quæ ego facio patris mei, hæc testimonia perhibent de me* & v. 37. *Si non facio opera pa-*

tris mei nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite. Hic clarissimè ostendit, quibus sua extraordinaria missio, Sanctitas, veritasq; doctrinæ, verbis persuaderi non potest, necessaria esse miracula ut credant.

Ad alterum quod attinet. Certum est, potestatem patrandi miracula non Apostolis tantum pro eo tempore, quo fundata erat primitiua Ecclesia, à CHRisto esse concessam, sed Ecclesiæ etiam in perpetuum datam, vt euidenter apparet Marc: 16. v. 17. *Signa verò eos qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo Dæmonia eijcient.* &c. Et Joann: 14. v. 12. *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Nullam hic personam, nullum locum, & tempus determinat, sed pro omni tempore gloriam illam miraculorum Ecclesiæ in se credenti promittit; & porro etiam ad hoc usq; copiosè concessit. præterea hanc gratiam in vera Ecclesia semper esse debere, ratione probari sic potest: positis causis ijsdem sequuntur ijdem effectus; Cum autem sint ab Apostolis patrata miracula, ut per ista apud paganos & Ethnicos Euangelij veritas & Sanctitas probaretur (ut Aduersarii omnes fatentur) & non in initio tantum, sed hactenus semper, & porro ulterius usq; ad consummationem Sæculi non defuturi

sint

ſint unquam Gentiles atq; Pagani, quibus annuntianda eſt eadem Euangelij veritas, CHRiſto teſte Matth: 24. v. 14. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſumatio.* Manifeſte ſequitur ſemper eandem cauſam & neceſſitatem miracula patrandi futuram, & nunc etiam eſſe quæ ſub Apoſtolis fuit. Nec eſt ratio, cur dicatur omnipotentia DEi poteſtatem ſuam reſtringere, ubi eadem neceſſitas quæ fuerat olim, nunc etiam miracula exigat. Certum igitur eſt continuo miracula vera patrari, quod etiam Aduerſarii negare non poſſunt, clara veritate & totius mundi teſtimonijs luculentis conuicti. fateri conſequenter coguntur Romanam Eccleſiam ſolam Veram & Sanctam Eccleſiam eſſe, in qua ſola miracula inueniuntur.

§. 3.

Refelluntur, argumenta Lutheranorum contra Miraculorum neceſſitatem.

NUnc videamus quid ad hæc Aduerſarii opponant, & præſertim Brochmannus, qui l. 4. 5. de Eccl: dub: 12. negat imprimis verum eſſe quod ad aſtruendam miſſionis extraordinariæ veritatem neceſſario requirantur miracula. quod probat

per S. Joannem Baptiſtam qui nullum miraculum edidit. Joan: 10. v. 41.

2. CHRiſtum, ait, Judæis objeciſſe, incredulis nimium miraculorum deſiderium, quibus adſtrui veritatem doctrinæ volebant, Matth: 12. v. 38.

3. Pſeudochriſtos & Pſeudoprophetas edidiſſe & porro edituros miracula 2. Teſs: 2. v. 9. ergo miracula non ſunt Eccleſiæ notæ.

4. Si ex miraculis Eccleſia vera diſcerni debeat, Lutherana Eccleſia illa etiam habet, cum enim illa ſit eadem Eccleſia quæ fuit Apoſtolorum, & Apoſtoli miraculis multis claruerint, ſequitur clarè Eccleſiam Lutheranam etiam clarere miraculis.

Ad primum Reſpondeo, Joannem licet miracula non feciſſe legatur, illis tamen vel maximè fulſit, quæ DEus in illo patrauit, dum de ſterili & anu conceptus; etiam obmutuit pater, & denuo in filij natiuitate locutus eſt; dum exultauit in utero matris, & alia quæ ſupra naturæ vires conſtat in illo Deum operatum fuiſſe; quæ cum nullum laterent, miſſionis ſuæ teſtimonia ſufficientia erant. Adde quod *Zachariæ*, hoc eſt, ſacerdotis filius eſſet, & proinde & ipſe Sacerdos & Ordinarius Miniſter. Cum autem tantum extraordinarios Miniſtros teſtimonio miraculorum egere dixerimus, non indigebat iſtis Joan-

nes, quem ex officio ſuo teneri ſciebant omnes, veritatem omnibus annuntiare.

Ad 2. Reſpondeo miracula importunè poſtulantes Phariſæos à CHRiſto redargutos fuiſſe, quia non contenti vidiſſe immediatè ante Dæmonium habentem, cæcum & mutum curatum, miraculum etiam de Cælo impudenter petebant; quaſi prius editum non ſatis veritatem ejus doctrinæ probaſſet. atq; ideo ut eorum pertinaciam retunderet, miraculum illis negauit.

Ad 3. Reſpondeo abſolute negando, fuiſſe, aliquando vel fore, ut per Ægyptiacos Magos aut Pſeudoprophetas vera miracula fuerint patrata, vel unquam patranda ſint. Sed ejusmodi tantum, quæ licet in oculis hominum mirabilia forent, non tamen excederent vires naturæ vel Diaboli, neq; extraordinario DEi concurſu egerent, ut conſtat diſcurrenti per ſingula. ac proinde hæc ſigna non miracula ſed mirabilia, ſeu miranda dicenda ſunt. Alia ſunt quæ in Romana Eccleſia patrantur, mundo toti notiſsima, ſurdis, mutis, ac cæcis â natiuitate reſtituere ſenſus, mortuos reuocare ad vitam, & ſexcenta ſimilia, quæ creatas omnes vires excedunt, teſtimonia Sanctitatis ac Veritatis certiſsima vel Aduerſarii ipſi concedere coguntur.

Ad 4. respondeo 1. gratis assumi, quod in quæstione est, 2. debere esse continuam miraculorum gloriam, ut probatum est supra.

§. 4.
Sanctitas & Veritas Ecclesiæ Romanæ probatur ex vita cultorum.

ALtera Sanctitas Ecclesiæ in cultoribus ejus consistit, quibus ex fidei doctrina in terra viuentibus, vitæ decursus & exitus sanctissimus obtigit: Et hæc eximia Sanctitatis indicia, veram Ecclesiæ notam esse demonstrabimus.

Quare sic ratiocinari licet; Certum est & apud omnes indubitatum non posse quenquam extra veram Ecclesiam, quæcunq; ea sit, probum esse, addo nec saluari. Sed August: Ambros: Francis: Dominic: Benedic: Bernardus & alij innumeri omnium hominum judicio & opinione, viri sancti; & consequenter saluati fuerunt, ut de his aperte fatentur Caluinus & Lutherus, in latino Com: super cap: 5. ad Gal: & in Apol: Aug: Confess: tit: de votis Monasticis, & alibi: nullus autem fuit eorum in Ecclesia Caluiniana vel Lutherana, sed in Catholica Romana, (ut omnibus constat;) ergo Ecclesia Catholica

Roma-

Romana, est sola vera & Sancta Ecclesia: certum enim est extra veram Ecclesiam neminem saluari posse.

1. Obijciunt aliqui veros illos quidem Sanctos fuisse, habuisse tamen plurimos næuos & superstitiones.

Sed contra vel næui illi in essentialibus fidei fuerunt vel non: Si primum; certum est, neq; illos viros in vera Ecclesia, neq; Sanctos fuisse; qui enim in essentialibus fidei errat, ab Ecclesia totaliter errat. Si alterum; Certum est illos in Ecclesia vera fuisse: quia ob næuos non concernentes essentialia fidei, eâ non excidunt; si ergo in vera Ecclesia fuerunt, & in essentialibus fidei contraria Lutheranis doceant (vti verè docent) clare sequitur Lutheranos in vera Ecclesia non esse. Adde quod Aduersariorum pleriq; scripta sua & opiniones Sanctorum Patrum auctoritate confirmare nitantur, quod non facerent, nisi eos crederent & Sanctos, & in Ecclesia vera fuisse; nam hominum impiorum & ab Ecclesia errantium quænam est auctoritas?

2. Asserunt aliqui Sanctos illos patres inuincibiliter errasse atq; ideo in Sanctitate perseuerasse.

Sed contra: Cum illo inuincibili errore erant in vera Ecclesia, vel non erant; si erant; manet argumentum; si non erant

rant, saluari non poterant, quia extra veram Ecclesiam nemo potest saluari, ut omnes fatentur.

Contra 2. non poterant in vincibili errore teneri; ille enim error inuincibilis dicitur, qui adhibitâ morali diligentiâ tolli non potest, eo quod nunquam in mentem venerit dubitare aut cogitare de opposito. at quomodo id potuit Sanctis istis contingere, qui non solum suas tuebantur pro ueritate doctrinas, sed etiam acerrimè oppugnabant oppositas? Cum ergo Aduersariorum fundamenta callerent, non potuissent non apprehendere veritatem, si apud eos ea fuisset. v. g: qui fieri potest, ut Catholicus aliquis doctus inuincibiliter erraret in credendo Pontificem esse caput Ecclesiæ, quandoquidem ab Aduersariis quotidie proponitur contrarium, dum hanc doctrinam rationibus & argumentis nituntur conuellere? fieri enim non potest vt hujusmodi homo non cogitet de opposito, atq; adeo inuincibiliter errare desinat; idem SS: Patribus accidit.

2. Viros illos DEo placuisse, omnes fatentur, at quomodo extra veram Ecclesiam placere quis poterit DEo, qui caput Ecclesiæ est?

3. Si illorum religio vera non fuit, ergo fuit â Diabolo, si ita; quomodo potuit

tuit illos ad Sanctitatem perducere, & Dei amicos efficere? At verò quis tam impiè de bonitate DEi & misericordia ejus sentiet, ut per 1500. annos tot Sexus utriusq; mortales ardentissimos amatores DEi, ejusq; gloriæ tam studiosos, ac in illum ejusq; promissiones tam certo sperantes atq; credentes, DEus ipse lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, luce suâ ac veritate celatâ, in tenebris & pestiferis erroribus versari reliquerit? quare cum constet eos tenuisse religionem Catholicam, & in Ecclesia Romana semper fuisse, & detestatos omnem huic adversantem Religionem, dubitari non potest, quin Romana Ecclesia sit una vera & Sancta Ecclesia, alias omnes falsas, erroneas & â Diabolo inuentas.

CAPUT. IV.
Tertia Ecclesiæ veræ Nota CATHOLICISMUS.

CÆtum aliquem Catholicum seu vniuersalem esse, inter notas veræ Ecclesiæ poni ex Symbolo Apostolico tenemus: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Hoc autem toti Ecclesiæ Romanæ, nulli alteri conuenire, ratio conuincit. Multipliciter enim cætus quisquam Catholicus seu vniuersalis & dici & esse potest.

Primo

Primo origine; ſic Romana Eccleſiá origine eſt Catholica, cujus auctor percuncta retro ſæcula uſq; ad Christum & Apoſtolos reperiri nequit. At ê contra omnium aliarum Eccleſiarum quæ â Romana ſeparatæ ſunt auctor & inventor particularis invenitur, qui Eccleſiæ ſuæ nomen indidit. Hinc illæ Eccleſia Lutherana, & Eccleſia Calviniſtica &c. vocantur.

2. Duratione ſic Eccleſia Romana ab Apoſtolis huc usq; nunquam interrupta ſe extendit; nec ſæculum ullum aſſignari poteſt, quo non fuerit celebrata miſſa pro viuis ac defunctis, jejunia ſervata, inuocati Sancti, ſub una ſpecie communicatum, reliquiæ Sanctorum honoratæ, & alia Eccleſiæ Romanæ propria in uſu continuo fuerunt, ut omnes omnium ſcriptorum calami teſtantur. At è contra, aliarum Eccleſiarum omnium, ſicut cognitus eſt ortus; ita paulò poſt viſus eſt interitus, quarum vix ulla ſæculum exceſſit; aut ſi exceſſit, in alias innumeras diuiſa eſt ut in Lutherana & Calviniſtica conſpicuè videri poteſt: Nullum enim nec apud Lutheranos nec apud Calviniſtas hoc tempore reperire eſt, qui purè omnia ſequatur. quæ Lutherus aut Calvinus docuerunt.

3. ab amplitudine quæ ad regiones omnes & mundi nationes ſe extendit. ſic Eccleſiæ

clesiæ Romanæ lucem tam Apostoli quam eorum successores per provincias orbis universas ad omnes barbaras gentes deportarunt. Notum enim manifestumq; est vix ullam reperiri mundi partem, quam Romanæ lux Ecclesiæ de facto, vel saltem aliquando non perlustraverit. Neque enim ut cætus quispiam Catholicus seu universalis dici possit, necesse est ut de facto in parte quavis orbis Christiani manifest9 sit (sic enim nullæ unquam hæreses esse possent, quæ loca nunquam occupant, nisi ea in quibus Catholici fuerunt. cum hæretici in nullum unquam locum primi cognitionem Christianæ legis intulerint; sed Catholicorum labore, sanctimoniâ, miraculis, prius illatam obscurarint) satis ergo est Catholicum cætum seu universalem in aliqua orbis Christiani parte manifeste esse, & in reliqua parte Christiani orbis priorem fuisse. At è contra, quota pars terræ est quam occupant Lutherani qui solius Germaniæ & non mediæ quidem angulo se concludunt, cæteris mundi regionibus ignoti? Ecclesiam porro Romanam in Asia, in Africa, in America latissimè collucere, florentissimam Europæ partem occupari, imo in ipsis omnium provinciarum ac præsertim Germaniæ locis, in quibus nunc Lutherani cæteriq; Acatholici

versantur, priorem etiam fuisse, ipsi aduersarii non poterunt negare, si quæratur cujus religionis homines in Germania & urbibus suis aliis repererint.

4. Possessione nominis, quando enim Catholici quæruntur nos usu communi intelligimur quæri. Teste Augustino contra Epistolam fundam: c. 4. *tenet me in Ecclesia ipsum Catholici nomen quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinet, vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint: quærenti tamen peregrino alicui vbi ad Catholicam peruenitur Ecclesiam: nullus hæreticorum vel Basilicam vel domum suam audeat ostendere.* E contra deduci hinc potest; Lutheranos & aduersarios alios jure merito non posse dici nominis possessione Catholicos, cum enim homo Catholicus etiam Wratislauiæ quæritur, non Lutheranus, non Caluinianus communi usu censetur quæsitus sed è cœtu in Ecclesia Romana quispiam.

Objicit his Matthias Hoe 1. si amplitudo inquit & duratio Notæ sint Ecclesiæ Catholicæ tunc 1. peccatores omnes. 2. Diaboli quoq; Ecclesiam Catholicam constituent, utpote qui diutissime fuerunt, & ubiq; latissime dominantur, nec ante sæculi consummationem deficient.

3. Affirmant Lutherani pleriq; hanc Catholicam Notam etiam Ecclesiæ suæ conuenire,

venire, nam cum ab Apostolis sit fundata & Apostoli totum orbem & nationes omnes doctrinâ suâ collustrarint, consequenter sequitur, doctrinam Lutheranam orbi vniuerso & omni nationi jam dudum notissimam fuisse.

Verùm objectiones Hoe prudentibus ridiculæ videri possunt; non enim de quocunq; durante & amplo subjecto, sed solùm de prædicati hujus capace hìc agitur; de cœtu videlicet, cui nomen Christianæ Ecclesiæ conuenit. Quomodo igitur istud peccato vel diabolo quadret? accedit quod non asseramus ex unica Nota Ecclesiam veram discerni, sed ex omnibus simul. Demus igitur amplitudinem atq; durationem conuenire peccatorum ac Dæmonum cœtibus; quomodo sanctum, unum & Apostolicum esse, accommodari his poterit?

3. D. Augustinus Donatistis jam dudum resoluit, dum ait: non affirmari solùm in literis sacris Ecclesiam semel tantum sub exortu suo per Orbem Vniuersum propagandam; verùm incrementa sumpturam indies & doctrinæ suæ luce numerosiorem semper & ampliorem futuram. proclamant hoc omnes literæ sacræ, ad Colos: 1. v. 6. Euangelium *quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso mundo est, & fructificat, & crescit.* An non Christus Matth: 13. v. 30. 38. 39. de parabola Zizaniorum docet euiden-

ter, futurum, ut doctrina vera CHristi usq; ad Sæculi consumationem crescat? Et quid certius quam quod ipsa DEi veritas asserit. Matth: 24. v. 14. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso Orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* præterea ad Eph: 4. v. 11. 12. 13. *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consumationem Sanctorum, in opus Ministerij, in ædificationem Corporis CHristi; donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij DEi, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis CHRisti.* Quis ergo non videat CHRisti & Apostoli mentem fuisse, ut non primi Apostoli tantum, qui ad Sæculi consumationem non vixerunt, sed eorum etiam successores, usq; ad mundi finem, continuo ac sine interruptione, hanc ab Apostolis inchoatam, veram Ecclesiam construere pergerent. Lutherani ergo ostendere debent, Doctrinam suam non ab Apostolis tantum, sed ab ipsismet etiam per se vel antecessores suos continuata serie per vniuersum Orbem esse propagatam, fructusq; protulisse, & adhuc quotidie amplissimos ferre. quod cum de se Ecclesia Romana demonstret, sequitur Ecclesiam Romanam solam veram Ecclesiam esse.

CAPVT V.

Quarta Ecclesiæ veræ Nota APOSTOLICA.

ECclesiam veram debere esse Apostolicam, non Catholici tantum sed & omnes sectarij fatentur, juxta illud ad Eph: 2. v. 10. *Super ædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide CHRisto JEsu.* Sed cum omnes omnium temporum hæretici se doctrinam Prophetarum ac Apostolorum habere; atq; ideo singuli suam Ecclesiam Apostolicam, esse asserant. Nomen Apostolicum, ut omnibus in sua saltem opinione, commune est, nequit esse Ecclesiæ veræ Nota nisi aliquid addatur, quod soli veræ Ecclesiæ conveniat.

§ I.

Apostolica Successio.

AFfirmamus ergo eam Ecclesiam Apostolicam, & solam veram esse, quæ non tantum doctrinam Prophetarum & Apostolorum tenere se dicit, sed quæ illam ab ipsis haustam, semper immutatam continuâ & nunquam interrupta serie ac successione personarum ac Doctorum ad nos usq; deductam & per Orbem Vniuersum euulgatam demonstrare potest. Nam si quisquam ab

Hungariæ Bohemiæue Regum ſanguine, nobilitatem ſuam deriuatam aſſerat, quis illi fidem dabit, ſi tantum Cruces aliquot, aut candidum leonem in ſcuto Gentilitio demonſtret? ſpuria enim iſta Nobilitatis ſymbola eſſe poſſunt, & à triuiali quopiam artifice in tabulam projecta. at verò vt de vetuſtâ, regiaq; ſui ſtemmatis nobilitate fidem faciat, veteres illas ſuæ gentis ceras, & perpetuo Majorum nexu continuatam ſeriem exhibeat neceſſe eſt, donec ad ipſam tandem ſui ſtemmatis originem curioſum exploratorem ducat. Quod cum ſola faciat Eccleſia Romana, & vetuſtatem ſuam ab Apoſtolis continuâ ſerie deducat; ſequitur eam etiam ſolam, veram & Apoſtolicam habendam eſſe.

Hanc autem ſucceſſionem in Eccleſia vera, & eſſe & neceſſariò debere eſſe, atq; ideò veram Eccleſiam infallibiliter notare, ex teſtimonio DEi comprobamus. Iſa. 59. v. 22. Filium Redemptorem Diuinus pater allocutus, *verba mea*, inquit, *quæ poſui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, & de ore ſeminis tui, à modo & uſq; in ſempiternum.* Quodnam eſt Chriſti ſemen niſi Apoſtoli & fideles primitiui? quod ſemen ſeminis, niſi ſucceſſores Apoſtolici & poſteritas vniuerſa Chriſtiana? an non ibi diuino juramento, cum vera diuinaq; filii doctrina, per-

petu-

petua & indeficiens succeſſio perſonarum, ac Doctorum ſociatur? Nunquid & DEus Jeruſalem nouæ, hoc eſt, Veræ Eccleſiæ Catholicæ, cujus ſplendorem per vniuerſum Orbem diffundendum affirmarat; cuſtodes, vigilesq; nunquam tacituros pollicetur. Iſa: 61.v.6. *Super muros tuos*, inquit, *ó Jeruſalem conſtitui cuſtodes totâ die ac nocte in perpetuum non tacebunt.* quid igitur opponent Lutherani, qui non dubitant aſſerere, omnes veræ Eccleſiæ vigiles & Doctores ab annis jam ſupra 1300. ſiluiſſe, cum tamen ipſa DEi veritas nunquam illos tacituros aſſerat? Adde quod Matth: 28. v. 19. 20. Chriſtus Apoſtolis ac Diſcipulis ſuis rotundè pollicetur. *Euntes* inquit, *docete omnes gentes. quia ego vobiſcum ſum omnibus diebus usq; ad conſummationem ſæculi.* at qua in re promittit ſe illis adfuturum? videlicet in eo quod imponit illis, munere docendi. Cum autem illi, quos alloquebatur, Apoſtoli pauculis deinceps annis ſuperuicturi erant, ut hujus promiſſionis veritas ſtare poſſit, fateri penitus neceſſe eſt, ſucceſſores Epiſcopos & Doctores in perpetuum debere eſſe, in quibus veram promiſſionem ſuam probet.

Et verò perpetuam illam Doctorum ac Paſtorum ſucceſſionem, & eſſe, &

nunquam defuturam, sole clarius ostendit Paulus ad Eph: 4. superiori capite citatus. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos* &c. Ex quibus sic: Cum ædificatio seu opus Ministerij in ædificationem Corporis CHRisti, hoc est Ecclesiæ, usq; ad consumationem Sanctorum, donec occurramus omnes in vnitatem fidei siue in finem mundi, duraturum sit; necesse est semper adesse Pastores ac Doctores, ædificationis hujus Corporis Ministros. Quomodo verò fuisset hoc impletum, si ut Lutherani ajunt, 1000. pluribusq; annis, Ecclesia veris Pastoribus ac Doctoribus suis caruisset? Sed dicent Aduersarii numquam caruisse: inuisibiles enim & arcanos Doctores & Pastores semper habuisse. Verùm id posse fieri negat Paulus, qui vbi rationem adducit, cur Doctores & Pastores Ecclesiæ suæ DEus vsq; ad Sæculi consummationem designarit; *vt jam non sitis*, inquit, *paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo &c.* Ephes: 4. v. 14. 15. cum igitur fideles omnes ne in suscepta fide vacillent aut alijs sectis inuoluantur, argui, moneri, corripi, doceri â Pastoribus & Doctoribus perpetuò necesse sit, & semper fuerit; quis adeo demens erit, qui hæc ab inuisibili quopiam Doctore, inuisibiliter per

mille

mille & plures annos fieri potuisse credet? Si dicant vlterius Aduersarii non esse necessariam hanc personalem Doctorum successionem, sed sufficere quod syncera diuini verbi Doctrina semper in fidelium quorundam cordibus latuerit & manserit, ac tandem per continuam successionem ad Lutherum vsq; peruenerit, qui primus eam eruit in lucem, & manifestè docuit. nihil sic efficiunt; hos enim jugulat Apostolus Rom: 10. v. 14. vbi sic: *quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?* si ergo priusquam Lutherus prodiret in mundum vera Dei Doctrina semper in quorundam fidelium pectoribus inhæserit, necessarij profectò, vt asserit Apostolus, semper fuerint Doctores, qui illam prædicarent. *fides enim ex auditu.* Si autem hujusmodi Prædicatores & Doctores semper fuerint, & tales agnouerint fideles, legitimè certè mitti debuerunt. Prædicare verò, CHRistum annunciare, & ad hoc ritè faciendum mitti, quid aliud esse potest, quam verbi diuini ministerium publicum exercere? si ergo ante Lutherum per continuam successionem, eamq; numquam interruptam semper aliqui fuerint fideles; patet omni

luce clariùs, fuiſſe ſemper per ſucceſſionem continuam Doctores, qui eos mittere potuerunt, & conſequenter publicum Verbi diuini miniſterium, nunquam penitus extinctum latuiſſe. Hoc igitur in Eccleſiâ Catholicâ Romanâ fuit, cum alibi aſſignari nequeat. Nec eſt quod aſſerant Aduerſarii ſe eandem penitus nunc docere & tenere fidem, quam olim in primitiuâ Eccleſiâ docuerunt & tenuerunt Sancti illi Patres & Doctores, quos tam Catholici quàm Lutherani in verâ Eccleſiâ indubiè fuiſſe credunt, indeq; probent ſe veræ doctrinæ ſucceſsionem habere. manifeſtè enim falſum eſt. oſtendant enim Aduerſarii vel vnicum ſubſtantialem fidei articulum inter nos & illos controuerſum quem primi omnes Apoſtolici Doctores & Patres veræ Eccleſiæ vtriusq; partis confeſsione membra, eo modo, & eo ſenſu crediderunt & docuerunt, quo nunc Doctores Lutherani illum credendum & docendum pertinaciter contendunt. vel quod facilius eſt, aſsignent ex primis viris Apoſtolicis & vtriusq; partis confeſſione veris Eccleſiæ Doctoribus vel *vnicum*, qui omnes ſubſtantiales fidei articulos eo modo, eoq; ſenſu docuerit, quo nunc illos docent Lutherani. hoc cum nullo modo poſsint facere, quâ fronte aſſerere præſumunt ſe habere veram Doctrinæ Apoſtolicæ ſucceſsionem? Catholici verò cum vtrumq;
demon-

demonſtrent, de ſucceſsione tam doctrinæ quàm perſonarum dubitare nullo modo poſſunt, & hanc ſucceſsionem tamquam infallibilem Eccleſiæ veræ Notam habere omnes debent.

Quod ſanè deſumptum à ſucceſsione argumentum, tanti D. Auguſtinus æſtimauit. c. 4. contra Ep: fund: ut diceret: *tenet me in Eccleſia ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas Dominus commendauit usq; ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum.* quia videlicet per illam religionis noſtræ per ſingula ſæcula continuatio non interrupta usq; ad Apoſtolorum tempora demonſtratur.

Nunç autem cum hæc infallibilis ſucceſsio nota Lutherani & Sectarii omnes deſtituti ſint, quo modo noſtram hanc euertere conentur, videamus.

§. 2.

Aduerſariorum objectiones contra ſucceſſionem enodantur.

1. QUod D. Petrum vel vnquam fuiſſe Romæ vel ibidem Pontificem egiſſe negent, & conſequenter ſucceſſionem Romanæ Eccleſiæ Pontificum ab illo falſè deriuari aſſerant, nihil aliud eſt, quàm omnium hiſtoriarum fidem non velle tatùm eneruare, ſed penitus euertere.

Nam quod omnium SS. Patrum & Ecclesiæ scriptorum testimoniis ubiq; gentium creditum ac confirmatum est, non solum in dubium reuocare, sed falsitatis etiam condemnare, multò insolentius indubiè est, quam Romanæ Vrbis fundationem Romulo, vel imperii ibidem inchoati gloriam Julio Cæsari contra historiæ torrentem denegare.

Deniq; D. Petrum Romæ fuisse, Pontificem egisse, ibiq; mortuum Catholicis est tam certum, quam sit certum Aduersariis se sacras literas authenticè habere; nam quod eas habeant, certo Ecclesiæ Christianæ testimonio ducuntur (ut ait Broch. de script. c. 2. q. 2.) eodem ejusdem Ecclesiæ testimonio Romæ Petrum Summum Pontificem, ibique mortuum affirmamus.

Nec 2. Successionem interrumpit objectio quorundam, videlicet quod Romani Pontifices per annos circiter 70. Romæ non resederint, sed Avennione. Nam non minus Romanæ sedis Episcopi, cum in Gallia versarentur, erant, quam cum Romæ residerent; neq; Wratislaviensis Episcopus talis esse desinit, licet ordinariè in Polonia commoretur.

Nec 3. Legitimæ Successioni obstat quod Pontifices subinde plures Sedem Aposto-

postolicam inuaserint, adeo ut de legitimo capite Christianitas dubitaret, quinimo Romana sedes persæpe etiam vacauerit; nihil hæc inquam successionem Apostolicam imminuunt. Nam & sæpe plures simul in Imperio Romano Cæsares fuisse, nec nisi ferro diremisse litem, certius est, quam ut probari debeat. Imo & sæpius imperium vacasse constat.

Quis tamen unquam continuam Cæsarum successionem in dubium reuocauit? Idem de Pontificia successione statuendum est. nam pluribus de ea dignitate decertantibus, vel certo constat, vel ignoratur cui jus per ligitimam electionem competat. Si certo constat; successio in dubium non venit. si ignoratur; successoris habendus est qui legitimam habuisse causam, declaratur.

Quod autem 4. obijcitur â nonnullis, non minus impudenter quam imprudenter, quosdam videlicet Pontifices Romanos innumeris sceleribus obnoxios fuisse, imó & per execrabilem errorem huic Cathedræ meretricem præsedisse. non & erogant ista successioni veræ. Demus enim certum esse quod multis mendacijs ac calumnijs sectarij accumulant. Pro me respondentem audiant Petiliano cuidam Augustinum. *Quare appellas* inquit *Cathedram pestilentiæ Cathedram Apostolorum? si propter homines quos putas legem loqui & non facere, nunquid Dominus JEsus*

sus Christus propter Pharisæos, de quibus ait: dicunt enim & non faciunt, Cathedræ in qua sedebant, ullam fecit injuriam? nonne illam Cathedram Moysi commendavit, & illos servato Cathedræ honore, redarguit? Vitia successionem non minuunt, ut certum est, neq; potestatem vel auctoritatem, aut Sedis sanctitatem, teste August: qui paulò infra: *in illum*, inquit, *ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usq; ad Anastasium, qui nunc super eandem Cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora irrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ & innocentibus Christianis, quibus DEUS providens ait de præpositis malis: quæ dicunt facite, quæ verò faciunt facere nolite. dicunt enim & non faciunt.* Quod attinet ad illam de Papa Meretrice fabulam non minus scurriliter quàm scelerate fictam; non esse dignam refutatione duco. Nullum enim tam obesæ naris hominem existimo, qui spectatis personarum temporumq; circumstantiis non inter vilissimas fabellas hanc fictionem ponat. de qua videri poterunt Scriptores Nobilissimi, Cæsar Cardinalis Baronius, P. Georgius Scherer, & fusissimè ea de re libro Joannes Carolus Raymundus Florimundi filius.

Hanc ergo nunquam interruptam in Romana sede Pontificum successionem in-

uiti

uiti licet, Aduerſarii fateri compelluntur; nec doctrinam eorum in ullo fidei articulo variatam unquam, vel interruptam fuiſſe demonſtrare poſſunt. Hoc ſi præſumant, locum, tempus, Pontificem (quod in omnium temporum hæreſibus nos facimus) aſſignent. quod cum nequeant ipſi jugulantur, & Eccleſia Romana cum hac ſucceſsione perpetua triumphat. Quocirca.

Geminas ex hiſce quatuor capitibus Concluſiones educimus, ibidem à nobis conſpicuè probatas.

1. *Illa ſola vera CHRISTI Eccleſia eſt, quæ verè Vna, Sancta, Catholica, & Apoſtolica eſt:*

Sed ſola Romana Eccleſia verè Vna, c. 2. §. 1. 2. *Sancta*, c. 3. §. 1. 2. 4 *Catholica*, c. 4. & *Apoſtolica eſt*. p. 2. c. 5. § 1.

Ergo ſola Eccleſia Romana Eccleſia Chriſti vera eſt.

Major propoſitio ab omnibus conceditur, minor eſt probata. ergo quod ſequitur eſt certum.

2. *Omnis illa Eccleſia falſa eſt, quæ neq; Vna, neq; Sancta, neq; Catholica, neq; Apoſtolica eſt.*

Sed Eccleſia Lutherana neq; una, c. 2. § 3.

§. 3 neq; *Sancta* c. 3 §. 1. 2. neq; *Catholica*, c. 4. neq; *Apostolica est*. c. 5 §. 2.

Ergo Ecclesia Lutherana falsa est.

Major propositio apud omnes certa est. Minor est probata. ergo quod sequitur est verum.



DE

DE JUDICE CONTROVERSIARUM FIDEI

DEMONSTRATIO I.

Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia non habet verum Fidei Controversiarum Judicem; quem Ecclesia vera primitiua habuit.

CAPVT I.

Ecclesiam esse Judicem Controversiarum probatum Ecclesiæ primitivæ Auctoritate & Praxi.

DVo sunt Modi, quibus clarè potest probari, quid de Judice Controversiarum Ecclesia primitina senserit. Primus est Auctoritas Patrum; qui potestatem illam soli & vni tribuerunt Ecclesiæ. Alter est *Praxis*, quæ demonstrat omnes de Religione Controversias, ab unicâ & solâ Ecclesiâ Romanâ decisas fuisse. Quæ duo si probentur; euidens est primitiuam Ecclesiam quæ errare non potest, alium non agnouisse Judicem Controuersiarum quam ipsammet Ecclesiam. Hanc autem Potestatem cum Aduersarii Ecclesiæ derogent; ma- I.

nifestum

nifestum est eos ab Ecclesiâ primitiuâ dissentire & consequenter non esse in verâ Ecclesiâ. Probatur ergo primò ab Autoritate.

Anno 180. Irenæus l. 3. c. 2. *Ad hanc Ecclesiam (Romanam) propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est omnes, qui sunt undiq; fideles, in quâ semper conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.*

Anno 203. *Tertullianus l. de Præscript: hæret:* docet non debere cum Hæreticis disputari ex Scripturis: quia cum Possessio & Intelligentia Scripturarum, sit Ecclesiæ Catholicæ; prius debet constare, quæ sit Ecclesia vera ac demum ex illâ sunt intelligendæ scripturæ.

Anno 250. *Cyprianus* l. 1. Ep: 3. *Nec enim aliunde Hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt Schismata, quàm inde quod Sacerdoti DEi non obtemperatur, nec vnus in Ecclesiâ ad tempus Sacerdos & ad tempus Judex vice Christi cogitatur.*

Anno 340. *Athanasius Epist:* ad solitariam vitam agentes: *Plurimæ antea Synodi fuere; multa Judicia Ecclesiæ habita sunt. Sed neq; Patres istiusmodi res Principi persuadere conati sunt, nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit.*

Anno 365. *Cyrillus* in Thesauro: *Debemus nos Capiti nostro Romano Pontifici adhærere, ad omnes*

omnes pertinet ab eo, quid credendum, quid retinendum sit, accipere.

Basilius Magnus in Epist: 52. ad Athanasium: Bonum sibi videri affirmat, ut quando tunc Synodus haberi non poterat ad Romanum Pontificem scriberent, ut ipse Autoritate sua mitteret aliquos in Orientem, qui Acta Concilii Ariminensis dissoluerent. *Anno 370.*

Gregorius Nazianzenus in Oratione, qua se excusat, quòd diu ab Ecclesiasticâ functione se abstinuerit: *Vos*, inquit, *Oues nolite pascere Pastores, neq; super terminos illorum eleuamini: satis enim est vobis, si rectè pascimini, nolite judicare judices, nec legem feratis legislatoribus.* Quomodo autem non judicat judices, & pascit Pastores, qui Conciliorum, summi Pontificis & totius Ecclesiæ rejectâ sententiâ propriam suam, illorum præferre contendit? *Anno 370.*

Ambrosius Epist: 32. ad Valentinianum juniorem volentem de rebus Fidei judicare: *Si conferendum de Fide; Sacerdotum debet esse ista collatio; sicut factum est sub Constantino Augustæ Memoriæ Principe, qui liberum dedit judicium Sacerdotibus.* Et paulò post: *Episcopi synceram primò scripserunt fidem: sed dum volunt quidam de Fide intra Palatium judicare; id egerunt, ut circumscriptionibus illa judicia mutarentur.* Hoc est: Laici dum *Anno 374.*

volunt de sententiâ Episcoporum judicare, in errorem incidere meruerunt.

Anno 390. *Hieronymus in Epist*: ad Damasum de nomine Hypostasis. *Discerne, si placet, obsecro, non timebo tres Hypostases dicere, si jubetis.* Ubi notandum: D. Hieronymum multò doctiorem Damaso Papâ; tamen in re fidei, suum judicium eidem, tanquam Papæ, subjicere.

Anno 400. *Johannes Chrysosthomus* de verbis Isa: homil: 4. *Rex ea, quæ sunt in Terris, sortitus est administranda; Sacerdotii jus è supernis descendit: quæcunque ligaueritis super terram &c: Regi ea quæ hîc sunt, commissa sunt, Sacerdoti cælestia.*

Anno 428. *Theodosius & Valentinianus* A. A. Epist: ad Synod: Ephesin: *Candidianum Comitem ad sacratissimam vestram Synodum abire jussimus, sed eâ lege, ut cum quæstionibus & controuersiis, quæ circa fidei Dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat (nefas enim est, qui sanctissimorum Episcoporum Catalogo inscriptus non est, illum Ecclesiasticis Negotiis & Consultationibus sese immiscere.)* &c:

Anno 420. *Augustinus l. 1.* contra Cresconium c. 33. *Quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine ullâ ambiguitate Scriptura sacra demonstrant.* *Et* lib: contrà Epist: Fundamenti c. 5. *Ego verò*, inquit, *Euangelio non crederem*

nisi

nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoueret Autoritas.

Idem clarissimè docent & testantur *Prosper lib:* contra Collatorem: *Vincentius Lirinensis* in Commonitorio. *Gregor:* l. 5. Epist: 25. *Anselmus* & alii plurimi.

Praxis Ecclesiæ primitivæ idem probat. 2.

Tempore Apostolorum quæstio de Ceremoniis legis mota & ad Concilium Apostolorum delata, ab eodem, Præsidente Petro resoluta est. Licet & ex Scripturis & ab ipsomet Apostolo Paulo sufficienter definiri potuisset. *Anno 35.*

Post Apostolorum tempora prima fuit Controuersia de celebratione Paschatis, ne cum Judæis Christiani coinciderent. Hæc ad Victorem Pontificem delata ab eodem definita fuit. *Anno 198.*

Quæstio, an post Baptismum lapsi possint â peccatis absolui, resoluta est affirmatiuè, contra Nouatianos, â Concilio Romano, sub Cornelio Papâ. Quo anno etiam ab eodem Concilio & Papâ definitum fuit, non amplius esse rebaptizandos hæreticos. *Anno 255.*

Sabellianos negantes tres esse distinctas in Deo *Personas*, sed unam tantùm cum triplici officio, damnauit Concilium Alexandrinum â Sylvestro Papâ confirmatum. *Anno 318.*

Arium neganten verbum *Patris* æternum, & ejusdem cum *Patre* Substantiæ; *Anno 328.*

Concilium Generale Nicænum 1. quod 318. constabat Episcopis damnauit, confirmatione prius â Sylvestro Papâ petitâ & impetratâ.

Quod eodem sæculo *Macedonii* contra Spiritum Sanctum hæresis, per Concilium Constantinopolitanum â Damaso Pontifice judicata fuit & damnata.

Anno 431. *Nestorius* qui duas affirmabat in Christo
454. Personas, sicut Naturæ sunt duæ, damnatus primò est â Cyrillo in Concilio Alexandrino, ac deinde in Generali Ephesino, sub Cælestino Papâ. Hæc ex primitiuâ Ecclesiâ dicta sufficiant; ut omittam alias innumeras Controuersias, per singula Sęcula semper ad Ecclesiam delatas, & ab eâ damnatas, vt fusè demonstrat Bellarmin: de Verbo Dei interpret: l. 3. c. 6. & Becanus l. 1. Man: c. 5. arg: 5.

3. In quibus hæc studiosè notanda 1. Alteram litigantium partem clarè & perspicuè fuisse damnatam semper. 2. Sententiam damnationis, per Ecclesiam Catholicam, tanquam Judicem legitimum, semper esse latam. Pronunciatam verò per Pontificem, tanquam Ecclesiæ Caput & Pastorem, aut certè per Concilia, quæ Ecclesiam totam repræsentabant. 3. Lutheranos & Caluinistas agnoscere, damnationem hanc jure meritò & legitimè factam esse. Tali enim modo condemnatos pro hæreticis haben-

dos esse profitentur. Nec aliunde quàm ex Ecclesiæ decisione: â quâ si non fuissent tanquam â Judice condemnati, manerent usq; in hodiernum diem eorum Controuersiæ indecisæ, nec adhuc constaret, an omnes illi veteres Hæretici pro talibus, & pro damnatis haberi debeant. Maneat ergo certum, totius primitiuæ Ecclesiæ hoc semper Judicium fuisse; nullum esse posse alium Judicem Controuersiarum fidei, quàm sit ipsamet Ecclesia infallibilis, & errare nescia. Quod & S. S. Patrum Autoritate, ac Testimoniis; & Veterum continuatâ Praxi jam satis demonstratum est.

CAPUT II.

Probatur Sententia Catholicorum.

EXperimur indies inter Christianos varias de Rebus fidei Controuersias oriri; 4.
quæritur, quisnam harum Judex esse debeat? Distinctionem primò faciunt Catholici, inter Judicem, & Normam. Illum vocant, qui fert sententiam; hanc secundùm quam â Judice sententia profertur. Ex his ista docent. *1.* Ecclesiam esse Judicem Controuersiarum. *2.* Normam juxta quam in sententiæ prolatione gerere se debet, esse *Scripturam* & *Traditiones.*

3 Sententiam hanc ab Ecclesiâ duplici modo pronunciari posse; vel per Pontificem, qui ejus Pastor est, vel per Concilia â Pontifice approbata, & Ecclesiam repræsentantia. Uterq; autem modus infallibilis habetur. Sententiam hanc Catholicam 1. probabimus positiuè, autoritate Scripturæ & Ratione. 2. ostendemus neq; Scripturam, neq; priuatum unius-cujusq; Spiritum posse esse judicem 3. Aduersariorum objectiones refellemus.

§. 1.

Probatur ex Scripturis & Ratione.

5. 1. MOyses de omnibus Religionis Controversiis, Populo Hebræo, ubi primùm ad formam Ecclesiasticæ Reipublicæ redactus est, respondit. *Exod: 18.* & licet multos minores Judices constituerit, juxta consilium sui Soceri, summam tamen sibi potestatem reseruauit. Sed Pontifex Romanus tanquam Successor Petri & Ecclesiæ Caput non minùs eam Dignitatem acquisiuit â Deo; quàm ipse Moyses. Ergo Pontifex debet etiam de omnibus Controuersiis Religionis nunc judicare.

6. 2. Deut: 17. v. 9. sic habetur. *Si difficile atq; ambiguum apud te Judicium esse perspexeris, inter causam & causam &c: venies ad Sacerdotem Leuitici Generis, & ad judi-*

cem

cem, qui fuerit illo tempore; quæresq; ab eis, qui tunc judicaverunt judicii veritatem; & facies quæcunq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisq; sententiam eorum &c: Ex quibus sic: tunc temporis erant etiam multi alii viri spirituales, ad quos tamen non remittebantur ambigui. Deinde nunc in hoc Ecclesiæ statu non sunt pauciores Controversiæ quam tunc fuerint. Ergò sicut tunc recurrere debebant ad judicem, seu summum Sacerdotem, â Deo constitutum, per succesſionem; ita nunc recurrere debebunt ad summum Sacerdotem, siue Pontificem â Deo ad id constitutum per succesſionem, non minùs quàm Sacerdotes Leuitici, est enim paritas Rationis.

3. Pastorem unum audiendum esse docet *Ecclesiast: v. 11.* Deniq; interrogandos esse Sacerdotes, & ex eorum ore requirendam esse sententiam docet *Hagg: v. 12. & Malach: 2. v. 7.* item 2. *Paral. v. 14.* Optimum autem argumentum duci â Regimine Ecclesiastico Veteris Testamenti, ad Regimẽ Noui Testamenti; quod negat Brochmannus; probatur â statu veteris Ecclesiæ: nam in illâ Scripturam & in hâc omnem Legem clarè habebant, & multi Viri spirituales erant; his tamen non obstantibus remittebantur in Controuersiis ad summum Sacerdotem, tanquam judicem; ergo & nunc 7.

 multò

multò magis id fieri debet, ubi Scriptura longè major est & obscurior. Ergo bona est argumentatio â veteri ad nouum Testamentum, Rationes non tantùm pares sed & plures sint pro Novo.

8. *P*robatur secundò ex Testimoniis Noui Testamenti.

1. Petro datæ sunt Ecclesiæ & Regni Cælorum Claves. Matth: 16. v. 19. & consequenter ejus Successoribus.

2. Ecclesiā qui non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Matth: 18. v. 17. Scribas & Pharisæos, super Cathedram Moysis sedentes, audiendos esse mādat Christꝰ Matt: 23. v. 23.

3. Pasce Oues meas, inquit Christus Petro, Joh: ult: v. 16.

4. Oraui pro Te Petre, ut non deficiat Fides tua. Luc: 22. v. 23.

Ergo Petri & Successorum ejus Fides, cùm non possit deficere, judicio eorū acquiescendum est; & summi Pontifices, Controuersiarum Fidei soli erunt Judices infallibiles, cùm nulli alteri hoc promissum sit. Ex his deducimus; ad Ecclesiam ejusq; summos Principes, ad ipsum communem Ouium omnium in Terris *P*astorem, qui Christi Vicarius est, & Successor *P*etri, â Christo remittit Christianos omnes in Fidei rebus dubios, vt singula â nobis citata loca consideranti manifestè patet, quod ex *P*atrum Testimoniis & Ecclesiæ primitiuæ praxi c. 1. probauimus.

9. *P*robatur 3. Ratione: Satis præuidit De-

us in Ecclesiâ multas orituras difficultates & Controuersias circa Res fidei, debuit ergo prouidere, ut Judex aliquis in Ecclesiâ esset, qui lites omnes judicaret & dirimeret. At iste Judex non potest esse Spiritus priuatus, neq; Scriptura, ut de utroq; ostendemus. Ergo Ecclesiam constitutam esse oportet, quæ per summum suum in Terris Caput ac Pastorem, vel per Concilia, quæstiones omnes controuersas dirimat. Aliud enim tertium nec fingi, nec excogitari potest. Nam Principem aliquem sęcularem in hujusmodi non posse esse Judicem, etiam Aduersarii omnes fatentur, eò quod res fidei definire & Scripturas interpretari, sit Actus spiritualis, qui ad Principem temporalem, tanquam generalem Judicem spectare nullo modo potest.

§ 2.

Scriptura non potest esse Judex Cõtrouersiarũ.

Scripturam non posse esse Judicẽ Controuersiarũ fidei, probatur hoc Syllogismo: Verus Judex debet ita clarè sententiã pronunciare, ut ab utraq; parte litigantium audiatur, & intelligi certò posśit. At Scriptura non potest illud semper præstare. Ergo Non potest esse Judex Controuersiarum semper.

Major certa est, & omnibus nota: nihil enim ageret Judex, si pronunciaret sententiam, ut â neutrâ parte possent intelligi. Sic lites non finirentur, sed producerentur. Minor probatur ex duplici

Scripturæ acceptione; in priore ſpectatur litera; in poſteriore ſenſus; qui ſe habent ſicut Corpus & Anima.

*P*rior judex eſſe non poteſt, juxta illud *P*auli 1. Corinth: 3. v. 6. *Litera occidit*. Hinc ſic argumentor: ille non poteſt verus eſſe judex Controuerſiarum, qui ducit Hominem in errorem & hæreſin. Hoc facit Scriptura ſecundùm literam ſolam accepta. Ergo &c: Major per ſe patet, Minor præterquam ex Apoſtolo affirmata, clara ſit, probatur etiam exemplo:

1. Judæi omnia quæ in Moſe & *P*rophetis continentur, de venturo Meſsia, ſiue Chriſto, intelligi volunt juxta Literam & externum ſenſum. V. g. Omnia quæ apud Iſaiam habentur c. 11. & alibi; quæ, quia ſecundùm literam non vident compleri, non credunt veniſse Meſsiam, quod ipſum illis objicit *P*aulus, cum dicit: 2. Corinth: 3. v. 15. *Usq; in hodiernum diem cum legitur Moſes, velamen poſitum eſt ſuper Cor eorum.*

2. Etiam Hæreticos litera occidit. Nam *Sabelliani* ex eo Joh. 10. v. 30. *Ego & Pater unum ſumus* ſecundùm literam accepto, concludebant unam tantùm in Diuinis eſſe *P*erſonam, ſed eam habere tria Nomina propter diuerſa Officia ſeu operationes. Ex quo ſequebatur *P*atrem eſſe mortuum & paſſum.

Ariani ex illis verbis Joh. 14. v. 28. *Pater major me eſt* deducebant Chriſtum non

eſſe

esse Deum, sed inferiorem Deo, non admittendo sensum, quo hoc intelligitur secundùm humanitatem.

Multos alios hæreticos ex sensu literali lapsos in hæresem, vide apud Becanum l. 1. c. 5. n. 14. & seq: in Man: Ex quibus patet Scripturam in sensu literali acceptam non posse esse Judicem Controuersiarum fidei, quia sic accepta ducit aliquando in hæreses & errores, quod judici nullo modo conuenire debet.

II. Deinde quod Scriptura juxta secundum modum, in quo sensus, non litera spectatur, non posit esse judex, sic probo: Quia Scriptura sæpè dubia & obscura est, sed judex, ut supra dictum est, debet clarè sententiam proferre. Ergo scriptura sic accepta judex esse nequit. Quòd autem obscura sit & difficilis intellectu, probo ex effectu. Nam Aduersarii ipsi Lutherani videlicet, & Caluinistæ sæpe inter se grauiter dissentiunt, in intelligendâ Scripturâ, licet sint linguarum peritisimi, ex sexcentis locis unum accipio pro exemplo: *Hoc est Corpus meum.* Singuli hæretici hæc aliter explicanda censent: Zwinglianos excæcatos esse, asserunt Lutherani. Sed quod si idem de Lutheranis asserant Zwingliani? in multis enim differunt; quis inter illos erit judex? certè si Scriptura, ut utriq; volunt, clara & perspicua est, debet etiam interpretatio ejus

esse

esse clara, & perspicua; dicant ergo; unde tot inter illos sint lites? Cur communi consensu non arripiunt Scripturæ claram & perspicuam interpretationem? certè eodem modo eam intelligendam esse faterentur omnes, si claram & perspicuam eam esse viderent omnes. Vide, quæ de Obscuritate Scripturæ dicemus Demonstratione de Scriptura c. 2. per totum. Manet ergo verus Syllogismus ante positus; videlicet, Judex tam clarus esse debet, ut ejus sententia intelligi possit. Scriptura non est tam clara, ut probatum est. Ergo non potest esse Judex.

§. 3.

Spiritus priuatus non potest esse Judex Controuersiarum.

12. QUisnam & in quibus sit ille Spiritus, Judex Controuersiarum, explicat Brochmannus de Sacrâ Scripturâ c. 2. q. 19. ubi sic ait: *Nobis verò quiuis Homo verè spiritualis, est Judex Controuersiarum Religionis. Nomine autem Hominis spiritualis, cui Judicium de Causis & Controuersiis Religionis committimus, intelligi volumus illum, cui Deus voluntatem suam per Spiritum reuelauit.* Ex quibus verbis manifestè patet in sententiâ Aduersariorum, quemlibet Hominem priuatum, Su-

torem

torem & Sartorem posse esse Judicem Controuersiarum; certum enim est hujusmodi homines tam posse esse Spirituales, quàm sint alii Viri docti, in quauis dignitate & officio positi. Hoc autem non posse dici, probatur.

13.

1. Iudex qui inter homines corporales ex utraq; parte litigantes sententiam ferre potest, debet videri & audiri posse, vt certò constet, qualis sententia feratur. Sed talis Spiritus in quocunq; homine existens, nec videri nec audiri potest; Ergo Sententiam ferre nequit. Major certa est; quomodo enim sciri poterit, an sententia feratur, si nec videamus, nec audiamus eam ferri? Et licet ille homo, qui se dicit talem Spiritum habere, sententiam suam ferat, quomodo authenticè probabit, se talem Spiritum habere, cum de illo nulla sit à Deo ipsi facta promissio, quæ nobis constet? cum deinde tam Lutherani quàm Caluinistæ, Zwingliani, & alii inter se maximè contrarii, dicant, se talem Spiritum habere; nulla est ratio, cur his potiùs, quàm aliis credamus; non quia hoc affirmat Scriptura, quia talis nulla est; & si esset talis, omnes eam sibi applicarent; cum autem omnes diuersa sentiant, necessariò sequitur vel Scripturam & S. Spiritum sibi contrarium esse (quod est omni-

omnino blaſphemum & impoſsibile) aut certè eos omnes & ſingulos errare, & erroneos Spiritus habere. Vel ipſis credemus eo, quòd affirment ſe veros Spiritus habere. Sed hoc idem affirmant omnes, & tamē contraria dicunt & docent. Ergo non eſt Ratio horum affirmationi potius habendi fidem, quàm illorum; quia nullius Spiritus videri poteſt. Ergo Spiritus illorum non poteſt eſſe judex, quia Spiritus illorum contrarii ſunt. Ex quibus patet probatio minoris ſupra poſitæ, & eſt manifeſta conſequentia.

14. *Probo* 2. ab analogiâ judicii in Republ: temporali. Omnes & ſinguli homines habent lumen naturale, quo Lex condita eſt, quod ſufficit ad legem exponendam; ſingulis tamen privatis, non licet exponere pro arbitrio ſuo legem; quod ſi fieret, Reſpublica non poſſet ſtare. Singuli enim Legem aliter atq; aliter pro ſuo commodo interpretarentur & dicerent, ſe lumen Naturale ſufficiens habere ad illam explicandam. Quantò ergo minùs credi poteſt explicationi Scripturæ unius-cujusq;, cum nemo probare poſsit, ſe lumen ſupernaturale habere, quo Scriptura condita eſt, & ſine quo intelligi nequit, & licet ſe habere dicant illud lumen, hoc eſt, verum Spiritum: contrarium tamen patet, quia verus Spiritus contrarius ſibi non eſt; ipſi autem in explicandâ Scripturâ ſibi maximè contrarii ſunt.

Probo

Probo 3. Si Spirituales illi, qui ſe dicunt verum Spiritum habere, judices Controuerſiarum forent, præcluderetur via conuerſionis omnibus hæreticis, nec ullæ unquam Controuerſiæ terminari poſſent. Nam nemo eſt Hæreticorum, cujuscunq; ſectæ ſit, qui non jactet ſe Spiritum habere verum, quem omnibus aliorum Spiritibus præponat. Qui ergo dubius erit, & inſtrui in fide volet, cuinam tutè fidem adhibere poterit? Neceſſarium igitur erit ut miraculo probet Doctor, ſe Spiritum verum habere; vel certè alium Judicem adducat, qui judicare poſsit an verum Spiritum habeat. Qui autem fuerit adductus, quomodo probabit, ſe de illo verè judicare? Adducendi itaq; erunt judices in infinitum, & nemo de ſe certè probare poterit. Unde ſequitur nullum ad veram fidem conuertendum eſſe, quia nunquam de vera fide certus eſſe poterit. 15.

CAPVT III.

Proponuntur Objectiones Aduerſariorum.

ADuerſarii omnes affirmant, ſolam Scripturam eſſe judicem Controuerſiarum, id eſt, ex ſola Scriptura difficultates omnes decîdi poſſe; vel ut explicant alii, ſolos & ſingulos homines verè Spirituales hanc ha- 16.

bere

bere potestatem, ut ex suo peculiari Spiritu, omnes controuersias decidere posſint. Quod ſic probat Brochmannus de Scriptura c. 2. quæſt: 19. *Spiritualis quidem dijudicat omnia, & â nemine judicatur.* 1. Cor. 2. v. 15. Et hoc primarium ejus fundamentum eſt.

2. *Precor vos Fratres, ut obſeruetis diſſidiorum & offendiculorum Autores, contra doctrinam, quam accepiſtis, & declinetis ab eis.* Rom: 16. v. 17.

3. *Omnia explorate, quod bonum eſt tenete.* 1. Theſs: 5. v. 21.

4. Exemplo Beröenſium. Act: 17. v. 11. *Quotidiè ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent.*

5. 2. Timoth: 3. v. 16. *Omnis Scriptura diuinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum &c:*

6. *Scrutamini Scripturas.* Ioh: 5. v. 39.

7. *Dabo omnes filios tuos doctos â Domino* Iſa: 54.

8. *Pontificis* Autoritas in iis, quæ ad *Pietatem* ſpectant, non eſt infallibilis. Ergo Judex eſſe non poteſt. Probat Antecedens v. g. In Canonizatione Sanctorum errare poteſt. Cùm enim ille teſtimoniis hominum & probationibus in eâ re nitatur; ut hoc teſtimonium fallibile eſt: ſic videtur *Pontifex* falſò pronunciare poſſe, aliquem eſſe Sanctum. Idem eſt in approbandis Religionibus. Nam conſtat aliquas Religiones priùs

appro

approbatas, postea improbatas & explosas esse, ut patet 6. Decret: Tit: de religiosis Domib: c. un: Non igitur ea, quæ *Pontifex* determinat, omnia sunt infallibilia. Idem dici potest de Conciliis, quæ cum constent ex solis hominibus, & singuli errare possint, possunt ergo omnes errare & consequenter totum Concilium.

9. Deniq; penes homines solos Spirituales juxta 1. Cor: 2. v. 15. potestatem hanc controuersias decidendi semper fuisse & esse debere, Brochmannus probat ex Praxi in Ecclesiâ perpetuò servatâ.

1. Moses hanc potestatem habuit, quia fuit Vir spiritualis, cui Deus Mysteria sua detegebat. Num: 12. v. 7. 8.

2. Sacerdotes eam habuerunt: *Facies quicquid ex Præscripto Legis docuerint Te.* Deut: 17. v. 10. 11. *Interroga Sacerdotes Legem.* Hagg: 2. v. 12. Sed illi omnes verè spirituales fuerunt. Ergo penes spirituales omnes, sola potestas erit definiendi Controuersias.

Hæc sunt præcipua fundamenta, quibus Doctrina Lutheranorum innititur, quâ probant hujusmodi potestatem non esse penes solum Romanum Pontificem & Ecclesiam Romanam.

Soluuntur Argumenta proposita.

1. FAtemur in Ecclesiâ semper fuisse & etiamnum esse viros verè spirituales & 17.

perfectos, negamus tamen illos esse posse Judices Controuersiarum Fidei. 1. Quia non sumus certi de vllo, certitudine fidei an verè sit Spiritualis, imò an fidelis. De Pontifice autem & Conciliis ex Promissione Christi certi sumus. 2. quia sumus etiam maximè spirituales non semper illustrari & quædam ignorare, ut patet in Helisæo, qui habebat duplicem Spiritum Eliæ, & tamen dicebat: *Dominus mihi non reuelauit.* 4. Reg. 4. Quin imò scimus maximè S. S. Patres spirituales fuisse, qui tamen subindè errarunt, ut constat ex Origene, Tertulliano & aliis, quod & Aduersarii fatentur. Sensus ergo Apostoli iste est: Dixerat ante v. 14. quòd animalis Homo non percipiat ea, quæ sunt Spiritus, atq; ideò, vt ostendat Hominem spiritualem plus intelligere, quàm intelligat animalis; affirmat Spiritualem omnia judicare tam animalia quàm spiritualia; non tamen sequitur, quòd omnia omninò Spiritualia; sed ea, in quibus spiritualis est, & â Spiritu instructus. Nam spiritualem Hominem non habere omnia â Spiritu ipsemet clarè docet Apostolus, dum ait ad Ephes: 4. v. 11. 12. 13. *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios Pastores & Doctores &c:* Alioquin enim spiritualis nullus unquam nec Patris, nec Magistri, Superioris vel *Prælati* Judicio stare & parere deberet.

Qua-

Quatenus ergo spiritualis ductum Spiritus, vel per se docentis, vel ad Doctores mittentis sequitur, eatenus errare non potest. *Et ipse à nemine judicatur*, id est condemnatur, quatenus spiritualiter judicat, alioquin enim & Petrus judicatus, id est, redargutus est â Paulo. Gal: 2. v. 11. Contra animalis â spirituali spiritualiter examinatur, & judicatur.

Tantum ergo hoc loco vult Apostolus per Spiritualem excludere animalem, & mundanam Sapientiam; & hanc alteri postponere, quâ gloriabantur Corinthii, & cujus imperitum Paulum, volebant postponere Apollo. Idcirco Corinthios, hic animales Paulus redarguit.

2. Nihil penitus ad rem facit, & miror Brochmannum pro Opinione suâ hoc ad ferre ausum. Nam per hoc quod Apostolus 18.
moneat,ut â Dissensionum Auctoribus caueant, non constituit eos Judices Controuersiarum: sed solùm hortatur, ut nihil sibi permittant blanditiis, & dulci sermone persuaderi, contra Doctrinam, quam de facto didicerant. juxta illud quod in eundem sensum habet. Gal: 1. v. 8.

3. Nihil illud quoq; ad rem probandam 19.
conducit. Apostoli enim sensus ille est; cùm multi priuato spiritu afflati publicè in Ecclesiæ Cætu Prophetias loquerentur, & inter illos non deessent Pseudo-Prophetæ,

monet Thessalonicenses Apostolus, vt diligenter attendant, an hujusmodi Hominum Prophetiæ veræ sint, hoc est, conformes Scripturæ & communi sensui Ecclesiæ, an tantùm Spiritus humani, Regulæ autem, secundùm quas hoc discernere possent, erant Scripturæ & Traditiones, quas ab Apostolis acceperant, juxta illud ad eosdem Thessal: ep. 2. c. 2. v. 14. *Itaq; Fratres state & tenete Traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.*

20. 4. Exemplum Beröensium ab Apostolis laudatum, nihil pro illis facere constabit, si videatur, quâ occasione hoc de illis dicatur, & est talis: Apostolus Beröenses docens, disserebat ex Scripturis, & ex iis probabat, Christum oportuisse pati & resurgere â mortuis &c: Hæc autem Testimonia Scripturarum, cùm audiuissent citari Beröenses, videbant in Sacro Textu, an ea Testimonia in eo sic haberentur; non quidem, quasi dubitarent de Morte & Resurrectione Christi, quam Doctrinam satis confirmari viderant per Virtutem Miraculorum. 1. Thess: 1. v. 5. Sed ut in Fide magis confirmarentur & alios docere possent, si viderent ea, quæ Paulus prædicabat, longè antea â Prophetis fuisse prædicta. Ex quo nullum aliud Argumentum deducere possunt Aduersarii, quàm simile. Rustici scrutantur Testimonia Lutheri

therî â *Prædicante* citata: Ergo solus Lutherus est Judex Controuersiarum. Vel sic: Studiosi inquirunt Loca S. S. Patrum â Brochmanno allegata. Ergo soli S. S. Patres sunt Judices Controuersiarum. Sicut istæ Consequentiæ non concludunt, ita neq; consequentiæ Aduersariorum ex hoc loco deductæ.

5. Quod omnis Scriptura sit utilis ad 21.
docendum; cum Apostolo affirmamus; sed negamus inde sequi, eam esse Judicem Controuersiarum: quòd enim aliquid ad aliud faciendum utile sit, non sequitur, quòd sufficiens sit. Ita cibus utilis est ad alendum hominem, non tamen est sufficiens, sed requiritur etiam Potus. Vtilitas ergo Scripturæ, ad dirimendas Controuersias, pro nobis facit, qui dicimus Scripturam debere esse normam vnam (non tamen solam) juxta quam decidi debeant omnes Fidei Controuersiæ.

6. Quòd Christus nos jubeat scrutari Scri- 22.
pturas. Joh. 5. v. 34. fatemur, sed examinandum est, in quo sensu & occasione jusserit. Christus enim in toto illo capite disputat cum Judæis, qui negabant ipsum esse Filium Dei. Ipse verò se eum esse probat quatuor Testimoniis 1. Testimonio Joannis Baptistæ, 2. Miraculorum 3. Diuini Patris & 4. Scripturarum Veteris Testamenti, dum dicit:

Scrutamini Scripturas, quæ Testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis, quasi dicat: Si non vultis recipere priora Testimonia, saltem euoluite Scripturas, de quibus tantopere gloriamini: illæ ipsæ, si attentè eas legeritis, testimonium perhibent de me, quòd ego sim Messias. Videant Aduersarii, an locus ille non faciat potius contra illos; nam Christus in hac disputatione non tantùm usus est testimonio Scripturæ, sed etiam tribus aliis prioribus. Unde deduci potest non solum ex Scripturâ cum Hæreticis disputandum esse: sed etiam adhiberi debere Testimonia Patrum, & Ecclesiæ, Virtutemq; Miraculorum, quod nos Catholici facimus.

23. 7. Nego Isaiam loqui de Spiritu priuato reuelante, sed de Doctrinâ Euangelicâ, quam Deus ipse, hoc est Christus prædicauit & docuit, ut sensus sit: Populum Christianum non docebo per Prophetas, sed per me ipsum: juxta illud Hebr: 1. *Multifariam multisq; modis* &c:

24. 8. Ad Canonizationem Sanctorum quod attinet Resp. & affirmo, Pontificem errare circa eam non posse, quod sic probo: Omnibus & singulis Ecclesiæ Ministris dedit Deus omnem Potestatem ad ea quæ sunt sui Muneris, juxta illud Apost: ad Eph: 4. v. 11. 12. 13. *Dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas* &c: Ergo etiam Pontifici tan-

quam

quam summo Pastori, dedit summam potestatem atq; infallibilem Autoritatem ea constituendi, *quæ ad ædificationem spectant totius Corporis Christi*, hoc est, *Ecclesiæ*. Quâ positâ Consequentiâ ut certâ, sic subsumo: Sed omnia, quæ spectant ad Pietatem, & bonos mores, (quale inprimis est Canonizatio sanctorum) diriguntur ad ædificationem Corporis Christi, seu Ecclesiæ. Ergo in his omnibus ad munus suum pertinentibus, summi Pontificis infallibilis est potestas & autoritas.

Quæ certitudo iisdem illis Dei promissionibus nititur, ex quibus compertum habemus, nunquam futurum, ut vniuersa Ecclesię, in rebus Religionis fallatur. Falleretur autem in Negotio Religionis grauissimo, si Sanctum reputaret, ac pro tali veneraretur eum, qui sanctus non est. Nec obstat, quòd Testimonia, quæ pro alicujus Hominis Sanctitate adferuntur, sint humana; ideoq; naturâ suâ fallibilia: posito enim, quòd *P*ontifex illis inducatur ad declarandum quempiam Sanctum, certâ fide credendum est, testimonia illa quatenus probant piè ac sanctè quenquam ex hac vitâ decessisse, vera esse, quæ certitudo veritatis desumitur â posteriori: videlicet cum *P*ontifex illis Testimoniis inductus, rem aliquam esse de Fide statuerit, certum est illa testimonia fuisse vera: quia suppositâ promissione Dei,

Pontifex errare nequit. Hinc è contra; si testimoniis illis noluisset induci Pontifex, ad alicujus Canonizationem, bene concludi potuisset, Testimonia hujusmodi vel falsa, vel dubia, aut ad minimum, non sufficientia fuisse.

25. Ex eodem fundamento soluitur illud, quod de Religionum Institutionibus objectum fuit. Cùm enim Pontifex aliquam Religionem approbat; duo in eo facto considerari debent. Vnum in ipsâ Definitione Pontificis positum est: scilicet, quòd is asseueret, Institutum illud Vitæ malum non esse, sed Euangelicæ perfectioni consentaneum. Alterum verò spectat ad quandam Pontificis Prudentiam; nempe quòd tali Vitæ Instituto, suum quendam in Ecclesiâ concedat locum. In primo Pontifex errare nullo modo potest. Deciperetur enim, & erraret, Ecclesia vniuersa juxta dicta in præcedenti solutione de Canonizatione.

Quod attinet ad Prudentiam, fateor nonnullos dicere Pontificem errare posse: sed contrarium longè probabilius videtur: Nam totam etiam Ecclesiam deciperet, si alicui Religioni Locum concederet in Ecclesiâ, quæ hîc & nunc non ad Ecclesiæ ædificationem, sed ad ejus destructionem faceret. Falleretur enim tota Ecclesia, si obligata foret credere eam Religionem hic & nunc vtilem

Eccle-

Ecclesiæ esse, quæ verè vtilis non esset, sed potius noxia. Quod igitur in objectione dicebatur, Religiones quasdam antea probatas postea explosas & exstinctas fuisse; non ita factum est, quasi antea fuerit aliqua Religio malè approbata. Sed quòd postea progressu temporis, propter abusus visum fuerit magis ad ædificationem Ecclesiæ, vt ex Religionibus antea probatis quædam exploderentur & tollerentur.

Illud autem, quod objiciebatur de Conciliis, fateor ea constare ex hominibus; quorum singuli disiunctiuè errare possunt, non tamen omnes simul copulatiuè. Quia sicut singuli per se non constituunt Ecclesiam, sed omnes simul sumpti: sic Christus non promisit singulis particularibus Hominibus infallibilitatem, seu immunitatem ab Errore, sed omnibus simul sumptis, prout Ecclesiam totam repræsentant, id est, toti Ecclesiæ. 26.

9. Vltima hæc objectio videtur omninò facere pro nobis. Nam quòd Moyses & veteres Sacerdotes tanquam Viri verè spirituales habuerint potestatem & autoritatem judicandi de omnibus Fidei Controuersiis. Num: 12. v. 7. 8. Deut: 17. v. 10. 11. Hag: 2. v. 12. manifestè patet, hanc potestatem non cuiuis priuato spirituali, priuatum Spiritum 27.

habenti concessam esse: sed solis Capitibus seu Doctoribus Ecclesiæ, quales erant Moyses & summi Pontifices veteris Ecclesiæ. Quod nunc etiam faciendum esse docuimus supra prob: 1. sententiæ nostræ. Atq; ita objectionib9 Aduersariorum satis factum est.



DE

DE VERBO DEI SCRIPTO.

DEMONSTRATIO 2.

Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia reiicit sacros Canonicos libros, quos primitiua vera Ecclesia vt tales agnouit.

CAPVT I.

Probatur à Primitiuâ Ecclesiâ omnes illos fuisse habitos verè Canonicos Scripturæ libros, quos nunc Ecclesia Romana pro talibus agnoscit.



QUosnam pro veris & Canonicis libris Ecclesia Romana teneat & admittat, explicat Concilium Trid: sess: 4. Illos autem & nullos alios ab Ecclesiâ Primitiuâ, pro talibus habitos fuisse, testantur sequentes Patres: I.

Innocentius I. Epist: ad Exuperium Tolosanum c. 7. *Anno* 402.

Concilium Carthaginense Tertium. cap. 47.

Augustinus de doctrina Christiana, l. 2. c. 6. *Anno* 400.

Gelasius Papa cum septuaginta Episcopis Tom: 2. Conciliorum in decretis. *Anno* 490.

Alcimus

Anno 500. *Alcimus Auitus* lib: ad sororem de Consolatorii Castitatis laude.

Anno 540. *Caßiodorus* lib; 1. Diuinarum Institutionum c. 13.

Anno 620. *Isidorus Hispalensis* l. 6. Etymologicon c. 1.

Et cum in particulari rejiciant Aduersarii ex veteri Testamento *Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruch, & Machabæos:* de singulis videndus est Ecclesiæ primitiuæ sensus; ac imprimis *Tobiam* agnouerunt, & infallibilem authoritatem ei tribuerunt primorum quinque Sæculorum *Pa*tres Græci 9. Latini 39. videntur olim dubitasse 4. nemo autem legitur rejecisse; post decisionem Ecclesiæ, dubitauit nemo.

Librum Judith vt Canonicum ad firmanda fidei dogmata, adhibuerunt ex Sæculis iisdem Græci patres *10.* Latini *20.* Item *Synodus Nicæna* teste Hieronymo in præfatione in librum Judith: & Concilium Carthaginense Tertium c. 47. leguntur duo dubitasse, ante decisionem, rejecisse duo, post decisionem nemo.

Baruch, Canonicum censuerunt Ecclesiæ primitiuæ Græci patres 26. Latini 25. nec non Concilium Nicænum *P*rimum. lib: 2. fol: 105. & Laodicense Can: 54. nemo dubitasse legitur, multò minus rejecisse.

De Sapientiæ autem libro sufficiat dixisse, quòd illum tanquam Canonicum agnouerint, ac proinde ejus auctoritate tanquam infal-

infallibili ſint vſi, ex quatuor primis Eccleſiæ Sæculis Patres Græci 27. Latini verò 32. Neq; ante Martinum Lutherum legitur ab vllo de ejus auctoritate fuiſſe dubitatum, tantum abeſt, vt tanquam dubiæ fidei fuerit rejectus.

Eccleſiaſticum quoq; vt Canonicum admiſerunt, ex quinque primitiuis Sæculis Græci Patres 23. Latini autem 36. prætereà Synodus Alexandrina, Epiſt: ad Epiſcop: Eccl: Catholicæ, de quo poſt Eccleſiæ deciſionem nemo dubitauit:

Duos Machabæorum libros, vt legitimos ac Diuinos ex quinque primis Sæculis agnoſcunt Græci Patres 14. Latini verò 25. Et Concilium Carthaginenſe Tertium, videntur dubitaſſe 5. ante deciſionem, rejecit omninò nemo poſt deciſionem.

Et hi ſunt libri, quos ex antiquo Teſtamento paſsim Aduerſarii rejiciunt; cùm 2.
autem multos etiam ex nouo tollant, tamen cæteris modeſtior Brochmannus de S. Scriptura. c. 1. eos arguit, qui Epiſtolam Pauli ad Hebræos, Jacobi, Judæ, ſecundam Petri, tertiam Joannis, nec non Apocalypſim è numero librorum verè Canonicorum ejiciunt; Cùm nullam ſatis juſtam cauſam, id faciendi ipſe videat. Vt eò magis mirer Wratislauienſes, qui non contenti è Veteri Teſtamento eosdem ejeciſſe, etiam ex nouo rejciiunt ſequentes, & inter Apocryphos

ponunt

ponunt Epistolam ad Hebræos, Jacobi & Judæ. Posteriorem Petri, secundam & tertiam Joannis & ejusdem Apocalypsim; in quo videntur sibi contradicere, dum asserunt hos Apocryphos noui Testamenti habere auctoritatem probandi fidei dogmata; cùm tamen, juxta illos, ea dogmata ex solâ Canonicâ scripturâ probari debeant.

In compendio Theologico Zachariæ Hermanni.

3. Ratio autem cur prædictos veteris Testamenti libros ex Canonicorum numero Aduersarii excludant, est, quòd dicti libri non habeantur in Canone Judæorum, & ideo â Christianis admitti non possint.

Verum hoc argumentum nullius est momenti; nam imprimis, quod attinet ad Machabæorum libros; illi editi fuerunt, postquam Canon Hebræorum ab Esdra consignatus fuit. quid igitur mirum est, si in illo canone non ponantur? quod attinet ad alios, sufficit, quòd Ecclesia, quæ tantæ vel majoris auctoritatis est, quàm Judæorum Canon, non aliquo futili argumento, sed authenticis omnium testimoniis permota, illos pro Canonicis habendos esse, constituerit, quâ in re si errasset, tota primitiua Ecclesia & omnes Sancti Patres errassent, in graui puncto fidei: atq; ideo in verâ Ecclesiâ non fuissent, quod ne quidem Aduersarii concedent. Nec obstat, quod isti dicant non omnes S. S. Patres pro Canonicis eos agnouisse. Respondeo enim, licet forte aliqui

eos non agnouerint, ante Ecclesiæ decisionem, simul ac tamen Ecclesia definiuit, eos pro Canonicis habendos esse, pro talibus omnes habuerunt, etiam in primitiuâ Ecclesiâ, ut patet ex Innocentio I. & aliis superiùs allatis, qui primis Ecclesiæ Sæculis vixerunt. Soli Lutherani & Caluinistæ post 1500. annos, eos rejiciunt, eò quòd mendaciis eorum videantur aduersari: quâ de re plura vide infra num: 7.

CAPVT II.

Probatur extra Ecclesiam Catholicam Romanam S. Scripturæm non posse esse fidei regulam ac normam infallibilem credendi.

Cum *Scriptura* cum *verbo tradito* fidei norma sit & fundamentum; constare debet pro certo, an illa scriptura, quam pro verâ tenemus, vera sit Scriptura. Vt autem alicui hoc constet, debet ei de sequentibus quinq; punctis esse certitudo, vt pulchrè probat Marchio Brandeburgicus in speculo Veritatis. 4.

1. Quòd omnia volumina Biblica sint verbum Dei, auctore S. Spiritu dictata.

2. Quòd in Originalibus suis incorrupta, & sine mendis ad nos usq; peruenerint.

3. Quòd omnes illi libri sint Canonici, nulli Apocryphi.

4. Quòd

4. Quòd syncerè ac legitimè sint versi.
5. Quòd genuinum, & â S. Spiritu intentum Scripturarum sensum habeat.

Sed de his omnibus Catholici Romani sunt certi, Acatholici omnes sunt incerti; ergo etiam omnes Acatholici sunt incerti, an veram scripturam habeant, & certam fidei normam. quod de singulis nunc consequenter est probandum.

§. 1.

Non habent certitudinem Scripturæ.

1. QUòd totum Volumen Biblicum sit Sanctum & â S. Spiritu dictatum, Adversarii probare nequeunt, nisi vel testimonio Ecclesiæ, vel, vt Brochmannus ait, ex internâ in vnoquoq; priuato, S. Spiritus illuminatione, vel ex efficaciâ quadam, quæ soli veræ scripturæ inest, & per quam sese legenti prodit. Sed nullo ex his modo probare possunt; ergo non probant, & consequenter non habent infallibiliter scripturam.

1. Non testimonio Ecclesiæ Catholicæ; quia hoc testimonium fatentur esse humanum, & fallibile; cùm Ecclesiæ attribuere infallibilitatem nolint. 2. non ex priuatâ S. Spiritus illuminatione, quia nemo ex Scripturâ probare potest, se talem illuminationem habere, imò neq; vllâ ratione certâ hoc quis-

quispiam de se potest affirmare. Pro claritate formo hoc argumentum, & Lutheranum interrogo. Credisne infallibiliter Volumen Biblicum esse verbum Dei an non? Si non, ejus religio tota ruit, quam in solâ scripturâ vult fundatam esse, si affirmet, & tanquam fidei articulum credat. tunc sic vrgeo. Vbi scriptum habetur, scripturam quam veram esse credis, verbum Dei esse? si respondeat, vetus Testamentum probari ex Nouo, in quo sæpe citantur Prophetæ & alij; & ita ex scripturis scriptura demonstretur. Contra vlterius sic insto: sed vbi scriptum habetur, quòd illud quod nouum testamentum esse dicis, sit verum Dei verbum? quod cùm nullibi habeatur, manifestum est ex nullo loco scripturæ posse eum certum fieri, quòd scriptura quam habet, verbum Dei sit. Deniq; non ex efficacia scripturæ, hanc enim efficaciam deberent omnes experiri, & in omnibus esset eadem ex parte scripturæ. cur ergo Caluinistæ & Brochmannus admittunt Epistolam Jacobi, quam rejiciunt Lutherani. cur illi non sentiunt eandem efficaciam quam isti? Cùm itaq; infallibilitatem Ecclesiæ Catholicæ rejiciat Lutheranus, scripturam tantùm habere potest testimonio humano; ergo de eâ certus esse non potest, & consequenter neq; de fide suâ, vel vllo fidei articulo.

§. 2.

Non habent Certitudinem Scripturæ incorruptæ.

VI. II. QUòd per tot centurias annorum Originalia Bibliorum ad nos usq; incorrupta & inuiolata peruenerint, certitudine fidei Lutheranus ſcire nequit. Vel enim ſciret hoc ab Eccleſia Catholicâ, vel ex ipſâ Scripturâ. Non primum, quia cum Eccleſiam erroribus ſubjectam & Antichriſti ſedem eſſe dicat, teſtimonium illud humanum & erroneum eſſet. Non ſecundum; quia nullum ſcripturæ locum, in quo hoc affirmetur, adferre poteſt.

Nec obſtat quod objicitur. *Verbum Dei manet in æternum*; & *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* quia reſpondeo, hæc verba tam bene dici de verbo Dei non ſcripto quàm ſcripto; & vera etiam erunt, ſi verbum Dei permaneat in verâ Eccleſiâ per prædicationem & doctrinam. Quod autem dicitur: *Nec Jota nec apex periturus* & Apoc: 22. v. 18. 19. *ſi quis appoſuerit ad hæc* &c: *& ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auſſeret DEus partem ejus de libro vitæ* &c. nihil facit pro illis. nam manifeſtum eſt, primum de Scripturâ Veteris Teſtamenti tantum; alterum etiam tantum de Apocalypſi Joannis fuiſſe dictum. Vbi au-

tem

tem hoc de totâ ſcriptura dicatur, nullibi inuenitur. Sed poſito adhuc quòd aliquid tale de totâ ſcripturâ reperiretur, unde probabunt Lutherani, hæc ipſa verba non eſſe corrupta, cum quæſtio ſit, an non Lutherani corrupta Biblia habeant? Cùm autem Lutherus & Lutherani omnes ſua Biblia Originalia ab Eccleſiâ Catholicâ acceperint, vlterius ſic vrgeo: Vel acceperunt â Catholicis biblicum volumen incorruptum, vel corruptum: ſi incorruptum; ſequitur clarè Lutheranos habere nunc Biblia corrupta, cùm omnibus conſtet, Lutherum in iis plurima mutaſſe, mutilaſſe multa, imò integros libros ſuſtuliſſe, vt ita Lutheri Biblia non amplius conueniant cum illis, quæ ab Eccleſiâ accepit. ſi corruptum; duo debent oſtendere Aduerſarii. 1. quia fieri potuit, vt ex bibliis in Originali ſuo corruptis, Lutherus incorruptam verſionem fecerit? 2. Monſtrare tenentur, & tempus, & auctores, per quos Biblia noſtra corrupta fuerint. Cùm nihil horum demonſtrare poſsint, ſequitur manifeſtè, Lutheranos non eſſe certos certitudine fidei ſe habere Biblia incorrupta.

§. 3.

Non ſunt certi de Canone.

III. QUòd Canonem verum non habeant Lutherani, hoc eſt quòd certitudine VII.

fidei ſcire non poſsint, an non libros aliquos Apocryphos pro ſacris habeant, & contra pro Apocryphis ſacros: ſic demonſtro: vel habent hanc certitudinem ex teſtimonio hominum Lutheri, Brentij &c: vel ex proprio judicio, eò quòd aliquos libros, alio ſtylo & modo à reliquis diſſono, ſcriptos eſſe judicent. Vel ex Scripturâ ſacrâ. Primum & ſecundum pura teſtimonia hominum ſunt, qui etiam inter ſe maximè diſsident, atq; adeò planè fallibilia. Tertium ex nullâ ſcripturâ poſſunt oſtendere, ſcilicet Judith: Sapientiam, & alios quos rejiciunt, non eſſe libros ſacros, & illos ſolos quos admittunt, pro ſacris habendos eſſe. Deinde, ponamus aliquos, vt ipſi ajunt SS. Patres, pro Lutheranorum Canone ſtare, certum tamen eſt, longè plures pro contrariâ parte ſentire; quis ergo controuerſiæ hujus erit Judex? imò demus omnia antiqua Concilia, Patres & totam Eccleſiam Lutheranis fauere, certi tamen eſſe non poterunt, quamdiu ipſi principiis ſuis inſiſtunt, & Eccleſiæ auctoritatem infallibilem negant. juxta illos enim Eccleſiæ totius teſtimonium fallibile & humanum eſt; ergo ratione illius certitudinem fidei habere non poterunt. Manent ergo incerti de Canone ſuo. Quòd ſi replicent, non eſſe fidei articulum ſcire, quinam libri ſint Canonici, qui non. Reſpondeo, vel Lutherani certitudi-

ne fidei certi ſunt ſcripturam ſuam Canonicam eſſe, vel non. ſi non: cadit tota eorum doctrina, quæ in ſcriptura fundatur incertùm an verâ. ſi dicant ſe certos eſſe; infallibile aliquod certitudinis hujus fundamentum oſtendant. Non ignoro quidem, Kemnitium in Exam: Concil: Trid: ſeſs: 4. affirmare, certitudinem illam ex traditionibus eſſe petendam. Si contra. Vel Traditiones iſtæ fallibiles ſunt vel non. Si fallibiles ſint, cadit hæc certitudo. Si ſint infallibiles. Eccleſiæ authoritas infallibilis erit, & omnis doctrina Lutheranorum ruit. Si dicant primitiuam Eccleſiam, quæ vera fuit, infallibilem fuiſſe, non autem modernam: tunc ſic contra: primitiua Eccleſia quæ vera fuit, declarauit omnes illos ſcripturæ libros eſſe Canonicos, quos nunc pro talibus habet Catholica Eccleſia. Nam ſub Innocentio I. qui vixit anno Chriſto 402. id manifeſtè declaratum eſt, â quo tempore per continuam 1237. annorum ſucceſsionem omnes SS. Patres & Eccleſiæ Doctores, nullo omninò excepto, idem conſtanter docuerunt, & pro talibus habuerunt. ergo Canon quem habent Catholici certus eſt, & â primitiua Eccleſia receptus; Lutheranorum autem Canon, non tantùm incertus, ſed etiam certum eſt eum eſſe falſum, cùm conſtet eum non conuenire cum illo, qui â vera primitiua Eccleſia fuit approbatus, & conſequen-

ter certus & infallibilis judicatur. Si dicant eos solos habendos esse libros Canonicos, quos in suo Canone habent Judæi: Contra interrogo, vbi habetur hoc in scripturâ? imò verò tale argumentum è contra formo. Ille Canon verus esse non potest, qui conuenit cum Canone hominum non Christianorum, hæreticorum, & tam ab Ecclesiâ quàm Lutheranis damnatorum. Sed Canon Lutheranorum conuenit cum Canone hujusmodi hominum; ergo eorum Canon verus non est. Prima propositio est certa. Secunda probatur. Lutherani rejiciunt eosdem libros, quos rejiciunt perfidi Judæi; item quos olim rejecerunt Valentiniani, Marcionistæ, Porphyriani, Arriani, Theodotiani, & alii, hos omnes cùm Lutherani condemnent ut hæreticos, eorum tamen auctoritatem omnibus SS. Patribus, & totius Ecclesiæ judicio præferunt, quis ergo non videat eorum canonem non tantùm incertum, sed etiam penitus falsum esse?

§. 4.

Non sunt certi de verâ Versione.

VIII. *IV.* QUòd Lutheranis certò constare non posit de vera & legitima versione scripturæ, sic probo: Lutheranam bibliorum Versionem cum suis fontibus rectè conuenire,

uenire, Lutherani infallibiliter ſcire neque-unt, niſi ex his teſtimoniis.

1. Vel ex teſtimonio Eccleſiæ; ſed Eccleſia, verſionem hanc condemnat.

2. Vel ex teſtimonio hoſtium Lutheranæ ſectæ, Caluini &c. Sed eam quoq; iſti omnes rejiciunt.

3. Vel ex propriâ affirmatione Lutheri; Sed Lutherus ipſe, poſt viginti annos ingenuè fatetur, ſe in verſione ſuâ ſæpius erraſſe, eò quod gloſsis Rabinorum nimium crediderit. imò demus quòd rectè verterit, vnde certitudinem infallibilem eâ de re habent? nunquid unusquisq; interpres rectè ſe vertiſſe aſſerit? id certè Beza, id Caſtalion, Munſterus, Junius, Tremelius, Oecolampadius, Bibliander, Tigurini & alii de ſe affirmant. Cùm autem ſinguli diuerſam verſionem habeant, & alteram altera condemnet, nulli fides adhiberi poteſt, niſi teſtimonium aliquod aliquis adducat, per quod in infallibilem eâ de re certitudinem inducatur.

4. Deniq; an opinio communis concepta de excellenti eruditione Lutheri, teſtimonium infallibile veræ verſionis cenſeri poterit? ſed demus eruditionem aliquam Lutherum habuiſſe, quis tamen prudens dubitare poterit, quin D. Hieronymus aliiq; multi SS. Patres â teneris & totâ vitâ, in linguis Orientalibus educati, atq; ideo in iis verſatiſſimi, longè perfectiorem linguarum notiti-

am habuerint? quin imò nullus ex ſupra nominatis aliis qui Biblia verterunt, in peritiâ ſacrarum linguarum Luthero volet cedere. Unde ergo Chriſtianus quispiam linguarum ſacrarum, aut ſanè lectionis omnis imperitus infallibiliter ſcire poterit, quæ verſio ſit vera? quidquid adferunt, ſemper idem circulus de eorum fallibilitate redit. Ulterius tamen clariùs ſic inſto. Lutherus & quicunq; alii Sectarii verſionem ſuam fecerunt vel ex ipſo primo Originali, ſeu manuſcripto Hebræo; vel certè ex ejusdem copiis, & transſcriptis libris. Non ex ipſo Originali, quod certum eſt, nunquam â Luthero cæterisq; viſum. ergo ſolùm ex copiis & tranſcriptis libris. Sed cùm haſce copias ſiue Græco ſiue Hebræo idiomate conſcriptas ſe ab Eccleſia Catholica accepiſſe, fateri debeant; quis eos aſſecurare poterit, Eccleſiam (quam ipſi falſariam ſcripturæ, & omnis abominationis matrem nominant) in illis copiis non immutaſſe multa, mutilaſſe, adjeciſſe &c? eſto jure jurando aſſerant Catholici, biblia hæc integra, & inuariata ſemper manſiſſe, tum ſic: vel juramento fidem adhibent; vel non: ſi prius, cur hac in re fidem Catholicis adhibere poſſunt, quam in omnibus aliis fidei punctis derogant? ſi poſterius; ergò nullam omninò certitudinem habent.

Non

§. 5.

Non sunt certi de vero sensu.

QUòd autem nullam infallibilitatem habeant Lutherani se verum habere scripturæ sensum, quem S. Spiritus intendit, atq; adeo, de nullo fidei articulo certos esse posse, sic probo: Lutherani in excipiendo vero scripturæ sensu nituntur 1. vel infallibili auctoritate Ecclesiæ Catholicæ, vel 2. in nudo & purè humano antecessorum suorum testimonio. vel 3. in proprio discursu, opinione, & doctrinâ suâ, quam in scripturam intelligendam adhibent. Vel 4. in priuatâ Spiritus Sancti illuminatione. Neq; aliud excogitari potest, in quo se fundare debeant. Primum non admittunt, nam Ecclesiæ infallibilitatem negant. aut si velint eam rectiùs admittere, jam vertunt folium, & Lutheranismum exuunt. Si secundum. Certè Antecessorum & aliorum Doctorum authoritas planè humana est, quam neq; ipsi ut infallibilem habent. IX.

Si 3. tunc profectò, fides eorum tota in opiniones & discursus resoluitur humanos, ex quibus nihil minus, quàm fidei infallibilitas oriri potest. Si deniq; 4. ipsis incumbit probare ex Scripturis se Spiritus S. illuminatione doceri; nam si aliunde probent, erit alia omnis probatio humana, ex

ſcripturis nunquam probabunt. Coguntur ergo fateri Lutherani ſe nullam infallibilem Scripturæ explicationem habere, & conſequenter non poſſe demonſtrare infallibiliter ex ullo ſcripturæ loco. 1. eſſe Deum, tres perſonas, Infernum, Cælum, Chriſtum paſſum, reſurrexiſse, & alia ſimilia, quæ certâ fide credimus. Nam licet omnes ſuæ fidei articulos ex ſcripturis probare ſatagant, ſi tamen vrgeantur, & rogentur vnde ſciant, infallibiliter iſtum & non alium eſſe hujus ſcripturæ ſenſum, ad unum ex quatuor ſupradictis confugere coguntur, quæ omnia, cùm planè ſint fallibilia, omnes eorum fidei articuli fallibiles erunt.

X. Deniq; ſic concludo: ille non eſt verus ſcripturæ ſenſus, qui non conſentit cum illo, quem vera & primitiua Eccleſia intellexit: Sed ſenſus, quem eliciunt Lutherani, nequaquam conſentit cum Eccleſiæ veræ ſenſu: ergo. Prima propoſitio præterquam quòd clara ſit & certa, etiam â D. Paulo confirmatur, *1. Cor. 12. v. 27.* ubi aſſerit donum interpretandi ſcripturam nullibi, niſi in verâ Eccleſiâ, per totum Orbem diffuſâ inuenire poſſe. 2. propoſitio ab enumeratione ſic probatur. Verba Pauli 2. Theſsal: 2. v. 14. *tenete traditiones* &c. vetus & primitiua Eccleſia non de ſcriptis tantùm, ſed etiam de non ſcriptis traditionibus intellexit. ita Chryſoſtomus Epiphanius, Baſilius, Damaſce-

mascenus & alii, vt ostendetur demonstratione proxima, sensum illum Lutherani & alii Sectarii modò negant. Item illa *pasce oues meas*, & *tibi dabo claues regni Cælorum.* Hæc de Petro principaliter, non aliis Apostolis æqualiter esse dicta, Ecclesia primitiua asserit; negant modò Lutherani. Item tres annos cum dimidio vltimis diebus regnaturum Antichristum, *ex Apoc. 11.* v. 2. 3. affirmat vetus Ecclesia. Sensum inuertunt Lutherani & Pontifici attribuunt. Item ex Sacrificio Melchisedech, ex verbis Malach. c. 6. & aliis, Sacrificium Missæ probauit antiquitùs Ecclesia. Negant hæc omnia Lutherani & in alium sensum torquent. Epist. Paul. ad Rom. & ad Galatas de bonis operibus legis non necessariis semper explicuit & explicat Ecclesia, aliter Lutherani, qui ad omnia opera hæc extendunt, & meritum omnium operum negant, ab aliis hæreticis damnatis sensum illum mutuati, quod in omni ferè doctrina eorum videre est; in qua Simonianorum, Arrianorum, Donatistarum dogmata ab Ecclesia primitiuâ damnata sequuntur. Ex quibus omnibus jam dictis sic infero: ergo Lutherani, dum certi non sunt, se habere veram scripturam, verum Canonem, legitimam Versionem, neq; verum scripturæ sensum, non possunt etiam esse certi se habere veram fidem; nam fides quæ ex falli-

bili

bili Scripturâ probatur, necessariò etiam fallibilis esse debet.

CAPVT III.

An Scriptura clara sit an obscura?

NOn quæritur an omnis omnino scriptura sit ita clara, ut nihil inea difficile intellectu inueniatur. non enim ita claram esse, nobiscum fatentur prudentiores Aduersarii juxta illud *2. Petr*, 3. *v.* 16. Sed quæritur; utrum omnia quæ cuiuis homini ad salutem creditu necessaria sunt, in scripturis facillima sint intellectu, & omnibus perspicua. Affirmant Aduersarii. Catholici sic sentiunt:

Licet in scripturis consideratâ solâ literâ, quidam capitales fidei articuli, de Christi incarnatione, vitâ, pasione, resurrectione &c: ita clari sint, & perspicui, vt cuiuis simplici legenti manifestè pateant; & circa hos nihil sit amplius scitu vel creditu ad salutem præcisè necessarium. Nihilominus tamen cùm profundisima fidei Mysteria, per quæ ad perfectiorem & profundiorem notitiam de Christo perueniri potest (qualia sunt Christum esse Deum, â Patre Cælesti ab æterno genitum, secundam in Trinitate personam, cum humanâ naturâ hypostaticè unitam &c:) in errores facillimè inducant eos, qui ex sola scripturæ literâ, mysteria hujus-

hujusmodi eruere nituntur (quod Ario, Eutycheti, Nestorio, aliisq; contigit,) negant Catholici hæc ita clarè in scripturis proponi, vt ad vitandos innumeros errores & hæreses, non sit necessaria præterea aliqua vera & certa interpretatio, quæ ex purâ literâ scripturæ haberi nequit, nisi accedente Traditione Apostolicâ; per quam verus sensus sub ejusmodi literâ latens clarè & manifestè possit explicari, cùm enim omnis sit prohibita infidelitas, fit, vt quamuis aliquam fidei Veritatem absolutè non necesse habeas nosse & credere; sub conditione tamen debeas illam & credere & nosse. scilicet si contingat tibi ejusmodi veritatem cum opposito errore proponi.

Dicunt ergo Catholici multos in S. scriptura tales contineri fidei articulos penitùs obscuros, qui ab omnibus intelligi non possunt.

Probatur hæc doctrina ex variis scripturæ locis, in quibus fidei articuli proponuntur.

I. Clara quidem verba sunt Matth: 26. v. 26. *Hoc est corpus meum.* Zwinglianis tamen videntur obscura & figurata & illa ibidem: *bibite ex hoc omnes:* videntur clarissima & nobis & Lutheranis & tamen diuersissimè explicantur.

Nos

Nos enim cùm legimus Marc: 14. v. 23. *& biberunt ex eo omnes*, quod de duodecim Discipulis intelligitur, scripturam per scripturam interpretantes dicimus; Dominum duodecim discipulis tantùm, dixisse: *bibite ex hoc omnes:* Brentius tamen & Lutherani omnes, affirmant hic præcipi non solùm Apostolis, sed aliis etiam omnibus, ut ex calice bibant. Et cùm petitur an etiam Turcæ, & Judæi & infantes bibere debeant, adjungunt glossam *omnes* id est, omnes fideles adulti.

2. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Ioan: 6. v. 55. quomodo hæc verba explicabit, si conferat locum alium ibidem. *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quidquam?*

3. Item Rom: 1. v. 25. *Circumcisio quidem prodest, si legem obserues*, nunquid si puram literam spectent, Lutherani se circumcidere debebunt? & quomodo conciliabunt illud Gal: 5. v. 2. *Si circumcidamini Christus vobis nihil prodest?*

4. Item Rom: 3. v. 26. *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus.* quantas non dissensiones inter Catholicos & Lutheranos hæc verba pariunt: quod non fieret, si omnium judicio clara essent. dicente è contra Jacobo 2. v. 20. *Fides sine operibus mortua est.* & ibidem: *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.*

5. Cum

5. Cùm de fide ſint, ſupra inſinuata, Chriſtum eſſe Deum, à Patre genitum ab æterno, ſecundam perſonam Trinitatis, eamq; naturæ humanæ hypoſtaticè vnitam, & alia ſimilia. vbi oſtendent Aduerſarii, hæc clarè & perſpicuè ex ſolâ literâ ſcripturæ demonſtrari poſſe? ergo interpretatione opus eſt.

Omitto alia innumera, imò omnes fidei articulos inter Catholicos & Aduerſarios controuerti ſolitos, quos hi conantur ex ſcripturis demonſtrare & confirmare: Catholici autem ex eadem ſcripturâ, ſed aliâ interpretatione â SS. Patribus & Doctoribus primitiuæ Eccleſiæ deſumptâ, verum ſenſum & ejus intellectum pro ſuâ ſententiâ & doctrinâ probant.

Deniq; ex ſententiâ Aduerſariorum, XIII. obſcuritas ſcripturæ in rebus fidei probatur: Nam ſi tam clara, vt ajunt, ſcriptura foret, cur tot in ſcripturam commentationes Lutherus & Lutherani facerent, ferè omnes inter ſe diuerſas? cur verſiones tam diſſonas ederent in lucem? cur tam inconſtanter & variè ſcripturam explicarent? Certè Oſiander in confutatione ſcripti, quod contra ſe Philippus ediderat, ingenuè fatetur, viginti ſententias diuerſiſſimas de Juſtificatione ſecundùm ſcripturas verſari inter ſolos Confeſsioniſtas. Et quid magis ad fidem pertinet quàm Juſtificatio? Et Lutherus ipſe in lib: 1. contra Zwinglium & Oecolampadium,

dium, ſcriptum reliquit: *Si diutius ſteterit mundus, iterum fore neceſſarium propter diuerſas ſcripturæ interpretationes, quæ nunc ſunt, ut ad conſeruandam fidei vnitatem, Conciliorum decreta recipiamus, atq; ad ea, confugiamus.*

Sed hæc omnia Brochmannus de ſcrip: c. 2. q. 16. eludere conatur affirmando, *ſcripturas his non eſſe perſpicuas, qui non ſatis attentè eas legunt; vel quod legunt cum curâ & induſtriâ non perpendunt. vel diuinum auxilium pro impetrando genuino ſcripturarum, ſenſu, eâ qua par eſt deuotione & aßiduitate non implorant, vel in phraſibus ſcripturæ expendendis, negligentiores ſunt, vel deniq; præjudicio, confidentiâ, inuidiâ, odio, ambitione, aliisq; prauis affectibus faſcinati, in ſcripturas temerè irrunt, & non ſolius veritatis, & veræ vitæ quærendæ ſtudio, ad literarum ſacrarum lectionem piè accedunt.* Hæc omnia cùm Brochmannus deſideret in illis, qui ſcripturas interpretari volunt, duo facit.

I. Manifeſtè fatetur ſcripturas in fidei articulis obſcuras eſſe; Nam cur tanto apparatu opus eſt in re clarâ & perſpicuâ interpretanda? cur cum tantâ pietate & aſsiduitate inuocandus DEus, cùm tantâ diligentiâ perpendendæ phraſes &c: ſi omnia clara ſint & manifeſta?

II. Lutheranos imprimis ac omnes alios ſectarios ac ſe ipſum condemnat. Nam cum

hi omnes

hi omnes tam variè & contradictoriè scripturas explicent, & vna tantum interpretatio possit esse vera, manifestè sequitur, omnia supradicta in istis interpretibus defuisse, & tantùm vnum attingere potuisse veritatem. Si ergo Brochmannus asserat, se omnia illa præstitisse, quæ in interprete requirit, atq; ideo se verum scripturæ sensum assecutum esse, Caluinum, Lutherum, Philippum, & alios cum quibus non consentit, condemnat oscitantiæ, odii, ambitionis, &c. & consequenter falsitatis. Quod quâ ratione probaturus sit, ipse viderit. Deniq; condemnat omnes SS. Patres & totam veram primitiuam Ecclesiam, â qua in scripturis explicandis circa articulos fidei, maximè dissentit.

Et quis non videat apertissimæ insaniæ esse, affirmare Lutherum vel vllum Lutheranum majori cum industria, scientia, assiduitate, deuotione erga Deum, deposito odio, ambitione, & aliis supradictis vitiis accessisse ad explicandam sacram scripturam, quam Augustinus, Ambrosius, Irenæus, Cyprianus, totaq; primitiua Ecclesia ad scripturas intelligendas accesserint? Vel ergo primitiua Ecclesia, quæ etiam Aduersariorum judicio vera fuit, & omnes Patres, quos ipsi pro Sanctis habent, scripturam in articulis fidei bene interpretati sunt vel malè.

Si malè, Ecclesia primitiua non potuit esse vera, nec patres potuerunt esse sancti. Veritas enim Ecclesiæ & hominum sanctitas cum erroribus grauibus fidei, stare non potest. Vel bene interpretati sunt; ergo Lutherani & omnes alii sectarii, qui contradictorias explicationes adferunt, scripturam malè intelligunt. Sequitur igitur manifestè scripturam illis obscuram esse.

XVI. Tandem palmarium argumentum, quo Brochmannus se demonstrare putat scripturæ claritatem, desumit ex Paulo ad Rom: 10. v. 6. 7. 8. *Ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in Cælum? id est Christum diducere, aut quis descendet in Abyssum? hoc est Christum à mortuis reducere? prope te est verbum in ore tuo, & in corde tuo; hoc est verbum fidei quod prædicamus*; ergo omnia quæ sunt de fide clara sunt, in corde & in ore omnium.

Sed horum verborum sensus, iste clarus est, & certus: ne dicas ad certitudinem fidei, & ad justificationem opus est Christo præsente, vt eum videamus, ejusq; aspectu & præsentiâ sanemur & justificemur. & ita ipse vel de Cælo vel inferno reuocandus sit. Non putes hoc â te peti: propinquus enim & facilis jam est modus justificationis, si in Christum credas mortuum, & resuscitatum, licet absentem & corde & ore ipsum profitearis. q. d. Ne dixeris ô Judæe legi assuete,

Lex

Lex Moysi nobis vicina est, & plana, fides & justitia Christi salutem quidem promittit, sed obscura est & remota: nam erras & falleris, non ita quidem se res habet; quia *prope est Verbum* (justitiæ & salutis) *in ore tuo & in corde tuo, hoc est verbum salutis quod prædicamus.* corde & ore credendo & confitendo Saluatorem, quem vobis prædicamus. Qui sensus cùm genuinus & clarus sit, nihil omninò facit pro Aduersariis, imò plurimum pro nobis.

Alia verò quæ adducit pro scripturæ claritate Brochmannus, videlicet verbum DEi *lucem esse splendentem in caliginoso loco.* 2. Petri. 1. v. 19. *Verbum DEi lucernam esse pedibus nostris & lucem itineri nostro* nihil aliud probant, quàm scripturam quando bene intellecta est, mentem illustrare, & iter ad Christum dirigere, juxta illud Psal: 118. *declaratio sermonum tuorum illuminat & intellectum dat paruulis.* Cùm & aliæ sunt scripturæ plurimæ, quæ obscuritatem ejus ostendant. Psal: 119. v. 12. *doce me justificationes tuas.* v. 18. *reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* v. 27. *Viam justificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.* v. 33. *Doce me Domine viam justificationum tuarum.* Et aliis in locis sæpissimè. Ex quibus manifestum est, Dauidem virum sanctum, in Hebræis versatis- XVII.

ſimum, ſcripturam omnem non intellexiſſe, & petiiſſe ſibi oculos â DEo aperiri, vt eam poſſet intelligere. quomodo ergo dicetur eſſe clara & Lutheranis aperta & perſpicua?



DE VERBO TRADITO.

DEMONSTRATIO. 3.

Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia Traditiones rejicit quas vera primitiua Ecclesia admisit.

CAPVT. I.

Quid sint Traditiones & an admissæ fuerint in verâ Ecclesiâ primitiuâ?

TRaditiones vocamus declarationes, quibus ostendimus ab ætate Apostolorum ex continuâ successione temporum, & quotidianâ Ecclesiæ praxi, talem rem sic institutam, aut talem locum (quicunq; ille sit) taleq; dogma, hoc vel illo modo acceptum vel accipiendum esse. Omissis ergo Traditionibus veteris Testamenti, duplicis generis in nouo reperiuntur. I.

I. Diuinæ sunt, & Apostolicæ, quæ parem cum Scripturâ autoritatem habent, & partim ad fidem, partim ad mores & externos ritus pertinent.

II. Aliæ sunt, non quidem Apostolicæ sed Ecclesiasticæ, quæ licet parem auctoritatem

non habeant, meritò tamen â Christianis seruandæ sunt.

Hujusmodi autem Traditiones in Ecclesiâ dari probatur 1. ex sacra Scripturâ.

II. I. Joan: 21. v. 25. *sunt autem & alia multa quæ fecit JEsus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror Mundum capere posse, qui scribendi sunt, libros.* ex quo loco Brentius prolegom: de Traditionibus fatetur certum esse multa dixisse & fecisse CHRistum, quæ sacris literis non continentur.

II. 2. Thess: 2. v. 15. state & tenete Traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram. in quem locum ita scribit Chrysostomus: *hinc patet quòd non omnia per Epistolam tradiderit, sed multa sine litteris, eâdem fide verò digna sunt tam illa, quàm ista.*

III. 2. Timoth: 2. v. 2. *quæ audîsti â me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* nihil hic dicit de scripto, sed de verbis quæ audiuntur.

IV. 1. Cor: 11. v. 2. *laudo vos Fratres quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea, tenetis.* quænam autem illa sunt præcepta, vbi & scripta? & cùm multa in hoc capite de communione dixisset tandem concludit, *cætera autem cùm venero, disponam.* vbi verò sunt illa, quæ ibidem disposuit? non ignoro Adversarios effu-

gium

gium quærere, & affirmare, hæc & similia, quæ se dixisse aut disposituros scribebant Apostoli, postea ab iisdem vel aliis scripto tradita esse, seu in scripturam translata. quod præterquam temere ac sine fundamento asserant, etiam falsum esse sic probo: quod Ecclesia vera, quæ immediatè successit Apostolis, in articulis fidei sine scripturis credidit, hoc nunc etiam nobis credendum est. sed Ecclesia vera seu primitiua credidit, multas esse Traditiones, ab Apostolis non mandatas scriptis. ergo nunc etiam credere debemus hujusmodi Traditiones esse, & consequenter Apostolos non omnia scriptis mandasse. Major est certa etiam apud Aduersarios, nisi dicere velint Ecclesiam totam primitiuam errasse. Minor probatur, ab Autoritate multorum Patrum, qui quinque primis sæculis, hoc est in primitiua Ecclesia vixerunt.

Patres Græci. II.

Anno 100, *Dionys: Ariopag: de* Eccles: Hierarch: c. 1, *necessariò itaque primi illi nostri Sacerdotalis muneris Duces, cùm ex summâ supersubstantialique Deitate, ipsi sancti muneris plenitudinem & id ipsum deinceps proferre ac propagare â diuinâ bonitate missi essent &c. summa illa & supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis (juxta quod sacræ definiunt leges) nobis tradiderunt.* *Anno. 100.*

Anno 150. *Papias L. 4. operis sui. non ex illis qui aliena & noua mandata commemorant; sed ex his, qui recordatione renouant ea, quæ sunt à Domino per fidem tradita, & ab ipsa veritate profecta, voluptatem capio; Si quis Presbyter mihi fortè occurrebat, qui cum Apostolis conuersatus fuißet, dicta Apostolorum ab eo diligenter sciscitatus: nempe quid Andreas dixißet, quidnam Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus &c. & alii Discipuli Domini locuti fuißent: neque enim ea, quæ ex libris petebantur, tantum mihi subsidii allatura existimaui, quantum ea, quæ acceperam ex hominum voce & sermone, qui adhuc in vitâ manebant.*

Anno 180. *Irenæus* L. 3. c. 4. *oportet quæ sunt Ecclesiæ cum summa diligentia diligere & apprehendere veritatis Traditionem. quid enim? si aliquibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonnè oporteret in antiquißimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt. & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum & re liquidum est? quid autem si neque Apostoli nobis reliquissent scripturas, nonnè oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt eis, quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi aßentiunt multæ gentes Barbarorum eorum, qui in Christum credunt sine charta & atramento, scriptam habentes per Spiritum Sanctum in cordibus*

dibus suis salutem, & veterem Traditionem diligenter custodientes. Anno 200.

Clemens Alexandrinus L. 7 stromatum cap 9. *Homo DEi esse, & Deo fidelis esse perdidit, qui aduersus Ecclesiasticam recalcitrauit Traditionem, & in humanarum hæresium desiluit opinionem.*

Origenes Tract: 29. in Matth: *nos illis credere non debemus, nec exire â prima & Ecclesiastica Traditione, nec aliter credere nisi quemadmodum per successiones Ecclesiæ DEi tradiderunt nobis.* Anno 240.

Et in procem: L. 1. de principiis: *illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiasticâ discordat Traditione.* Idem inculcat in hom: 5. super Num: & in c. 6. Ep. ad Rom. & alibi sæpe.

Eusebius. Cæsariensis L. 1. demonstrat: Euang: cap. 8. *Christi Discipuli, quæ â perfecto suo Magistro præcepta fuerant ea ipsi partim litteris partim sine litteris, quasi jure quodam non scripto seruanda commendarunt.* Idem contra Marcellum Episc. Ancyran: Anno 320.

Athanasius Epistola ad Epictet: & Ep. ad omnes orthodoxos cùm per Arrianos persecutio fieret. Et in decretis Synodi Nicenæ contra Eusebium. Anno 340.

Basilius Magnus de Spiritu S. c. 27. & lib. 1. contra Eunom: & homil. 28. contra Sabell: Arium, & Anomæos. Item Ep. 60. & 61. Anno 370.

Cyrillus Hierosolymitanus Cateches. 5.

Anno 380. *Gregorius Nanzianzenus* in Carmin: de Spiritu S.

Epiphanius Hæresi 55. & 61. & 69. & 75.

Anno 400. *Joannes Chrysostomus in 2.* Thessal. orat 4.

Honorius & Theodosius A A. in L. 2. Cod. Theod. eodem tit:

Anno 430. *Proclus Constantinopolitanus* Ep. ad Armenios.

Cyrillus Alexandrinus ad Theodosium de recta fide & aliis quinq; in locis clarissimè.

Joannes Episcopus Antiochenus Epis: ad Nestorium.

Clerus Constantinop. ad Synodum Ephesinam *toti in hoc sumus vt SS. PP. Traditionem inconcussam seruemus.*

Omitto alios plurimos tam hujus 4. quam 5. sæculi Patres, qui Traditiones non esse tantùm, sed & necessariò seruandas esse clarissimè docuerunt.

III. *Patres Latini.*

Anno 200. *Tertulianus de* corona Militis c. 2. & 3. & clarissimè quarto *harum & hujusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam inuenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix, Rationem Traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies aut ab aliquo qui perspexerit, disces.* & alia multa.

Cypri-

Cyprianus Ep: 69. L. 4. Epiſ: *Anno* 250.

Hilarius ad Pſalm. 2.

Liberius Papa ad Conſtantium Auguſt:

Ambroſius de fide l. 3. c. 7. & ſerm. 34. de quadrageſima & Ep. 82. *Anno* 370.

Damaſus Ep. ad Epiſc: Illiriæ. *Anno* 380.

Pacianus Epiſt. ad Sympronianum Nouatianum.

Hieronymus Dialo: aduerſus Luciferanos c. 4. & Epiſt. 28 ad Lucinium. *Anno* 390.

Ruffinus Eccl. Hiſt. L. 2. c. 9.

Gaudentius Reſpon: ad Geminium de Villico iniquitatis. *Anno* 400.

Auguſtinus L. contra Creſco: c. 33. & L. 2. c. 32. & adhuc octo in locis.

Innocentius 19. Epiſt. ad Decentium Eugubinum. *Anno* 406.

Paulinus Nolanus in Carmine Euchariſtico. *Anno* 410.

Cæleſtinus Epiſto: ad Galliæ Sacerdotes. *Anno* 428.

Vincentius Syrinenſis aduerſus hæreſes. c. 3. & c. 32. *Anno* 435.

Petrus Chryſologus ſermone 85. *Anno* 440.

Leo primus ſerm. 2. de jejunio Pentec: c. 3. & alibi. *Anno* 450.

Salonius in prou: Salom: *Anno* 480.

Vigilius Tridentin.: l. 1. contra Eutychen. & alii multi tam ex hoc ſæculo quàm ex ſequenti quinto. Quin imò ipſi Aduerſariorum Duces Traditiones rejicere non audent. *Anno* 490.

Mar-

Martinus Lutherus Ep. ad Marchionem Brandenburgum quæ exstat tom. 2. germanico fol. 243 *periculosum & horrendum est, quidquam audire vel credere, quod aduersatur vnanimi testimonio fidei & doctrinæ Sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ, quam illa inde ab initio per annos plus mille quingentos seruauit.*

Philippus Melanchthon ad Joannem Cratonem Medicum Vratislauiensem: *Existimo autem ad confirmandas mentes consensum vetustatis plurimum valere, &c. Optimi Magistri atq; Duces nobis esse possunt Irenæus, Tertulianus, Augustinus qui plurima hujus generis posteritati reliquerunt. Ex his monumentis quiuis cognoscere poterit, ipsos imprimis adhibuiße, fidei quam vocabant regulam; huic jungebant piorum atq; eruditorum suffragia, consensumq; Apostolicarum Ecclesiarum: hoc est earum, quas vel ab ipsis Apostolis, vel ab Apostolicis, vt vocabant, viris originem duxisse constabat.* Ex quibus omnibus testimoniis ista deduco. 1. quòd vera primitiua Ecclesia multas obseruauerit Traditiones ab Apostolis & Discipulis Christi acceptas, quæ scriptæ non fuerunt. 2. quòd Lutherana Ecclesia non sit vera Ecclesia, quia non seruat ea, quæ Ecclesia primitiua, quæ vera fuit, obseruauit.

CAPVT II.

Traditionum veritas & necessitas.

Multa de Traditionibus falſa nobis impingunt Aduerſarii, vt Inuidiam concilient. ajunt enim nos dicere ſcripturam ſine Traditionibus humanis eſſe imperfectam & inſufficientem, quod falſum eſt, nihil enim ſimile de Traditionibus humanis docemus, ſed de Apoſtolicis, quæ diuinæ non humanæ cenſentur, per quas multa loca ſcripturæ declarari debent, vt oſtendemus infra de neceſsitate Traditionum. IV.

2. Ajunt nos docere omnes etiam minutas Traditiones, quæ in Eccleſiâ ſunt, Apoſtolicas eſſe. quod falſum eſt. diſtinguimus enim inter Apoſtolicas & Eccleſiaſticas: illas ab Apoſtolis acceptas, has poſt eorum tempora â Prælatis Eccleſiarum introductas, affirmamus, & veritatem Traditionum Apoſtolicarum ſic probamus. Tam vera ſunt quæ Apoſtoli & alii immediati Chriſti Diſcipuli circa res fidei dixerunt oretenus, quàm ea quæ nobis reliquerunt in ſcriptis: ergò tam erunt veræ Traditiones Apoſtolicæ quàm ipſa Scriptura: antecedens probatur; quia Spiritus S. tam inſpirauit Apoſtolis illa, quæ verbo circa dogmata fidei docuerunt, quàm ea, quæ circa eadem ſcriptis mandârunt. quod niſi concedant Aduerſarii; fateri cogentur Apoſtolos in rebus fidei verbo tradendis, errare potuiſſe; & ſic conſequenter ſuſpectam reddent falſitatis totam ſcripturam, ſi enim in verbo potuerunt errare

Apo-

Apoſtoli, etiam errare potuerunt in ſcripto. ergo tam vera ſunt Apoſtolorum dicta quàm ſcripta.

V. Nec quidquam ad rem facit, quod Aduerſarii quidam opponunt; videlicet nullibi ſcriptum haberi illas Traditiones, quas Eccleſia Catholica pro Apoſtolicis habet, verè Apoſtolicas eſſe. Nam ſi hoc ex ſcripturis deberet oſtendi; neceſſarium eſſet illud probari vel ex ſcriptis Canonicis, & tunc Traditiones non eſſent verbum traditum ſed ſcriptum, (& tamen adhuc Traditiones neceſſariæ forent ad oſtendendum verbum ſcriptum, ex quo iſtud deſumitur, verè Canonicum eſſe) vel deberet probari ex aliis ſcriptis & auctoritatibus eorum, qui conuixerunt Apoſtolis: & ſic probant Catholici, ut oſtenſum ſuperiori capite. quorum Auctoritatem & teſtimonia ſi nolint Aduerſarii admittere, nunquam probare poterunt ſe habere veram ſcripturam; tam enim verum eſſe ſcimus, Traditiones quas vocamus Apoſtolicas, veras & Apoſtolicas eſſe; quàm ſcimus eſſe verum, ſcripturam aliquam exſtare, quæ certa infallibilis & â Spiritu Sancto dictata ſit.

Vtrumq; enim ex eâdem auctoritate & affirmatione veterum, Patrum & Eccleſiæ primitiuæ habemus. Ergo ſi quidquam doctum, vel actum â Chriſto & Apoſtolis eſſe nobis conſtet eâdem viâ, quâ conſtat

Evan-

Euangelium Joannis vel Marci verum & genuinum esse, non potest fides Christiana magis vnum rejicere quàm aliud.

Nec obstat II. quòd replicant alii; videlicet posse Traditiones nonnullas admitti; nullos tamen quæ ad salutem necessariæ sunt. hoc enim est falsum; imò plerasq; Traditiones Apostolicas ad salutem necessarias esse, sic probo: VI.

I. Ipsa fundamenta Christianæ fidei ex Traditione tenemus. Nam scripturam aliquam sacram & diuinam esse, in qua Religio Christiana tota fundata est, nullibi scriptum inuenies, sed sola Traditio confirmat, licet enim scripturæ aliquo in loco assererent, Prophetarum & Apostolorum scripta sacra & diuina esse; unde constabit ea loca, in quibus hoc ipsum asseritur, diuina & infallibilia esse? sic namq; de Alcorano legimus scriptum, eum sacrum ac diuinum esse, hoc ipsum tamen non credimus, quia libro illi diuinitatem affirmanti de se, non fauet vlla diuina Traditio.

II. Totam scripturam præsertim in iis, quæ ad fidem & salutem necessaria sunt, nobis saluam & incorruptam manere fidei articulus est. V. g. Euangelium quod pro Marci vel Joannis habemus, illud ipsum esse, quod Spiritu Sancto tradente per Marcum aut Joannem conscriptum est, quod VII.

cùm

cùm nullibi scriptum sit solà Traditione tenemus.

VIII. III. Fide tenendum est nos verum ac legitimum scripturæ sensum habere, in iis quæ ad fidei dogmata spectant.

IX. IV. Spiritum S. â Patre Filioq; procedere de fide est, & licet illud legamus in Symbolo, in scriptura tamen nullibi legitur procedere â Filio sed tantùm â Patre. *Joan: 15.v.26.*

X. V. Fide credimus ad validitatem Baptismi requiri hanc formulam verbis expressam, *ego te baptizo in nomine Patris &c.* hoc autem ita requiri nullæ sacræ litteræ tradunt.

Omitto alia, vt non esse rebaptizandos Hæreticos ad Ecclesiam Catholicam conuersos. Baptizandos Infantes. Esse Sacramenta, & alia quæ ex nulla scriptura demonstrari possunt, sed ex solis Apostolicis Traditionibus habentur. Hæc omnia & Verbum DEi & Sacramenta sunt. Verbum DEi autem & Sacramenta necessaria sunt ad salutem, ergo & istæ Traditiones ad eandem erunt necessariæ.

XI. Præterea Traditionum necessitas probatur ad explicandam Sacram scripturam. V. g. *hoc facite in meam commemorationem.* & *debetis alter alterius lauare pedes.* Vtrumq; eodem modo est præceptum: illud percipiendæ Eucharistiæ: hoc lauandi pedes. cur vltimum non seruatur? nisi ergo ex Apostolica

licâ Traditione & Ecclesiæ continuâ praxi constaret non esse præceptum Christianis; quomodo vrgenti præceptum, *debetis, faciatis*, resistere quis poterit?

Quid respondebitur Marcionistis & Cerdonianis negantibus Euangelium Mathæi & Marci legitimum esse? vt refert Tertul: lib. de præscriptione & lib. 4. contra Marcin: Irenæus lib. 3. c. 11. Philast: c. 45. Epiphanius hæresi 40.

Quomodo resistetur aliis hæreticis varia Euangelia tollentibus? non aliâ profectò viâ retundi possunt, quàm quia prò genuinis & veris Euangeliis ab initio Ecclesiæ semper habita fuerunt.

Addo pro conclusione, si Christus & Apostoli nihil voluissent â nobis credi, vt dictum & doctum â se; nisi quod nobis ostenderetur litteris consignatum: ergo pereunte Sacro textu (sicut de facto multa perierunt) nihil amplius Ecclesia teneretur credere, etiamsi constaret illud â Christo doctum; quia nimirum ea tantùm credere tenetur, quæ scriptis ostendi possunt. quod falsum esse manifestum est. Nam licet ab inimicis Christianæ fidei comburerentur omnes libri sacri, non tamen combureretur fides; quia non characteres nigri vel alio colore picti, sed doctrina Christi, quæ per hos characteres nobis innotescit, â nobis creditur nosq; Christianos efficit; ac pro- XII.

inde siue hæc doctrina Christi & Apostolorum per chartas siue per voces & continuam Traditionem ab Apostolorum temporibus huc usq; propagatam, nobis innotescat, eodem modo nos Christianos facit. Ex quibus manifestè patet, non minorem verbo DEi Tradito quàm scripto fidem adhibendam esse. & tam illud quàm hoc ad salutem esse necessarium.

CAPVT III.

Objectiones Aduersariorum refutantur.

XIII. ARgumenta quibus Aduersarii & præcipuè Brochmannus Traditiones conuellere nituntur, in compendium redacta sunt hæc.

I. Conuenire maximè videtur DEi bonitati, vt ea omnia, quæ nobis creditu necessaria sunt, Apostolis planè manifestauerit. & illi hæc omnia perfectè annunciauerint, & eadem omnia scripto planè & perfectè ad posteritatem transmiserint.

Respondeo Christum quidem Apostolis omnia manifestasse, & hos omnia annunciasse, non tamen scripto omnia sed quædam voce. nec quidquam ad rem facit, quod replicat Brochmannus ex Deut: 12. v. 32. *quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino; nec addas quidquam, nec minuas.*

ergo

ergo omnia in scripturis continentur ad salutem necessaria sine Traditionibus. Hic enim inculcat Dominus præcepta Mosaïca, seu cæræmonialia, integrè seruanda non addendo nec diminuendo. V. g. *die 8 circumcidetur Infantulus* Leuit. 12. v. 2. non licebat, nec ante, nec post diem octauum, circumcidere Infantulum. Deinde si hæc instantia valeret, non liceret nobis obseruare legem Euangelicam, quæ postea tamen tota est addita. Itaq; non sequitur: Judæi ad Legem Mosaicam nihil potuerunt addere, ergo nec Christiani quidquam possunt addere. Tandem quæro: Judæis nè solis hoc mandatum est, an etiam Christianis? si Judæis solis; cur illud ergo contra Christianos adferunt? Si & Christianis; cur Lutherani se non circumcidunt? ergo si Brochmannus quidquam probare velit contra Christianos, adferat necesse est, locum aliquem similem ex novo Testamento, vbi verbo scripto nihil addere vetatur. pro quo

Objicit 2. *si quis Euangelizauerit vobis præter id quod accepistis, anathema sit.* Gal: 1. v. 8. ergo etiam in nouo Testamento vetatur verbo scripto aliquid adjungere. XIV.

R. 1. scopum Apostoli attendendum esse. contra Judaizantes enim loquebatur, qui *præter* id est *contra* Euangelium etiam inducere volebant Judaismum, non secus ac si quis Christianismo vellet inducere Turcis-

mum; is, *præter*, id est, *contra* Christianismum nouam Sectam induceret.

R. 2. non dicere Paulum præter id quod *scripsimus* sed quod *Euangelizauimus*, aut *accepistis*, Euangelizare autem est voce potiùs quàm scripto doctrinam Christi annunciare, quam Galatæ non minus voce quàm scripto poterant accipere.

R. 3. Voculam illam *præter* manifestè accipiendam esse pro aliquo, quod ab eo quod docuerat sit alienum, aut illi contrarium. nam si significaret *vltra* (vt volunt Aduersarii) Paulus sibi contradiceret; quia post hanc Epistolam adhuc scripsit alias, imò & totum Joannis Evangelium postea conscriptum est, quibus proinde fides non esset adhibenda, quia *ultra* quæ Paulus scripserat ad Galatas, superaddita fuerunt.

XV. Objicit 3. *Irritum fecistis mandatum DEI propter Traditionem vestram.* Matth. 15. v. 6. Deinde Christus Aduersariis volens demonstrare veritatem, cum illis disputando semper, citauit scripturas nunquam autem Traditiones. ergo Traditionibus non est adhibenda fides.

R. locum illum Matth. 15. agere de Traditionibus Judæorum propriis & merè humanis, (ideo addit *Traditionem vestram*) non autem de diuinis. Quòd verò Christus in retundendis Aduersariis nunquam vsus fuerit

Tra-

Traditionibus, nihil refert, cum iis non indigeret ad probandam divinitatem ſuam, per ſcripturas, miracula, aliaq; teſtimonia ſufficienter comprobatam.

XVI.

Atq; ita præcipuis Aduerſariorum Argumentis refutatis, quibus Traditiones cõuellere nituntur, vnum coronidis loco addo. Quod ſicut Catholici in admittendis Traditionibus vnanimem omnium SS. Patrum (vt ſupra demonſtravimus) & Eccleſiæ veteris conſenſum pro ſe habent & ſequuntur; ſic ê contra Lutherani aliiq; Acatholici in iisdem Traditionibus rejiciendis veteres omnes hæreticos ab Eccleſia & ab ipſis Lutheranis damnatos imitantur, nam.

I. Ariani poſthabitis Patrum ſententiis negabant Filium Dei Patri eſſe conſubſtantialem, eò quòd hoc nomen in ſacris litteris nullibi exſtaret. atq; ideo Maximinus Arianus contra Auguſtinum diſputans, ajebat: *hæ voces quæ extra ſcripturam ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiantur.* Aug. l. 1. contra eund. *Anno 340.*

II. Macedoniani & Eunomiani nihili Traditionem majorum æſtimãtes negabant Spiritum S. cum Patre & Filio glorificandum *eò quòd illud in ſcriptura nullibi expreſſum habeatur.* Baſilius, Athanaſius, Nazianzenus & alii. *Anno 360.*

III. Pelagiani *credamus* inquiunt, *quod legimus, & quod non legimus nefas credamus aſtruere.* Aug. de natura & gratia. c. 39. *Anno. 400.*

Anno 430. IV. Nestoriani scripta Patrum & Traditiones rejiciebant.

Cyrillus: Acta Ephe: Socrates & cæteteri de Nestorianis.

Anno 460. V. Eutychiani. quorum Princeps Eutyches: *in quâ*, inquit, *scripturâ jacent duæ naturæ?* cui respondit Mamæas Præsbyter: *& quæ scriptura dicit consubstantialem?* Concilium Chalcedon: act. 1.

Cum hos aliosq; hæreticos in Traditionibus Apostolicis non scriptis, rejiciendis sequantur Lutherani, cum iisq; hâc in re communicent, clarè sequitur hoc erroneè ab illis fieri, & è contra Catholicos, qui Ecclesiæ Sanctorumq; Patrum vnanimem consensum sequuntur, rectè & sanctè facere, dum se ab hujusmodi Sectariis & hominibus ab ipsis etiam Lutheranis, damnatis segregant & abscindunt.



DE

DE TRANSVBSTANTIATIONE.

DEMONSTRATIO IV.

Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia negat transubstantiationem, quam vera primitiua Ecclesia credidit.

CAPVT I.

Doctrina de Transubstantiatione Antiquitas in Primitiuâ Ecclesiâ probatur.

STatus controuersiæ est; an panis & vini substantia, post consecrationem unà cum corpore & sanguine Christi permaneat; an verò panis & vinum esse desinat, quando per consecrationem, Christi corpus & sanguis, sub panis & vini speciebus ponitur.

Negant Catholici panem & vinum cum Christi corpore & sanguine manere.

Affirmant Lutherani, & calumniantur, recentem hanc doctrinam esse sub Innocentio Tertio in Concilio Lateranensi, anno 1215. excogitatam. quam calumniam refutamus authoritate veræ Ecclesiæ primitiuæ, in quâ hæc *Transubstantiatio* credita semper fuit. vt ostendit

Primò Liturgia D. Petri, quâ primum Romani vsi sunt, quæ sic habet. *Domine DEus respice in nos, & super panem istum &*

calicem hunc, & fac eum immaculatum tuum corpus, & pretiosum sanguinem &c:

Secundò, Liturgia D. Jacobi in Ecclesiâ Hierosolymitanâ sic habet:

Rogamus vt Spiritus Sanctus adueniens &c: efficiat hunc panem corpus Sanctum Christi tui, & calicem hunc, pretiosum sanguinem Christi tui &c:

Tertiò Liturgia D. Matthæi in Ecclesia Æthiopum: *O amator hominum humiliter imploramus &c: munda & transfer panem in carnem tuam immaculatam, & vinum hoc in sanguinem tuum pretiosum.*

Anno 92. *Quartò Ignatius* Episcopus Antiochenus: *panem DEi volo, panem Cælestem, qui est caro Christi filii Dei &c:*

Anno 150. *Justinus* ad Antonium Pium Apol: 2. disertè asserit, eum cibum ex quo carnes nostræ aluntur, id est, panem prece verbi Dei sanctificatum, esse carnem Domini.

Anno 180. *Irenæus* l. 4. c. 34. *quomodo inquit constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse corpus Domini sui &c:*

Anno 203. *Tertullianus* lib. 4. contra Marcionem c. 40. *Christus* inquit, *acceptum panem, corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum, dicendo &c:*

Anno 250. *Cyprianus* Episcopus Africanus, de cœna Domini. *panis iste quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentiâ verbi factus est caro.* &:

Cyril-

Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. mystagogica: *Panis Eucharistiæ, post Spiritus Sancti inuocationem non amplius est panis, sed est corpus Christi.* Et catechesi 4. *Aquam aliquando mutauit in vinum sola voluntate, & non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutasset?* Et paulò infra: *hoc sciens & pro certissimo habens, panem hunc qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi. Et vinum quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse credatur, non tamen vinum, sed esse sanguinem Christi.* Anno 365.

Ambrosius de iis qui mysteriis initiantur cap. 9. *probemus non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit: majoremq; vim esse benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.* Anno 374.

Gregorius Nissenus oratione catecheticâ cap: 37. *Rectè DEi verbo sanctificatum panem in Dei corpus credimus immutari.* Anno 380.

Gaudentius tract: 2. de Exodo: *ipse naturarum creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia & potest & promisit, efficit proprium corpus, & qui de aqua vinum fecit, de vino sanguinem suum facit.* Anno 390.

Chrysostomus homil: 38. in Matth: *non sunt humanæ virtutis opera proposita, nos ministrorum locum tenemus, qui verò sanctificat ea & immutat, ipse est.* Anno 398.

Ann 420. *Augustinus* in Sermone quem citat Beda in cap: 10. 1. Corinth: *non omnis panis, sed accipiens benedictionem, Christi fit corpus.*

Anno 430. *Cyrillus* Alexandrinus Ep: ad Calosyr: *ne horreremus carnem & sanguinem, apposita Sacris altaribus, condescendens DEus nostris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis.*

Anno 430. *Eusebius Emesenus*, serm. de corpore Domini, *quando benedicendæ verbis cælestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam inuocatione summi Numinis consecrentur, substantia illic est panis & vini, post verba autem Christi, corpus & sanguis est Christi, quid mirum est autem, si ea quæ verbo creare potuit, possit creata conuertere?*

II. Hos enumerasse sufficiat ex primitiua Ecclesia, omitto innumeros alios Doctores per singula sæcula usq; ad Concilium Lateranense idem sentientes & docentes. Ex quibus patet hanc transubstantiationem non esse recens Catholicorum inventum, sed antiquam Ecclesiæ primitiuæ doctrinam. tenuit ergo vera Ecclesia, vt patet ex dictis

I. propositionem hanc esse veram; *panis consecratus est corpus Domini*, atqui hæc vera esse non potest sine mutatione panis in corpus Domini: neq; enim panis, manens panis, potest esse corpus Domini, (ut postea ostendemus) ergo mutatio fit; & eo modo panis mutatus, verè est corpus Domini.

II. Panem

II. Panem mutari quoad naturam ſeu ſubſtantiam, & tamen effigiem, hoc eſt, accidentia remanere, vt patet ex Cypriano citato, & hoc eſt, quod vocamus tranſubſtantiationem. Cùm autem contrarium ſentiant Lutherani, manifeſtum eſt, eos non conſentire cum vera Eccleſia, & conſequenter eorum Eccleſiam falſam eſſe.

CAPVT II.

Tranſubſtantiatio probatur rationibus ex ſcriptura ductis.

CUm audacter affirment Lutherani, nullum fundamentum in ſcripturis eſſe, III.
quòd vinum in ſanguinem, & panis in corpus Domini mutetur; demõſtrabimus hanc conuerſionem ex Scripturis non tantùm probabiliter deduci poſſe, ſed etiam neceſſariò debere ſequi.

Chriſtus Matt. 26. illa verba proferens: *Hoc eſt corpus meum*, vel panem in corpus ſuum verè ac propriè mutauit; vel impropriè ac figuratè; vel nullo modo: ſi primum; habemus quod intendimus: ſi ſecundum; Sacramentariorum eſt commentum, qui ajunt, panem illum figuram corporis Chriſti eſſe, quod nobiſcum execrantur Lutherani. Si tertium, tunc neceſſariò ſenſus iſte erit: hic panis verus ac triticeus, verè & propriè eſt corpus meum: quem ſenſum verum ac

genuinum esse, asserit Lutherus lib: de captiv. Babyl. cap. de Euchar.

Verum contra. Sensus iste non tantùm falsus est, sed & impossibilis, ergo necessariò sequitur, sensum talem nullo modo esse posse. impossibilis inquam, quia non potest fieri, vt vna res non mutetur, & tamen fiat alia; esset enim ipsa, & non esset ipsa: deinde etiam in vna propositione subjectum & prædicatum non pro eodem, sed pro rebus diversissimis supponerentur, quod nullo modo potest fieri; ergo si hoc quod sub accidentibus continetur, est verum corpus Christi (ut etiam fatentur Lutherani) non potest esse panis triticeus.

Negant quidam Aduersarii consequentiam, & dicunt, duo contineri sub accidentibus, panem videlicet ac corpus; ac proinde verè dici utrumq;, *hoc est Corpus Christi* & *hoc est panis triticeus.* nam sensum ajunt esse istum: hoc quod sub istis accidentibus continetur, non solùm est panis, sed etiam corpus Christi.

VI. Sed contra probatur manifestè pronomen *Hoc*, si ibi panis permaneat, ad panem tantùm non ad corpus referri posse, & consequenter dicendum esse, *hunc panem simul esse corpus*, quod impossibile esse diximus.

Nam quando duæ substantiæ sunt in eodem loco, quarum vna videtur per propria accidentia, quæ ipsi inhærent; & altera est *inuisi-*

inuisibilis & latens, tunc qui demonstrat contentum sub accidentibus, si propriè loqui velit, non designat substantiam inuisibilem & latentem, sed substantiam cui illa accidentia inhærent. Exemplis rem declaro: qui spongiam habet in manu aquâ plenam, propriè dicere potest; hoc est spongia, siue substantia spongiæ, non autem potest dicere nisi planè impropriè; hoc est aqua, licet aqua sit in tota spongia. quod idem dici potest de ferro ignito, hoc est ferrum, non autem hoc est ignis. Deinde quando corpus Christi penetratiuè fuit in lapide sepulchrali, vera & propria erat propositio, *hoc est lapis*, impropria verò vel potius omninò falsa, *hoc est corpus Christi.* Ratio est superius allata. videlicet, quando demonstratur substantia sub accidẽtibus, demonstratur substantia, cui accidentia inhærent, non autem alia latens sub accidentibus illi non inhærentibus. Sic in præsenti, si sub accidentibus panis simul esset panis & corpus Christi, accidentia procul dubio inhærerẽt pani tanquã subjecto proprio, tunc sic: si hunc panem aliquis in manibus haberet, propriè & verè diceret: hoc quod in manibus habeo est panis. impropriè autem & falsè, hoc est corpus Christi, quia, ut jam dictum est, illa substantia propriè tantũ demonstratur, cui accidentia quæ videntur inhærent. non autem illa, quæ ibi est per accidens & non subjectiuè, sed concomitanter,

ergo ut hæc propositio sit vera. *Hoc est corpus meum*, debet abesse panis, & adesse solum corpus. Vt sensus CHRISTI verborum sit: *hoc* quod nobis sub panis speciebus porrigo ad manducandum, *est corpus meum*. Sic enim non affirmabuntur disparata de disparatis per prædicationē falsam & impossibilē.

VII. Nec obstant, quæ adfert Lutherus primò, si necessaria sit transubstantiatio, vt hæc propositio vera sit, *hoc est corpus meum*, ne videlicet per illud pronomen demonstretur substantia panis. debebit ergo etiam fieri transaccidentatio; ne videlicet per pronomen *Hoc* demonstrentur accidentia, & sit sensus, *hoc album est corpus meum*.

Secundò, ait verè nos dicere de Christo: *hic homo est DEus*, & *hic DEus est homo*, licet non conuertatur DEus in hominem, aut contra, sic etiam panis & corpus Christi poterunt de se inuicem prædicari. Non, inquam, hæc obstant, nam in primo, consequentia negatur; quia demonstrata re aliquâ, pronomen hoc nunquam pro accidente supponitur; sed pro substantia; nisi expressè determinetur ad accidens.

VIII. Ad secundum quod attinet, fatemur hominem de Deo & contra bene & verè prædicari in hoc exemplo; non ratione transubstantiationis, quæ ibi nulla est, sed propter identitatem hypostasis, quâ persona verbi cum humanâ naturâ simul vnitur.

Si

Si autem dicas corpus Christi cum pane hypostaticè vniri (vt insinuat Lutherus lib: de Captiuit: Babylonica cap: de Eucharist:) Talis vnio rejicitur.

I. quia licet admittamus esse possibilem (de quo Scholastici disputant) sanè de facto eam non possumus concedere sine gravissimo fundamento in Scripturâ, Patribus aut Ecclesiæ sensu. tam prodigiosum enim miraculum non est asserendum pro solo vnius placito. alioquin licebit etiam cum Tertulliano docere Spiritum Sanctum hypostaticè vnitum Columbæ in Jordane. Et alius dicet, etiam vnitum linguis igneis: & quod gravius est, tertius poterit asserere, sibi etiam vnitum esse verbum, aut Spiritum Sanctum. quæ omnia sunt absurdissima. Cùm ergo verba Christi; *hoc est corpus meum*, eam vnionem non requirant; aliunde autem nec lenissima in totâ scripturâ, vel sensu Ecclesiæ, veterumq; Patrum de tali vnione fiat mentio, profectò non minus gratis conficta deprehendetur ad saluandam malè semel assertam perseuerantiam panis in Eucharistiâ, quam sint eæ vniones hypostaticæ de quibus paulò ante.

II. licet de facto talem vnionem concedamus, qualem â Luthero fingi diximus; non tamen per illam saluaretur veritas verborum *Hoc est corpus meum.* esto enim, panis & cor-

pus

pus vniantur verbo, imò etiam inter se, nihilominus non possunt inuicem prædicari, *Panis est corpus* sicut non dicitur: *Verbum est anima*, aut, *anima Christi est corpus Christi.* Ideo ly *hoc* si denotat panem solum, non potest de corpore verè affirmari: si denotat totum ibi contentum; etiam non potest dici: *totum hoc est corpus Christi.* Solum autem ipsum corpus non potest denotare; quia cum magis per se demonstretur per ea accidentia panis, ipsa substantia panis, si ibi sit, quàm corpus, profectò magis etiam debet per ly *hoc* significari panis, vel certè simul, quo casu jam dixi non verè affirmari de corpore Christi.

IX. Verùm aliam hic vnionem inter panem & corpus ponunt nonnulli recentiores Lutherani, quam nominant Sacramentalem: per quam hæc propositio sit vera, *panis Sacramentaliter est corpus Christi.* *Hoc est* vt ipsi ajunt, *manducato benedicto pane, manducatur etiam corpus Domini propter vnionem Sacramentalem.* Sed contra, quando in hac propositione dicitur; *panis Sacramentaliter est corpꝰ Christi*, illud ly *Sacramentaliter* significat panem figuratè esse corpus Christi, an verè ac propriè: si figuratè, incidunt in Caluinismum. Si verè ac propriè, tunc nihil dicent aliud, quàm Christum ibi esse præsentem per vnionem aliquam ad modum sim-

simplicis conjunctionis *cum, in, vel sub pane*, sed contra.

Intima illa conjunctio, vel vnio panis cum Christi corpore, qualiscunq; ea sit, tantũ efficere non potest, vt corpus realiter de pane prædicari posit, nam anima, quãdo cum humano corpore vnitur, & Angelꝰ vel Diabolꝰ, si corpꝰ aliquod asumant, eiq; insint intimè, non tamen erit hæc conjunctio sufficiens vt dici posit, hoc corpꝰ est anima, hoc corpꝰ est angelꝰ vel Diabolus, aut contra, licet sint penetratiuè in codẽ spatio; sed solùm dici poterit, in hoc corpore est anima. in hoc corpore est Angelus aut Diabolus. Sic etiam panis & corpus Christi, cum sint duæ res distinctæ, & omnino disparatæ, nec aliter vniantur quàm per simplicem conjunctionem, manifestè patet, quòd panis propriè non posit dici corpus Christi. Imò qui latinè nouit, facilè judicabit, locutionem illam falsam esse: *panis est propriè caro: vinum est propriè sanguis.* X.

Maneat ergo certum, & ex verbis Christi clarè demonstratũ, per verba Christi panem, ac vinum in corpus ac sanguinem converti. contrariâ doctrinâ Christi verbis aduersante, vt aserit D. Thomas p. 3. q. 75. a. 2. ubi ait. *Hæc positio cõtrariatur formæ hujꝰ sacramenti, in qua dicitur: Hoc est corpus meum, quod non eßet verũ, si substantia panis ibi remaneret nunquam enim substantia panis est corpus Christi; sed potius eßet dicendum: hic est corpus Christi.*

CAPVT. III.

Soluuntur objectiones Aduersariorum.

XI. LIcet multas objectiones superiori capite soluerimus, supersunt tamen aliquæ, quibus oppugnamur, enodandæ. Primarium autem Aduersariorum argumentum, quo nituntur probare, panem & vinum post verba consecrationis remanere, desumunt Lutherus, Caluinus, Kemnitius; Et ex recentioribus Brochmannus, Matthias Hoe ex Paulo 1. Cor. 10. v. 16. 17. vbi sic Apostolus: *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Ex quo talem deducunt ratiocinationem: Si panis sit participatio corporis, ergo panis debet manere panis, aliàs non potest esse participatio corporis; quia quod non est amplius, non potest esse participatio alicujus rei existentis. quod hoc exemplo declarant: Sicut in nuptiis Cana Galileæ aqua, quæ in vinum mutata est, non potest dici participatio vini, quia nihil de aqua remansit, sed totum est vinum; ergo vt posit vna substantia dici participatio alterius, debet vtraq; substantia remanere.

Verùm hæc insulsa probatio est, nam isti Nouantes vel absolutè non intelligunt; aut saltem intelligere nolunt, locum hunc Pauli. Non enim hic agit Apostolus de

parti-

participatione panis cum corpore Christi, sed de participatione panis consecrati, siue corporis Christi cum Corinthiis. vt sensus sit: nunquid quando participatis ô Corinthii, de pane benedicto, participatis de corpore Domini? qui sensus manifestus est ex intentione Pauli, & toto contextu Epistolæ. Arguebat enim Corinthios, quòd cùm de Idolothytis participarent, de tamẽ etiã participarent corpore Christi; quod vt graue scelꝰ abominabatur. Et sicut Architriclinus, & cæteri nuptiarũ conuiuæ participabant non de aquâ, quæ nulla tunc erat, sed de solo vino ex aqua mutato, sic Corinthii participabant non de pane vt pane, sed de corpore Domini, quod panis vocatur ab Apostolo, non nudè quidem aut simpliciter, *sed panis quem frangimus* id est, Eucharisticus, siue transubstantiatus, qui est corpus Christi, panis tamen speciem & operationem retinet. Et quòd ille sit sensus Apostoli, clarè patet ex versu sequenti 17. *de vno pane participamus*, hoc est de corpore Christi, quod vbiq; est vnum & idem. non de pane triticeo, qui cùm vbiq; foret diversus, dici non possent participare de vno, qui de illo participarent, quod eodem modo de pane debet explicari, quod Aduersarii objiciunt ex 1. Cor. 2. 11. & seq: vbi corpus Domini vocatur panis. XIII.

Nec obstat secundò, quòd dicant Paulum in eodem cap. 11. bis ponere panem,

primò quidem verum panem materialem, ergo etiam quando postea dicit: *quandocunque manducabitis hunc panem*, panis idem materialis intelligi debet, nihil, inquam, obstat. nam minimè absurdum est, varie idem accipi á Paulo in eodem loco: cum enim ait *panis quem frangimus*, loquitur de Eucharistico, vt omnes fatentur, & tamen ibidem ait: *vnus panis multi sumus*. vbi sine dubio, vt etiam omnes fatentur, panis pro Ecclesia sumitur. Et hæc primaria Aduersariorum objectio est, cujus solutione reliqua facilè possunt resolui.

XIV. Objiciunt alii: si desit substantia panis, deest sacramentum in Eucharistia, quia transubstantiatio annihilat elementum, quod tamen est necessarium ad rationem sacramenti.

Respondeo negando antecedens, & ejus probationem, quia non annihilatur panis, sed cùm desinat esse per conuersionem, remanent species, quæ sufficiunt, vt dicatur remanere elementum, remanet enim quantum ad id, quo sacramentum est visibile signum.


XV. Objiciunt secundò, dicitur â Patribus verum corpus Domini sensualiter & in veritate tractari, manibus frangi &c. 2. Panis Eucharisticus potest etiam calefieri, corrumpi, nutrire, quæ omnia accidentibus competere nequeunt.

R. ad

R. ad primum juxta vsum loquendi etiam scripturæ sensum esse, Christi corpus videri, tangi, & frangi mediantibus speciebus, sub quibus realiter præsens est, quæ solæ formaliter videntur, tanguntur, franguntur &c: ita enim Dominus dixit Luc. 8. v. 45. *quis me tetigit*, cum solùm fimbria vestis ejus tacta fuisset.

R. ad secundum si mutatio in Eucharistia sit alteratio sola, vt calefactio &c: sufficere communem quantitatem, vt qualitatum commune subjectum. si verò fiat corruptio: eo instanti quo desinunt esse species, substituitur materia â DEo, & introducitur forma â generante. hoc enim exigit rerum ordo, vt cùm dispositiones sint introductæ ab agente sufficientes ad substantialis formæ receptionem, introducatur forma, quæ naturaliter materiam requirit, & proinde DEus eam substituit juxta rerum naturalem ordinem.

Itaq; ex probatis primo & secundo capite, & illis refutatis quæ objiciunt Aduersarii, vini & panis in corpus & sanguinem Christi vera transubstantiatio sufficienter comprobata est.



DE PERMANENTIA CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI IN EUCHARISTIA.

DEMONSTRATIO 5.

Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia negat permanentiam corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, quam vera & Primitiua Ecclesia credidit.

CAPUT I.

Primitiuæ Ecclesiæ sensus affirmatiuus.

Anno 92.  *Lemens Rom:* lib. 8. const: cap. 13. (quem auctorem etiam citant Aduersarii) quod superest de corpore Domini, jubet â Diaconis cum debitâ reuerentiâ poni in pastophorio.

Anno 150. *Justinus Martyr* testatur, sacris in Ecclesiâ peractis, dari consueuisse Eucharistiam â Diaconis ad absentes fratres deferendam.

Anno 180. *Irenæus* Epist: ad Victorem Pap: apud Eusebium lib: 5. historiarum, affirmat, Pontifici fuisse morem, aliis Episcopis Euchari-

charistiam mittendi in signum pacis ac communionis.

Tertullianus lib: 2. ad vxorem. consueuisse sua tempestate Eucharistiam ad suas deferre, domos vbi eam tempore opportuno sumerent. *Anno 230.*

Cyprianus sermone de lapsis, Mulier quædam, cùm arcam suam, inquit, in qua Sanctum Domini fuerat, indignis manibus tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est. de Eucharistiâ loquitur. *Anno 250.*

Dionysius Alexandrinus Epist. ad Fab: apud Eusebium 6. Hist: c. 36. ait Serapionem in extremis agentem, accepisse Eucharistiam missam â sacerdote tunc domi ægrotante. *Anno 250.*

Concilium Nicænum sequenti sæculo habitum, & passim ab Aduersariis omnibus receptum can: 14. aliàs 18. vel 20. jubet vt Diaconi Presbytero absente Eucharistiam ministrent; ac proinde extra tempus & actionem Cænæ, quæ sine Presbytero celebrari nequit. ita Ruffinus. Præterea can: 13. Patres jubent Eucharistiam in articulo mortis nemini denegandam esse. at certum est, tunc ægrotos non posse ad Ecclesiam venire, & articulum mortis contingere posse extra tempus Cænæ.

Basilius Epist: ad Cæsariam Patriciam (quæ â Lutheranis etiam citatur) consueuisse *Anno 370.*

ait, Anachoretas Eucharistiam secum in Eremum deportare.

Anno 370. *Gregorius Nanzianzenus* oratione de Gorgon: Gorgoniam sororem, ait, nocte procubuisse ante Eucharistiæ conspectum ad altare consueto more.

Anno 370. *Ambrosius* Satyrum fratrem beneficio Eucharistiæ in collo suspensæ naufragium euasisse memorat, quam disertis verbis sacramentum vocat.

Anno 390. *Hieronymus* Epist: ad Rust: Exuperium Episcopum Tholosanum, quod ob inopiam voluntariam fuerit coactus Christi corpus in Canistro portare.

Anno 390. *Chrysostomus* Epist: ad Innocent: Pap: milites quosdam ait, tantum tumultum excitasse in sanctuario, vt sanguis Domini, qui inibi erat, in eorum funderetur vestes.

Anno 430. *Cyrillus Epist*: ad Calosyr: insanire dicit affirmantes Eucharistiam vim suam perdere, si seruetur in alterum diem.

Omitto innumeros aliis sæculis Doctores, doctrinam hanc disertè affirmantes. addo quòd omnes qui in Eucharistiâ verum esse Christi corpus asserunt, affirment etiam illud ibi statim prolatis sacris verbis poni. Cùm è contra nullus è Primitiua Ecclesiâ Doctor ab Aduersariis allegari possit, qui contrarium affirmet. Vnde bene sequitur, Aduersarios non esse in verâ Ecclesiâ, vtpote qui

te qui in hoc fidei articulo doceant aliter, quàm vera docuit Ecclesia.

CAPVT II.

Probatur Corporis & sanguinis permanentia ex scripturis ab institutione Eucharistiæ.

ET vt pateat Ecclesiam Catholicam ejusq; Doctores non leviter sed solidè ex Scripturis hac in re fundatos esse: sic argumentor. II.

Primò, simulac primùm sacra verba prolocutus est Christus, *hoc est corpus meum*, *hic est sanguis meus:* verba hæc fuerunt vera; sed ipse verba hæc ante sumptionem protulit; ergo ante sumptionem fuerunt vera, & consequenter ibi corpus & sanguis Christi fuit. Negari major nequit, nisi Christus falsitatis arguatur; falsum enim diceret affirmando, ibi corpus & sanguinem suum esse; si ibi vtiq; non essent. Minorem sacer textus asserit clarè. Et ratio confirmat, cùm enim Apostolos ad bibendum & edendum inuitaret Christus, necessarium erat, vt quare & quid sumpturi essent, scirent: quod Matt: 26. v.28 clarè demonstratur per voculam illam *enim. bibite ex hoc omnes*, quid, & quare? *hic est enim sanguis meus*, quasi diceret, non est vinum quod in hoc calice vobis porrigo; *sed sanguis meus*, ergo sanguinē ibi oportebat esse, antequam eum ipsi sumerent. I.

III. II. Quod secundò adhuc clariùs ostendo ex Luc: 22. v. 20. *hic est calix nouum testamentum in meo sanguine*, ergo in calice fuit sanguis, & non solùm in ore sumentium; igitur ante sumptionem. Et nunquid hæc confirmat clarè Paulus? *panis* inquit *quem frangimus corpus Domini est* 1. Cor. 10. v. 6. sed cùm frangitur nondum sumitur, ergo antequam sumatur, jam corpus Domini est.

IV. III. Deinde sic vrgeo: Cùm calicem consecrasset Dominus, & illum primò porrexisset, & eum iste modico inde hausto, vicino suo traderet; in spatio hoc, quod vtrumq; intercessit, aut fuit aliquid sanguinis in calice, vel nihil fuit: si fuit; jam extra sumptionem sanguis erat. si nihil fuit: cujus virtute, altero bibente de nouo, sanguis factus est? non ex nouâ verborum prolatione, quia Christus ea denuò non potulit.

Non vi primæ benedictionis, quia inde sequeretur contra Aduersarios vinum illud per diem & per annos conseruari posse, & quotiescunq; inde biberetur, bibendum semper sanguinem. Consequentia est clara, nam non est ratio, cur illa benedictio effectu suo careat post modicum, quàm post longum tempus, manentibus iisdem speciebus. Contrarium tamen apud Aduersarios in praxi est, nemo enim ignorat apud illos moris esse, vt si peracta Cæna panis vel vini

bene-

benedicti quidpiam supersit, illud ab æditu-is aut pueris in sacrario absumi, nec ullus eorum asserit, ab iis corpus aut sanguinem Christi sumi.

Si replicent Aduersarii, quando remanentia pueri sumunt in sacrario, peractam esse Cænam, ideoq; nihil corporis vel sanguinis tunc sumi; quia intentio Christi fuit, per verba *Comedite & bibite*, vt per modum Cænæ statim sumerentur; adeò, vt quamdiu moraliter durat Cæna, tamdiu sumatur corpus & sanguis, eâ peractâ, non sumatur, licet ex eodem benedicto calice bibatur; quia tunc non sumitur juxta intentionem Christi. V.

Sed Respondeo nullo modo ex scripturis hoc probari posse. nam verba Christi *bibite & Comedite*, cùm nullum certum tempus determinent, etiam intentio Christi censenda est indeterminata. Sicuti si hodie alicui cibum & potum porrigam, vt inde cænet; etiamsi triduo quatriduoue cibos illos & potum seruet, & tunc demum sumat, non minus inde censendus est cænasse, quam si ipsâ horâ, qua data sunt, sumpsisset. Sic etiam quando panis & calix benedictus datur sumendus, siue tempore Cænæ constituto, siue postea sumatur, semper erit cæna, & benedictio vim suam retinebit. tempus enim in hac sumptione non facit cænam, sed illud quod pro cænâ sumitur; ergo eti-

an pueri in sacrario sumentes quod remanserat, dicendi sunt sumpsisse sanguinem vel corpus Domini, quamuis illud extra Cœnam faciant, quod Lutherani negant.
VI. IV. Vlteriùs sic insto: vel verba sacra Christi corpus efficiunt, vel ipsa sumptio. si verba sacra, ergo statim his prolatis ibi fuit corpus, juxta illud, *ipse dixit & facta sunt.* si sumptio; ergo verba non sunt necessaria. Sed fortè replicabunt, vtrumq; esse necessarium. Per verba quidem effici sacramentum, sed dependenter â sumptione, ita vt sumptio sit conditio, quâ positâ fit sacramentum, non positâ, non fit:

Sed contra, cùm omnia ex scripturâ sibi velint demonstrari Aduersarii, ex quo loco glossam illam vel conditionem, verosimiliter deducent?

VII. Christus absolutè dicit, *hoc est corpus meum.* Aduersarii è contra dicunt, Non est, sed erit, si sumatur, cui potius credendum Christone an Lutheranis? At contra, inquiunt, finis institutionis hujus sacramenti, est ejusdem sumptio, dixit enim Christus, *Accipite, bibite & comedite:* ad quæ verba tam bene se extendit præceptum, *Hoc facite* &c. quàm ad ista: *hoc est corpus meum,* ergo omnia ingrediuntur essentiam sacramenti, adeò vt si desit ex his aliquid, non efficiatur sacramentum, quamtumuis pronuntiata sint verba; *hoc est corpus meum,* igitur

non

non instituit vt permaneat & seruetur, sed tantùm vt sumatur. Vnde fit, vt sumptio sit pars essentialis hujus sacramenti, quæ si desit nihil fit.

VIII.
Sed respondeo primò, hoc omninò falsum esse, nam quando Christus ante pronuntiata verba: hoc est corpus meum, dixit, *accipite comedite & bibite*, illud quod jussit ipsos *accipere, comedere & bibere*, vel fuit ipsius corpꝰ vel non fuit; si fuit. ergo *accipite comedite* &c. non sunt de essentiá sacramenti. si non fuit; ergo vel tantũ nudũ panem dedit ipsis Christꝰ, quod est absurdũ. Vel omninò falsum dixit; affirmãdo ibi esse suũ Corpꝰ quod jubebat eos sumere; Cùm tamen non esset ibi corpꝰ.

IX.
Secundò. Respondeo, falsum esse per præceptum *hoc facite* &c: huc spectare verba, *accipite & comedite* &c: quia Christus hoc tantùm hic jussit fieri, quod repræsentet factum & memoriam passionis ejus.

Sed hoc sufficienter fit, siue dicantur verba, *accipite & manducate*, siue non, dummodo accipiatur & manducetur corpꝰ Christi. Per illam enim actionem repræsentatur Christi factum, & intelligitur ibi esse corpꝰ ejus: modò dicta sint illa: *Hoc est corpus meum.* Sicut quando Christus instituit baptismum, nemo dicet in baptismi actione necessaria esse, verba omnia, quæ pronunciauit Christus in ejus institutione, sed sufficit ipsam actionem exequi, cum verbis actionem explicantibus.

Vt

Vt quando dixit Christus discipulis Matth: 26. v. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos* &c: nullo modo requiritur, vt inter baptizandum dicantur hæc verba: *euntes &c*: sed sufficit actu docere gentes, & eos baptizare per formam cadentem super ipsam baptizandi actionem.

X. *Tertiò.* Fatemur quidem finem principalem & vltimatum hujus institutionis esse sumptionem, atq; ideo de institutione nihil tollimus. Ad hoc enim in Catholicâ Ecclesiâ Corpus Domini semper consecratur, vt sumatur. non tamen inde sequitur statim debere sumi, neq; ibi ante sumptionem præsens non esse, nec diutiùs seruari posse; non sequitur, inquam, magis, quàm cùm dicimus: Vinum crescit vt bibatur; frumentum vt inde fiat panis, & panis vt comedatur; ergo vinum si non bibitur, non est vinum; frumentum, si non pinsatur, non est frumentum; & panis si non comedatur, non est panis. Quæ consequentiæ cum planè sint absurdæ, erunt & ipsæ similes, quas adducunt Lutherani.

CAPVT III.

Refelluntur Objectiones Aduersariorum.

XI. BRochmannus secutus Illyricum, Calvinum, & Kemnitium in hoc contra nos

se

se fundat, quòd Euangelistæ dicant, panem datum esse discipulis, & postea dictum esse, *hoc est corpus meum*, vti legitur Matth. 26. *Accepit JEsus panem & benedixit ac fregit, deditq; discipulis suis, & ait, accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Vnde deducunt, prolationem verborum Domini, & actionem manducandi concurrere. Nam sicuti post panis distributionem secuta est immediatè prolatio verborum, sic post eandem distributionem secuta est immediatè manducatio. atq; ita inter ipsam manducationem verba sunt prolata.

Respondeo non ex ordine verborum, sed ex sensu & significatione, quid factum sit, colligendum esse. Si enim attendamus ordinem, quem Marcus posuit cap. 14. *Et accepto calice gratias agens dedit eis &c: biberunt ex eo omnes, & ait illis, hic est sanguis meus noui testamenti.* Ex verbis his sic positis, necessariò dicendum erit, verba illa, *hic est sanguis*, post bibendi actionem esse dicta. quod nemo dicet; sic enim, non sanguinem, sed vinum bibissent solummodò, & pronomen *hic* nihil omninò demonstraret. Vel, dicendum esset, post bibendi actionem remansisse partem vini, & de eâ dictum esse, *hic est sanguis*, quod Aduersariorum sententiæ repugnat, esset enim sanguis extra sumptionem.

XII. Ex ſenſu ergo legitimo verborum neceſſariò dicere debemus, verba illa, *hoc eſt corpus* &c: *& hic eſt ſanguis*, fuiſſe prius â Domino prolata, quàm Apoſtoli comederent & biberent. in illis enim verbis, *hoc eſt corpus* continetur ratio cur diſcipuli bibere debuerint, quod clarè demonſtratur Matt. 26. per particulam cauſalem *enim*, *bibite*, *hic eſt enim ſanguis* &c. juxta illa quæ ſuperiori capite diximus.

XIII. Nec quidquam facit, quod objicit Caluinus, dum ait; Hæc verba: *hoc eſt corpus meum*, eſſe promiſsionem, illa: *accipite & comedite* eſſe præceprum. Et quia præceptum impleri debet ante promiſsionem; hæc; *accipite & manducate* impleta priùs fuiſſe quàm illa: *Hoc eſt* &c:

Illud effugium ſi quidquam probaret, manifeſtè ſequeretur, ne quidem in ipſâ manducatione eſſe ſacramentum. Nam cùm promiſsio ſubſequatur præceptum, non poterit poni promiſsio, niſi adimpletum ſit præceptum; non eſt autem adimpletum præceptum, niſi totalis manducatio ſit peracta.

XIV. Secundò promiſsiones explicantur per futurum, debuiſſet ergo Chriſtus dicere: hoc erit corpus meum.

Objiciunt ſecundò: Baptiſmus extra actionem non manet ſacramentum; ergo nec Euchariſtia extra vſum erit ſacramētum.

Verum

Verùm negatur consequentia, ille enim in re transeunte; hæc in permanente consistit.

Objiciunt tertiò aliqui, in scripturis nullibi haberi expressè, corpus Christi extra vsum permanere, vel in pixidibus seruandum esse; ergo non permanet sed in solo vsu est. XV.

Respondeo nec in scripturis vllo modo contrarium haberi. Cùm ergo sententiam suam ex scripturis Aduersarii probare nequeant, standum est illi, quod ex scripturis immediatè, clarè & palpabiliter deducitur. Sententiam autem Catholicorum hoc modo deduci posse, hactenus demonstratum est. quod Aduersarii nulla suâ industriâ vel probabiliter efficere posſunt. sat igitur ostensum est, extra vsum Christi corpus & sanguinem de facto permanere.



DE SPECIEBUS S. S. EUCHARISTIÆ DEMONSTRATIO 6.

Lutheranam Eccleſiam non eſſe veram Eccleſiam, quia ponit præceptum ſub vtraq; ſpecie communicandi, quod primitiua Apoſtolica Eccleſia non habuit.

CAPUT I.

Sumptio S. S. Euchariſtiæ ſub vnâ ſpecie in Eccleſiâ primitiuâ Apoſtolicâ probatur.



Um in ſubſtantialibus Fidei Articulis Eccleſiam primitiuam Apoſtolicam non erraſſe, omnes Aduerſarii nobiſcum fateantur, in eaq; conſtet S. S. Euchariſtiam ſub vnâ ſpecie communiter fuiſſe ſumptam, clarum eſt ſic licuiſſe ſumi, neq; vllum fuiſſe â Domino vel Apoſtolis Præceptum eandem ſemper ſub vtraq; ſpecie ſumendi, & conſequenter neq; jam vllum de vtraq; ſpecie ſumendâ divinum Præceptum eſſe, vt contendunt Aduerſarii. Quòd autem ſub vnâ tantum ſpecie S. S. Euchariſtiam in Eccleſiâ primitiuâ Apoſtolicâ

ſæpè

sæpe S. S. Patres sumpserint, testimonio sequentium probatur.

Ignatius Epist: ad Ephes: *Obedientes Presbytero & Episcopo impravaricabili sensu frangentes Panem, qui est medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi*, frangere panem vocat communicare sub vnâ specie, nullâ factâ mentione Calicis. *Anno 100.*

Irenæus Epist: ad Victorem. *Presbyteri illi qui te antiverunt ætate, tametsi minimè illud observabant: his tamen Episcopis, qui in aliis Ecclesiis idem sic observabant Eucharistiam miserunt.* videlicet sub solâ specie Panis, cùm sub specie Vini mitti non potuerit ad alias Ecclesias. *Anno 180*

Tertullianus lib: 2. ad Vxorem c. 5. *Non sciet Maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes? & si sciuerit, Panem non illum esse credit, qui dicitur. Et hæc ignorans quisque Rationem simpliciter sustinebit, sine suspicione Panis an Veneni?* vbi Eucharistiam sub solâ specie Panis ab Vxore sumi consueuisse declarat. *Anno 200*

Origenes homil: 13. in Exod: *Nostis qui diuinis Mysteriis interesse consueuistis, quomodo cùm suscipitis corpus Domini, cum omni cautelâ & Veneratione seruatis ne ex eo quid decidat. Reos enim vos creditis & rectè creditis, si quid inde per negligentiam decidat.* *Anno 230.*

Cyprianus de Spectaculis. *Demissus & adhuc gerens secum, vt assolet Eucharistiam* *Anno 250.*

Calicem profectò cum Vini speciebus secum deferre non poterat: ergo solum Panem, vt illum commodo tempore sumeret.

Et lib: de lapsis, narrat quendam peccatis maculatum latenter ausum accipere partem â Sacerdotio in Sacrificio Missæ consecratam, quam tamen ex punitione Dei edere & contrectare non potuit, cinere pro sacro Pane reperto. Vnde patet tunc Christianos sub solâ Panis specie Eucharistiam accepisse.

Anno 260. Dionysius Alexandrinus Epist: ad Fabium Antiochen: scribit Presbyterum dedisse particulam Eucharistiæ deferendam Seni ægroto Serapioni, ac jussisse vt eam prius madefaceret, quàm seni porrigeret. Cùm enim seruarent longo tempore Eucharistiam pro ægrotis, necessariò fiebat, vt duresceret illa species Panis, ita vt non facilè deglutiri posset, præsertim â grauiter infirmis.

Anno 370. Basilius Magnus Epist: ad Cæsaream Patritiam. *Omnes in Eremis solitariam Vitam agentes, vbi non est Sacerdos, Communionem domi seruantes â seipso communicant. In Alexandria verò & Ægypto vnusquisque eorum, qui sunt de Populo, vt plurimum habet Communionem in domo sua. Etenim in Ecclesiâ Sacerdos dat Partem, & accipit eam, qui suscipit, cum omni libertate &:*

Ambro-

Ambrosius Orat: funeb: Fratris sui Satyri. narrat Satyrum in collo gestasse inuolutum Corpus Domini sub Specie Panis. Anno 370.

Amphilochius in Vita Basilii. *Cùm sacris operaretur, diuidens Panem in tres partes, vnam quidem communicauit timore multo; alteram autem reseruauit sepeliri secum: tertiam verò imposuit Columbæ aureæ quæ pependit super Altare.* Anno 380.

Ex quibus & aliis innumeris ejusmodi testimoniis agnoscuntur ritus in primitiuâ Apostolicâ Ecclesiâ obseruari soliti: quorum:

Primus erat, quòd Eucharistia ad longum Tempus, imò ad Annum integrum, vt Sophronius in Prato Spirit: c. 79. testatur, sub unâ specie consuerit asseruari pro infirmis, vt testatur, Eusebius lib: 6. Hist: c. 36. Paulinus in Vitá S. Ambrosii. Amphilochius in Vita S. Basilii. Amalarius de Offic: Eccl: l. 3. c. 35. & alii.

Secundus, quòd primitivi & Apostolici fideles, Eucharistiam ex templo consueuerint deferre domum, vt ibidem tempore opportuno sumerent, vt constat ex Tertulliano, Clemente Alexandrino, Cypriano, Basilio &c: locis supra citatis. Solam autem Panis speciem sic deferri solitam ex Patribus ante nominatis constat.

Neq; id diffitentur Aduersarii ac præcipuè Kemnitius, qui tamen sentit illos eosdem qui sub Specie Panis Eucharistiam secum deferebant, domi consumendam, priùs in Ecclesiâ vini speciem sumpsisse, neq; quæstionem esse quid in domibus priuatis fieret, sed de eo, quod in publicâ Cœnæ administratione fieri consi esset.

Sed contra: Si fideles in publicâ Cœnæ Administratione Panis speciem secum deferrent domum, ibidem tempore commodo sumendam, & speciem Vini, quam non poterant auferre, in Ecclesiâ bibebant: manifestè sequitur, eos in Ecclesiâ tantùm sub vnâ specie communicasse nempe Vini. Deinde certum est haustum sanguinis in Ecclesiâ & Commestionem corporis in ædibus priuatis, censeri nullo modo posse Communionem vnicam sed diuersas & vtramq; sub vnâ quidem specie, diuersis enim diebus sumebantur illæ species, non eodem die. Nam ideo speciem Panis domum deferebant, vt illam sumere alio quopiam tempore commodiore posſent.

Tertius ritus erat, vt tempore Jejunii Quadragesimalis celebratis Miſsis consecrarent Sacerdotes Dominicis solùm & Sabbathinis diebus; reliquis verò Sacerdotes & Laici ex Pane præsanctificato, hoc est, ante consecrato communicarent sub vnâ specie. Quod testantur Concilium Laodicenum

Can:

Can: 44. Concilium Trullanum can: 52. Innocentius 1. Ep: 1. c. 4. & alii permulti.

Ex quibus omnibus jam dictis argumentor: Licitum & vsitatum fuit in Ecclesiâ primitiuâ Apostolicâ Sacramentum Eucharistiæ sub vnâ specie longo tempore seruare, secum in priuatas ædes vel in Eremum deportare, in collo gestare, linteolo involutam custodire & eam quocunq; tempore commodo consumere, ad infirmos & moribundos deferre, vt ex Patrum Testimoniis superiùs probatum est. Ergo in primitiuâ Apostolica Ecclesia, non fuit vnquam agnitum diuinum Præceptum, sub vtraq; specie S. S. Eucharistiam sumendi. Quia si tale Præceptum Diuinum vel Apostolicum agnouissent, in nullo casu sub vna specie vnquam sumere vel tradere eandem potuissent, cùm in Præceptis diuinis Ecclesia dispensare nequeat.

Deniq; quod S. S. Patres hanc de vnâ Specie Doctrinam & consuetudinem Ecclesiæ, non magis explicarint & posteris tradiderint, Ratio est, eò quòd nemo eâ de re dubium moueret, neq; in hoc Ecclesiæ Apostolicæ contradiceret. Nam ante Wiclefum & Husium, neminem vnquam reperire fuit, qui hunc sub vnâ specie communicandi modum redargueret; ideoq; cùm modus Ille semper in Ecclesiâ Apostolicâ viguerit, censendus est legitimus, & ab omni-

bus Ecclesiæ Doctoribus comprobatus, non autem novus ac erroneus fuisse.

CAPVT II.

Vsus Communionis sub vnâ specie probatur.

V. CUm totum Christi corpus non minus sub alterutra, quàm sub vtraq; specie contineatur: & nullibi in Scripturis & Traditionibus præceptum sit, vt sub vtraq; specie sumatur: imò ex Scripturis probetur, sub unâ tam â Christo, quàm ab Apostolis fuisse datum: potest justis de caussis Ecclesia Laicis prohibere calicem. Hic cùm 4. membra posuerimus, in quibus tota Controuersia versatur, singula per totidem probabimus & expediemus.

Non minùs sub vna quàm vtraq; specie totus Christus continetur.

VI. CAtholici sic statuunt; Christum secundùm Carnem, sanguinem, Animam Rationalem, & Personam Verbi in Sacramēto Eucharistiæ, non sub vtraq; solum, sed vtrauis etiam specie contineri; aliter tamen sub Panis, aliter sub vini speciebus esse. Sub speciebus enim Panis sola Caro, vi Sacramenti seu verborum Christi: sub speciebus Vini

solus

solus sanguis vi Sacramenti seu verborum continetur; in vtroq; tamen omnia supradicta per concomitantiam existunt. Hanc concomitantiam, cùm negent Lutherani, è contra Catholici sic eam probant.

Caro Christi sub specie panis, vel conjuncta est cum sanguine, anima & Diuinitate, vel non est: si non est, mortua est, vt patet; at Christus non moritur, vt inquit Apostolus Rom: 6. v. 9. *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, Mors illi vltra non dominabitur*; si conjuncta est cum sanguine, animâ & Diuinitate, tunc sub solâ specie panis Christus erit totus; quod asserimus. Non autem potest esse totus vi Sacramenti, quia Sacramentum consistit in illis verbis: *hoc est corpus meum*, quæ verba cùm non significent totum Christum, sed tantùm ejus corpus & Carnem, sequitur necessariò sanguinem, animam & Diuinitatem ibi esse per concomitantiam naturalem, necessariam seu essentialem; sicut cùm hominem videmus, licet solum corpus videamus, dicimur tamen concomitanter alia videre, illi essentialiter conjuncta, hoc est, animam &c: aliàs enim non possemus dicere videri hominem, sed cadauer. Ita cùm Christi corpus sumimus, alia illi essentialiter conjuncta sumimus, aliàs non Christum, sed tantùm ejus cadauer sumeremus, quod nulli hæretici dicere præsumunt.

Et licet asserant, ideo sub vtraq; specie corpus & sanguinem debere sumi, vt sic totus Christus sumi poſsit, nihil tamen per hoc probatur; nam præcisè vi Sacramenti seu verborum, nihil aliud efficitur simul sub vtraq; specie, quàm corpus & sanguis, quæ non sunt totus Christus: ergo vt totum Christum sumere dicamur, neceſsariò dicere debebunt, animam & Diuinitatem per concomitantiam ibi esse. Sicut ergo dicere coguntur, animam & Diuinitatem sub vtraq; specie simul sumptâ per concomitantiam & vnionem hypostaticam speciali quodam modo statui: ita quoq; dicere cogentur sub solâ specie panis etiã sanguinẽ ad viuum Christum

VII. neceſsariò cum anima & Diuinitate poni.

Nec ullo modo hanc doctrinam subuertunt objectiones Matthiæ Hoe.

Prima. si sub speciebus panis etiam acciperetur sanguis, debuisset non solùm dixisse Christus de pane, accipite & comedite, sed etiam debuisset addidisse: bibite.

Secunda. hoc posito neceſsariò sequi, bis Carnem & bis sanguinem in hoc toto sacramento sumi.

Tertia. Item hoc doctrinæ nostræ repugnare, qua dicimus, panem transsubstantiari in corpus non autem in sanguinem.

Verùm respondeo ad 1. hoc nullo modo sequi. nam quando Christus de pane dicit: *accipite & comedite* loquitur primariò de eo

quod

quod sub speciebus panis vi Sacramenti seu verborum ponitur, hoc est, de carne, quæ tantùm potest comedi, non bibi. indirectè autem & concomitanter loquitur de sanguine, qui tantùm concomitanter sub speciebus panis ponitur; ideoq; de pane dicit *Comedite* non dicit *bibite*. quia videlicet directè ibi ponitur quod comestibile est; concomitanter tantùm & indirectè, quod potabile est.

Ad 2. respond: certum esse vi Sacramenti semel tantum sumi corpus, semel sanguinem, quia vtrumq; sub suis speciebus semel tantùm ponitur. nullum autem est absurdum, quod vtrumq; bis sumatur, semel ex vi verborum, semel concomitanter.

Ad 3. resp: doctrinam nostram per hoc non euerti. dicimus enim panem transubstantiari in corpus quidem vi Sacramenti & directè; & hoc modo non transubstantiari in sanguinem. per hoc tamen non excludimus sanguinis naturalem concomitantiam.

PARAGRAPHUS 2.

Nullum exstat præceptum in scripturis de vtraq; specie sumendâ.

CUm Aduersarii asserant â Domino præceptum, vt omnes sub vtraq; specie communicent, conantur adducere nonnulla scripturæ loca, tum etiam rationes ex scriptura deductas, quibus mandatum illud Do- IX.

mini demonſtrent, contra quos ſic argumentor. Si quod præceptum eſſet de accipiendâ SS. Euchariſtiâ ſub vtraq; ſpecie, illud deſumeretur ex tribus ſequentibus ſcripturæ locis, primò; Joannis 6. v. 54. *Niſi manducaueritis carnem filii hominis & ſanguinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis.* quo loco plurimum Huſsitæ vſi ſunt. Secundò Matth. 26. v. 27 *bibite ex hoc omnes.*

Tertiò 1. Cor. 11. v. 23. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.*

Sed in his locis, nullum tale præceptum inuenitur; ergo ex ſcripturâ non poteſt probari vllum præceptum.

Major inde certa eſt, quòd Aduerſarii nullum alium ſcripturæ locum adferant.

X. Minor probatur quoad primum textum Joannis 6. quem locum explico, & dico; vim præcepti non eſſe ſitam in modo ſumptionis, ſed in re ſumenda. *Quocirca cùm præcipit manducare carnem & bibere ſuum ſanguinem*, non plùs eſt quàm ſi diceret, niſi me, ſeu carnem meam, manducaueritis. vt patet ex locis proximè adjunctis; *qui manducat me, viuet propter me. Et qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* vbi vita æterna promittitur ſumenti tantùm panem, nullâ factâ mentione calicis, tam bene, quàm cùm præcipitur vtrumq;. Vnde patet non præcipi hic vtriusq; ſpeciei ſum-

pti-

ptionem, sed tantùm Christum, qui tam sub pane quàm sub vtroq; totus est. XI.

Quoad secundum locum Matth. 26. *bibite ex hoc omnes.* Respondeo, Voculam illam *omnes* ad illos tantùm dirigi, de quibus Marcus 14. ait: *Et biberunt ex eo omnes:* nam si ad omnes fideles illa vocula spectasset, falsum dixisset Marcus, *biberunt ex eo omnes*, cùm soli tantùm Apostoli bibissent. Ratio ergo quare Christus jusserit omnes bibere, *bibite omnes*, & non dixerit manducate omnes, ista est: quia cùm multi essent, ne vnus vel duo, vel tres totum biberent, voluit ab illis ita dispensari haustus singulos, vt Calix ad omnes peruenire posset, & omnes ex eo biberent. quod de manducatione non erat necesse dicere, fracto enim pane singulis sua frusta porrigebat.

XII. Quòd autem quidam asserant, Apostolos omnes omnium fidelium personas repræsentasse, atq; ideo quod dictum est Apostolis, dictum esse omnibus; hoc, inquam, frustra dicitur, & ex nullâ scripturâ potest demonstrari. probatur autem è contra, quædam Apostolis mandata esse, quæ nullo modo conueniunt omnibus fidelibus v. g. *Euntes in vniuersum mundum prædicate* &c: Apostolis solis dictum est, nullo autem modo aliis. Adde si ex eo quod dictum sit Apostolis, *bibite ex hoc omnes*, illud præceptũ ad fideles omnes referri debeat, quos Apostoli repræsentabant ?

tabant

tabant; ſequitur clarè omnes omninò fideles ex eodem numero calice bibere debere, ex quo Chriſtꝰ Apoſtolos juſsit bibere, quod manifeſtè falſum eſt: ſequelam ſic probo: quodcunq; hoc in loco Chriſtus præcepit Apoſtolis, præcepit etiam omnibus fidelibus, ſed Chriſtus præcepit Apoſtolis bibere ex hoc numero calice, illud enim *ex hoc* tam cadit ſupra continens quàm contentum; ergo præcepit idem omnibus fidelibus. quam abſurditatem nullus procul dubio admittet Aduerſariorum.

XIII. *Ad 3. Pauli. 1. Cor: 11. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis:* Ex quo loco tale formant argumentum Aduerſarii. Traditio Apoſtolica omnes obligat: ſed Paulus tradidit omnibus vtramq; ſpeciem ſumendam eſſe; ergo ita ſumere omnes obligantur. Secundò: Paulus tam poſt ſpeciem panis, quàm poſt ſpeciem vini, repetit præceptum *Hoc facite.*

Tertiò: mandat etiam Paulus hic vtriusq; ſumptionem per verba: *de pane illo edat, & de calice bibat.* Quartò: Additur particula *ſimiliter & calicem*, quæ particula (vt ipſi ajunt) ſignificat eandem eſſe traditionem panis & calicis.

XIV. Pro reſponſione, fateor vtramq; ſpeciem à Chriſto inſtitutam eſſe, & ab Apoſtolo vtramq; traditam, nego tamen traditionem hanc præceptum eſſe, illa enim verba: *ego tra-*

tradidi vobis: nunquam significant, *præcepi*, sed *narraui* vel *docui*: & patet aliàs ita locutum Paulum.

1. *Cor*: 15. *Tradidi vobis quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris*: quàm rectè interpretaremur hoc modo?

Præcepi vobis, *quoniam Christus mortuus est &c*: Paulus ergo Corinthios solùm docet, quæ in vltima Cæna fuerunt gesta, vt scirent, quantâ cum reuerentiâ hæc actio sit obeunda. Vnde sic argumentor: quando *Paulus* Corinthios institutionem Echaristiæ docuit, non plus præcepit eis, quàm in eâ institutione Christꝰ anteà præceperat, sed Christus non præceperat antea sub vtraq; speciē sumendam Eucharistiam esse; ergo nec hic præcepit *Paulus*. Quòd autem *Paulus* tradiderit historiam de institutione sacramenti, patet ex his verbis: *quoniam JEsus in quà nocte tradebatur accepit panem &c*: Aduersariis ergo incumbit ostendere (cùm *Paulus* hic nihil noui præceperit) â Christo aliquod præceptum emanasse in institutione Eucharistiæ, de ea sub vtraq; specie sumendâ; quod nunquam præstare poterunt.

Ad 2. *Hoc facite*. quod hoc in loco bis ponitur, nihil causæ nostræ officit, quin imò plurimum pro nobis facit. quod sic probo: Vel illa verba *Hoc facite*: significant præceptum vel non: si non; nihil omninò pro- XV.

bant. si ita; conuincitur apertè solam speciem panis esse absolutè præceptam. Verba enim illa apud nullum, nisi hic apud Paulum, & apud Luc. 22. reperiuntur. Vterq; absolutè ponit tantùm post speciem panis. Paulus quidem etiam post vini speciem ea repetit, verùm non absolutè, sed cum limitatione libertatis. *quotiescunq; biberitis hoc facite*. ac si quisquam diceret: poculum aureum hoc tibi dono, ex quo quotiescunq; voles bibere, bibes in meam sanitatem. quis sanè dicet per hæc imponi præceptum ex poculo bibendi? tantùm enim imponitur præceptum bibendi in sanitatem, ex suppositione si velit bibere. Sic etiam cùm Apostolus de calice hic loquitur, non mandat bibitionem calicis, sed Domini commemorationem celebrandam esse; non semper; quia non tenetur semper sumere sub illa specie, sed quotiescunq; de calice volet sumere. Itaq; ex vi horum verborum clarè demonstratur, absolutè solius panis consecrationem vel exhibitionem, non autem Calicis præceptam esse.

XVI. Ad 3. nulla est difficultas: illud enim: *de pane illo edat:* &c. sequitur post ista verba: *probet seipsum homo, & sic de pane illo edat &c.* quibus verbis non jubet Apostolus vt fideles edant panem, vel calicem bibant absolutè; sed modum præscribit, quo vti debent, si edere aut bibere velint vtiliter. ac

si di-

ſi dicas: priusquam comedas & bibas, manus laua, & ſic comedas & bibas. in quo loquendi modo, nulla ratione præcipitur comeſtio aut bibitio, ſed ſolummodò mandatur, vt ante comeſtionem & bibitionem manus lauentur.

Ad 4. nec quidquam facit illud *ſimiliter*, quia ſolam refert acceptionem. eſt enim ſenſus: ſimiliter poſtquam cœnauit accepit calicem, quòd autem non referat omnia, quæ Chriſtus fecit circa panem, patet; quia Chriſtus non ſolum panem accepit, & benedixit, & dedit; ſed etiam fregit, & fractum diuiſit inter accumbentes: calicem verò non fregit, nec diuiſit ipſe diſcumbentibus, ſed dedit integrum, vt vnus alteri porrigeret. Ipſe etiam Paulus hoc loco, cùm habeat particulam *ſimiliter*, non tamen ille addit, *dedit*, ſed ſolummodo *accepit*, non poteſt ergo illud *ſimiliter* referri ad verbum *dedit*, ſed ad *accepit*. XVII.

Cùm igitur in ſupradictis nullum inueniatur præceptum, demonſtrare non poſſunt Aduerſarii in totis ſacris Bibliis vllum contineri.

Rationes autem quibus opinionem ſuam conantur approbare, ſunt iſtæ. Prima. prout inſtituta eſt Euchariſtia, ſic eſt ſumenda, ſed inſtituta eſt ſub vtraq; ſpecie; ergo ſub vtraq; ſpecie eſt ſumenda. XVIII.

Verùm distinguimus Majorem, videlicet, prout instituta est Eucharistia, sic est sumenda secundùm omnia substantialia, conceditur; secundùm accidentalia, negatur. vtraq; enim species non pertinet ad substantiam Sacramenti, cùm ad causationem gratiæ quælibet species sufficiat, & sub vna specie omnia substantialia Sacramenti reperiantur: videlicet verum corpus Christi, cui per naturalem concomitantiam, anima, diuinitas &c: associantur, vt supra probatum est; idq; omne ex vi verborum. Cùm igitur substantialia omnia sub una specie habeantur, sequitur sumptionem sub vtraq; specie in ordine ad Sacramentum accidentalem esse; non autem in ordine ad sacrificium, inquo vtraq; species essentialiter requiritur, vt postea dicetur.

XIX. Vnde patet, quòd licet sit sub vtraq; specie instituta Eucharistia, non tamen inde sequi, sub vtraq; sumendam esse. Aliud enim institutio est, aliud præceptum. illa absq; isto frequenter in Diuinis reperitur: Matrimonium enim & Baptismus, institutus est, non tamen omnibus præcipitur, vt nubant vel baptizent. Et posito quòd nubere vel baptizare velint, Sacramentum facient substantialia seruando, licet accidentalia omittant. quin imò, & in hujus de quâ agimus Sacramenti institutione nonnulla facta sunt, quæ nec ab Aduersariis judican-

tur obſeruanda. nam Chriſtus in ultimâ Cænâ inſtituit & diſtribuit Euchariſtiam poſt alios cibos; ſeu *poſtquam cœnaßent*, & lotis prius pedibus, de qua lotione quidem præcepit, *debetis alter alterius lauare pedes* Joan: 13. v, 14. Cur ergo veſperi poſt cœnam non communicant Lutherani? & cur non priùs lauant pedes? quòd ſi fortè dicant, hæc ad inſtitutionem non ſpectare, aſsigno alia. Chriſtus in inſtitutione Euchariſtiæ vſus eſt pane grandiore, quem benedixit, fregit, deditq; &c: Cur Lutherani vtuntur panibus tenuibus orbicularibus, quos hoſtias vocamus? cur magnum panem non frangunt prædicantes, & particulas populo diſtribuunt, cùm hoc Chriſtus fecerit? Secundò Paulus præcipit, vt in Cœna ſacra de vno pane participemus 1. Cor. 10. v. 17. quod mandatum non poteſt ſeruari niſi in grandi pane, cur ergo illum non adhibent Lutherani? Tertiò juſsit Chriſtus Luc. 22. v. 17. *Accipite & diuidite inter vos.* Cur hoc non ſeruant Lutherani, cur â prædicante panem acceptum juxta mandatum Chriſti inter ſe non diuidunt?

Sicut ergo dicunt Aduerſarii, has circumſtantias, quamuis etiam â Chriſto ſint præceptæ, non eſſe tamen neceſsariò ſeruandas, quia tantùm accidentales ſunt. Quantò majore jure dicere nos poſsumus ſub vnâ ſpecie licitum eſſe Euchariſtiam ſumere;

cùm & hoc planè accidentale ſit, nec vllo modo â Domino præceptum ſicut fractio ſeu diuiſio?

XX. Secundò objiciunt rationem teſtamenti, pro quo Chriſtus nobis corpus & ſanguinem reliquit; ergo qui tantùm ſub una ſpecie porrigunt, & teſtamentum violant, & filios hæreditatis parte fraudant.

Reſpondeo dupliciter. primò falſum eſſe, quod ſupponunt Aduerſarii, carnem & ſanguinem â Chriſto nobis eſſe relictum in teſtamentum per modum hæreditatis; quia vita æterna eſt hæreditas promiſsa, teſte Apoſtolo ad Tit: 3. v. 7. *Vt hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ*, & Heb: 9. v. 19. *Vt repromiſsionem accipiant qui vocati ſunt æternæ hæreditatis*. nec ullibi in ſcripturâ legimus, nos eſſe hæredes Euchariſtiæ, ſed vbiq; vitæ æternæ. Ratio eſt, quia ſicut Manna viaticum erat iter facientibus in Chanaan, quæ erat hæreditas filiorum Iſrael, ſic Euchariſtia cibus eſt proficiſcentibus ad æternam vitam, hæreditatem filiorum DEI, fuit enim primum alterius figura.

XXI. Senſus autem verborum Chriſti, *hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti* &c: eſt iſte: ſicut vetus teſtamentum ſeu fœdus, quod DEus per Moyſen cum Hebræis pepigit, promittendo eis bona terreſtria, fuit conſummatum effuſione ſanguinis vituli; ſic novum teſta-

testamentum seu fœdus, quod DEus Pater per Filium nobiscum pepigit de æterna vitâ, confirmatum fuit per effusionem sanguinis Christi in cruce; dicendo ergo, *hic est sanguis meus noui testamenti*, alludit ad verba Moysis, de sanguine vituli dicentis: *hic est sanguis fœderis*, videlicet antiqui testamenti. nihil aliud ergo indicare voluit, quàm per sanguinem suum effundendum in Cruce (quem tunc Apostolis propinabat) sanciri nouum testamentum, sicut per sanguinem vituli sancitum fuit vetus.

Respondeo secundò; licet daremus corpus & sanguinem hæreditatem nostram esse, non tamen eâ fraudarentur Laici, cùm vtrumq; sub vna specie sumatur. XXII.

Ex dictis ergo constat, quòd cùm nullum in scripturâ nec in rationibus præceptum de vtraq; specie sumendâ Aduersarii inueniant; nullum omninò tale dari, quod probare hactenus contendimus.

§. 3.

Probatur ex scripturis licitam esse communionem sub vnâ specie.

HAnc assertionem probamus auctoritate Christi, vsum vnius speciei verbis & XXIII.

facto comprobantis, tum etiam Apostolorum, qui eundem vsum verbis similiter & factis adstruxerunt.

Verbis approbauit Christus apud Joann: c. 6. v. 50. *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. v. 15. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi*, v. 52. *si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, & panis, quem ego dabo; caro mea est pro mundi vita.* v. 58. *qui manducat me viuet propter me:* in his & similibus cùm nulla fiat mentio potionis, cum Concilio Tridentino & tota antiquitate Patrum, concludimus, manducationem sub una specie prodesse ad salutem: quæ profectò non prodesset, si species vtraq; foret necessaria. Nec obstat quod nonnulli negent, in illo toto capite agi de manducatione Sacramentali. negant enim sed non probant, nos cum omnibus SS. Patribus asserimus, ibi de vera manducatione agi, quod liquet ex discipulis, quibus durus videbatur sermo, Carnem Domini comedere, ideoq; conuersi sunt retrorsum. Lutherani certè negare non possunt, quia cùm hic de vera corporis Christi manducatione agatur, necesse est aliam veram ejus manducationem præter Eucharisticam assignent, nisi cum Caluinistis sentire velint, omnem Christi manducationem esse tantùm spiritualem, & merè Metaphoricam,

ricam, quæ vera manducatio non eſt, & ab omnibus Lutheranis damnata.

Facto quoq; vnam ſpeciem â Chriſto approbatam, oſtendimus ex Luca. c. 24. v. 30. vbi ſic de duobus diſcipulis in Emaus: *Et factum eſt dum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit ac fregit, & porrigebat illis, & aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipſe euanuit ex oculis eorum.* Hic autem â Chriſto confectum eſſe Sacramentum. Probatur 1. authoritate SS. Patrum qui hoc affirmant. XXIV.

Sunt autem hi: *Joannes Chryſoſtomus* homil. 17. operis imperf. in Matth. *D. Hieronymus in Epitaph.* Paulæ ad Euſtoch: *Auguſtinus* de conſen: Euangeliſt: L. c. v. 25. *Heſychius Hieroſol:* L. 2. in Leuit: c. 9. *Beda* ad c. 24. Luc: *Theophilactus* ad c. 24. Luc. *Enthymius*, *Strabus* aliiq;. Et licet nonnulli Patres, vt Aduerſarii reponunt, aliter ſenſerint, tamen ex Patribus enumeratis ſic ratiocinari licet. Cùm S. Hieronymus, Auguſtinus, & qui diuerſis ſæculis vixerunt Patres, judicarint & docuerint, Chriſtum ſub vna ſpecie Euchariſtiam in Emaus diſcipulis dediſse, ſequitur apertè eos etiam judicaſse, Euchariſtiam ſub vna ſpecie diſtribui poſse, cùm tantum abſit, vt hoc Diuino jure ſit prohibitum, quin potius id ipſo facto Chriſtus comprobarit. Igitur ſiue Chriſtus in Emaus ſub vna ſpecie Euchariſtiam dede-

rit siue non dederit. Antiquorum tamen Patrum est sententia, eam sub vnâ specie licitè dari posse. Et sanè interrogentur Aduersarii, errauerintne supracitati Patres an non? si non errauerint, habemus quod intendimus. si errauerint, quomodo hoc probabunt? nihil certè inuenient nisi pertinaciter negando. Et hæc de authoritate satis dicta sunto.

XXV. Altera probatio ex ipso contextu sumitur. 1. quia iisdem verbis & modo, hic vsus est Christus, quo vsus est, dum corpus suum consecratum Apostolis in vltima Cœna daret Matth: 26 ergo mens Euangelistæ fuit describere eandem actionem.

2. *Accepit panem & benedixit*, sed quando communiter vulgaris panis comedendus benedicitur, relinquitur in mensa non accipitur in manus, ergo hæc benedictio singularis & mysteriosa fuit.

3. Nouies notatum est ab Euangelistis â Christo panem in manus acceptum, esse, benedictum, & benedictionem semper efficacem exstitisse. nulla profectò ratio est negandi hac decimâ vice, post consuetam & mysteriosam benedictionem nullum effectum esse consecutum.

Præterea in aliis benedictionibus vel multiplicatus fuit panis (vt Matth: 14. Marc. 6. Luc: 9. Joan: 6. iterum Matth: 15. Marc: 18.) vel conuersus fuit in corpus Christi.

(*vt Matt:*

(vt Matth: 26. Marc: 14. Luc: 22.) in hoc autem loco multiplicatus non fuit, vt est certum, ergo mutatus est in corpus Domini, aut assignent Aduersarii ex scripturis aliquam aliam mutationem esse factam.

4. Deniq; ex effectu: *nam aperti sunt oculi eorum & cognouerunt eum:* adeò vt panis ille majorem vim habuerit, quàm verba Christi, propter quæ quidem ardebat cor discipulorum, non tamen per ea cognouerunt eum, vt in fractione panis. Quòd autem Caluinistæ insulsè dicant, Christum habuisse singularem modum frangendi panem, nihil aliud est quàm ex Christo mimum aliquem aut gesticulatorem facere. Nam ex nullâ verisimilitudine scripturæ id probari potest. Nullo enim loco notatur, quòd inter comedendum Christus panem fregerit, nisi tunc quando frangendo illum miraculosè multiplicauit, & in vltima Cœna in corpus suum transmutatum Apostolis distribuit, quomodo ergo probari potest, habuisse Christum singularem modum frangendi panem? nisi hunc velint esse singularem modum, quòd Christus nunquam legatur fregisse panem, quin notabile miraculum secutum sit; hoc est vel multiplicatio dapum, vel mutatio in corpus Dominicum, quod libenter concedimus, & inferimus: in Emaus non fuerunt multiplicatæ dapes; ergo fuit panis in corpus Domini mutatus. Hoc de verbis & facto Christi.

XXVI. Nunc de Apoſtolicis dictis factisq́;. 1. in actibus Apoſtolorum, quandocunq́; fit mentio Euchariſtiæ â fidelibus acceptæ, nunquam vtriusq́; ſpeciei, ſed ſolius panis fit mentio. vt patet Act. 2. v. 46. Act. 20. v. 7. & v. 11. Act. 27. v 35. clariſsimè Act. 2. v. 42. *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis & orationibus* in quibus locis omnibus fractionem panis eſſe communionem Euchariſticam, teſtantur imprimis SS. Patres *Chryſoſtomus* homil. 17. operis imperf: in Matth: *Beda* ad c. 20. Act. *Jonas Aurelianenſis*, lib. 3. de Imagin: ipſe etiam Syriacus textus, qui vbicunq́; dicitur *fractio panis*, habet ipſe *fractio Euchariſtiæ*. Quinimò illud ipſum clariſsimè fatentur *Joan: Caluinus* ad cap. 20. Act. *Kemnitius* in 2. p. Examin, Beza & alii eruditiores Aduerſarii.

Ratio eorum eſt, quia Act. 20. v. 7. diligenter notatur ille dies, quo ſolebant in primitiuâ Eccleſiâ fideles conuenire ad ſacros conuentus, qui erat prima ſabbathi, id eſt, dies Dominicus. Et Paulus Troade manſiſse dicitur ſeptem diebus, & exſpectaſſe primam ſabbathi, vt tunc fideles conuenirent ad frangendum panem. quia ordinariè illo tantùm die ſolebant communicare. Ipſe etiam Paulus 1. Cor. 10. v. 16. *fractionem* de qua agimus definit eſſe *participationem corporis Chriſti*. ſic enim ait, *panem quem*

fran-

frangimus nonne participatio corporis Domini est? Et hac ratione confirmatur, eo quod à scriptore sacro valde incongruè, inter perseuerantiam doctrinæ Apostolorum & orationis fuisset interjecta comestio vulgaris, & certè vituperium fuisset, non laus Apostolorum & fidelium, perseuerantes fuisse in comestione & continuâ edacitate.

Verùm, licet Aduersarii pleriq; fateantur per fractionem panis Eucharistiam intelligi in istis locis, vt supra diximus. volunt tamen per synecdochen etiam intelligi calicem, sed hoc non posse dici, sic ostendimus. Primò, quia gratis asumitur, cùm nullam ea de re mentionem in scriptura Lucas faciat. nec major ratio videtur istud asserendi, quàm si diceretur; quando Christus in deserto multiplicauit panes; etiam aliquot vini cados multiplicasse, quod absurdum est. XXVII.

Ex dictis quoq; Apostolorum probatur vtramq; speciem non esse necesariam, sed vnam sufficere ad salutem. Nam Paulꝰ 1. Cor. 11. v. 27. *Quicunq;, inquit, manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Vnde sequitur non esse reum corporis & sanguinis, qui dignè manducauerit panem, vel biberit sanguinem; ergo non solùm salutaris est vtriusq; speciei; Sed etiam hujus vel alterius vsus. XXVIII.

XXXVIIII Deniq; probatur ratione ex modo institutionis. Constat enim clarè ex Luca & Paulo Eucharistiam sub specie panis institutam esse ad initium Cœnæ, seu cœnantibus illis; sub specie verò vini *postquam cœnauit*, & consequenter diuerso tempore & multo interposito: tunc sic; si panis & vini species ita sint institutæ, vt vi institutionis nullo modo debeant separari; cur Christus vnius speciei institutionem ab altera in tantum separauit? Vnde videmus manifestè ex hoc modo, quòd vna species non sit necessariò conjuncta cum alia, sicut haustus, qui post mensam fit, non est absolutè necessarius ad cœnam vel prandium.

§ 4.

Potest justis de causis ab Ecclesia Laicis prohiberi calix.

XXX. CUm nullum exstet in sacris literis præceptum de vsu vtriusq; speciei. & tam ex scriptura, quàm ex SS. Patribus & continua Ecclesiæ consuetudine constet, liberum fuisse sub vnâ specie Eucharistiæ vsum. non videtur esse dubium, quin alterius speciei vsus potuerit ab Ecclesia justis de causis prohiberi, quod probatur primò; quia Ecclesia seu potiùs ejus Prælati à Christo potestatem habent, omnia præscribendi, quæ ad ac-

ad accidentales ritus seu cæremonias Sacramentorum spectant, & substantiam non attingunt; ac jure Diuino præcepta non sunt; sed sub vnâ specie communicare non pertinet ad essentiam Sacramenti, sed est quid accidentale, de quo jure Diuino nihil est præceptum; ergo. Major propositio probatur authoritate Christi & praxi Ecclesiæ. Christus enim Matth: 18. v. 17. inquit, *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Ex praxi autem patet: Act: 15. v. 29. præceptum ab Apostolis abstinere â sanguine & suffocato. Idem tamen postea ab Ecclesiâ permissum, abolito præcepto Apostolico. Item lotio pedum ante Eucharistiæ sumptionem cum præcepto instituta. Cùm tamen ad substantiam Sacramenti non spectaret, legitimas ob caussas ab Ecclesiâ sublata est. Idem cum trinâ immersione factum in baptismo, aliisq; multis; ergo Ecclesia potestatem habet tollendi, addendi, vel immutandi ea quæ Sacramentorum essentiam non ingrediuntut, sed tantùm accidentalia seu cæremonialia sunt.

Si igitur potuisse constat probatur & meritò fecisse, quia justissimæ. fuerunt causæ quæ petuntur, *Primò*: ab incommodo sumptionis sub vtraq; , quod multiplex esse potest. assignat 1. Concilium Const: sess: 13. *Hac*, inquit, *consuetudo ad euitandum* XXXI.

dum aliqua pericula & ſcandala eſt introdu-ƈta. quæ videlicet oriri poſsunt ex magnâ hominum multitudine irreverenter accedentium, & per illa, quæ tot inter diuerſi ſexus ætatis & conditionis homines, accidere ſolent.

XXXII. Secundò: propter abſtemios, quibus guttam vini ſumere impoſsibile eſt; & inopiam vini, quod in plurimis locis Indiæ reperiri nequit, præſertim pro multis hominum millibus communicandis.

XXXIII. Tertiò: Propter vniformitatem in Eccleſiâ ſeruandam. Cùm enim Concilium Conſtantien: vidiſset vſum vtriusq; vel vnius ſpeciei paſsim ab antiquo in Eccleſiâ vſurpari; ſic ſtatuit ſeſs: 13. *Cùm hujusmodi conſuetudo ab Eccleſia & SS. Patribus rationabiliter introducta & diutiſſimè obſeruata ſit, habenda eſt pro lege.*

XXXIV. Quartò deniq;: ad refringendam hæreticorum pertinaciam, qui vrgebant vtramq; ſpeciem tanquam ad ſalutem neceſsariam, quam doƈtrinam vt Eccleſia demonſtraret eſſe falſam, vſum Calicis Laicis prohibuit. Sicut antea ſub Leone & Gelaſio Papis, præceptus fuit vtriusq; ſpeciei vſus, propter Manichæos, qui vinum tanquam fel Draconis deteſtabantur; & Chriſtum ſub ejus ſpecie negabant eſſe. Quod igitur Eccleſia propter Manichæos præceperit, vtriusq; ſpeciei vſum: propter Huſsitas & alios No-

uatores

natores alteram ſpeciem diverſo tempore ſuſtulerit; non ideo factum eſt, quòd primò ſub vna tantùm ſpecie, vt tempore Leonis; ac deinde ſub vtraq;, vt contra Huſsum, ſumere corpus Domini malum & illicitum putaret; ſed vt hæreticorum exſurgentem tunc errorem corrigeret & damnaret.

CAPVT III.

Aduerſariorum objectiones diſſoluuntur.

QUanquam §. 2. ſuperioris capitis præcipuas Aduerſariorum objectiones reſoluerimus; nonnullæ tamen adhuc ſuperſunt breuiter examinandæ. XXXV.

Objiciunt 1. Tam Leonem quàm Gelaſium Papas damnaſſe Manichæos, quòd ſub vná tantum ſpecie communicarent, vt patet apud Gratianum in c. *Comperimus* atq; ideo vtramq; etiam ſpeciem præcepiſſe fidelibus.

Reſpondeo falſum eſſe Manichæos propter vnicam ſpeciem damnatos fuiſse, quod nullibi legimus, ſed neq; Auguſtinus & alii qui contra illos ſcripſerunt accuratiſsimè, vnquam illos propter hoc punctum arguunt, multò minùs condemnant. rem autem explico, & objectionem illam pro nobis facere oſtendo. Manichæi cùm ex Africa Romam venirent, vt non agnoſcerentur,

cum

cumCatholicis communicabant sub solâ specie panis, existimantes, vt supra dixi, sub specie vini Christum esse non posse, quá eorum fraude compertâ, Leo & deinde Gelasius mandarunt fidelibus omnibus, vt sub vtraq; specie communicarent omnes, & ita Manichæi posent dignosci. hæc tota historia est. Vnde deduco: volebant Manichæi latere & non dignosci pro talibus, ideo communicabant sub vnâ. ergo & alii fideles communicabant sub vnâ. Nam quomodo aliàs latere potuissent, si ipsi soli sub vnâ, fideles alii sub vtraq; communicasent? Deinde mandarunt Pontifices, vt omnes fideles sumerent vtramq; speciem ad detegendam fraudem Manichæorom; ergo fideles, ante tantùm vnam speciem sumebant. frustra enim mandassent sub vtraq; sumi, si semper ante sic sumpta fuisset. Gelasius verò non tulit præceptum de specie vtraq; sumendâ, quod indicaret, vnius speciei vsum malum vel illicitum esse; sed partim vt â fidelibus Manichæos distingueret; partim etiam ne fideles paulatim imbuerentur errore Manichæorum, putarentq; malum esse sub vtraq; specie Eucharistiam sumere.

XXXVI. Objiciunt 2. plus confertur sub vtraq; specie quàm sub vna; ergo vtraq; species sumenda est. Probo antecedens 1. Vnaquæq; species per se confert effectum suum; ergo plus conferunt duæ quàm vna.

Secundò,

Secundò: duæ ſpecies ſimul ſumptæ plus ſignificant quàm vna, ergo plus efficiunt; per vtramq́, enim ſpeciem ſignificatur totum conuiuium, cibus & potus, non autem per vnicam ſpeciem.

Tertiò: fruſtra Chriſtus inſtituiſset vtramq; ſpeciem, ſi vtraq; non plus conferret, quàm vna.

Reſpondeo falſum eſſe vtramq; ſpeciem plus conferre quàm vnam. probationem primam diſtinguo: quando vna ſpecies per modum refectionis ſola ſumitur; tantùm confert quantùm vtraq; ſimul. ſi ſumatur vtraq; tunc partialiter confert eundem effectum. Eodem modo ac ſi quis duas particulas conſecrati panis ſumeret. ſi priùs ſumeretur vna, totus conferretur effectus panis, abſolutè quidem ſi altera non ſequatur; in ordine verò ad alteram ſi ſequatur. XXXVII.

Ad ſecundam probationem dico; ſignificationem Sacramentalem dupliciter ſpectari poſse: vel ex parte rei ſignificatæ, vel ex modo tantùm ſignificandi. ſi priori modo ſpectetur, ſemper eſt æquè perfecta. ſi poſteriori; perfectior eſt ſignificatio ſub vtraq; quàm ſub vnâ ſpecie, propter perfectiorem ſignificandi modum. efficientia tamen Sacramenti non reſpondet ſignificationi ex parte modi ſignificandi. ſed ex parte rei ſignificatæ.

Ad 3. *Probationem* respondeo: non frustra sub vtraq; specie â ChristoEucharistiam esse institutam; illa enim non solùm Sacramentum est, sed etiam sacrificium nouæ legis. Ratio Sacramenti saluari potest sub vna specie, non autem sacrificii; quod vtramq; speciem essentialiter requirit. Hinc Sacerdotes dum sacrificant, speciem vtramq; sumunt; extra sacrificium eodem modo quo Laici, vna specie contenti esse debent.

XXXVIII. Objic: 4. Verba Christi sunt Joan: 6. *nisi biberitis sanguinem ejus* i. e. Christi, *non habebitis vitam &c*: ergo necessaria est species vini. Confirmatur: quia propria censenda est hic locutio. ergo licet sub specie panis etiam contineatur & sumatur sanguis; non tamen propriè dici potest bibi. sicut panis intinctus vino si comeditur, non potest dici vinum bibi, sed vnà cum pane comedi. liquidum enim quando rei solidæ, siue non potabili penetratiuè infunditur, sequitur naturam solidi. Et licet per se bibi possit, in tali tamen existentia, in quâ cum solido conjungitur, comedi tantùm potest vnà cum solido, non bibi. ergo sanguis existens concomitatiuè sub specie panis, non potest dici propria locutione bibi: si admittatur, Christus hic impropriè de bibendo sanguine locutus, quæri potest, cur etiam non dicatur impropriè locutus, de manducatione carnis, in eodem versu, ita vt vtrumq;

vt lo-

Vt locutio figurata. Nec obstat, quòd Discipuli non potuerint ferre durum hunc sermonem, ex quo Catholici deducunt, Christum de vera manducatione carnis fuisse locutum, quia potuerunt non intellexisse sensum verborum Christi, vti sæpe ab iisdem aliis in locis factum esse tradunt Euangelistæ.

Deniq; vel hic propriè vel impropriè locutus est Christus: si impropriè: ergo quod in eodem versu dictum est de carne, etiam per impropriam locutionem dictum esse concedendum est; quod est Caluinisticum, quia sic esset corpus Domini tantùm figuratum. XXXIX.

Si propriè; ergo etiam ex calice bibendus Christi sanguis.

Verùm respondeo breuissimè tripliciter. XXXX.

I. Christum propriissimè locutum fuisse, sed ita vt istud & nisi manducaueritis carnem & biberitis &c; significet, vel more vsitato in scripturis. v. 9. *argentum & aurum non est mihi.* Vt sic intelligendo, præceptum sit manducationis *vel* bibitionis.

II. Iterum, fuisse propriè locutum, quia manducatio & bibitio propriè sæpe pro eodem sumitur in scriptura. v. 9. 1. Cor. 3. v. 2. *Lac vobis potum dedi.* & c. 9. v. 7. *quis pascit gregem & de lactè gregis non manducat?* si ergo propriè juxta Paulum, idem est lac bibere & manducare, cur non idem erit Christum bibere & manducare?

III. Propriè locutum dico quoad ſubſtantiam ſumendarum rerum, licet non quoad modum. intentio enim christi erat in illo toto capite Joann. 6. non materialem illum modum bibendi, & comedendi inculcare: ſed verè & realiter Chriſti carnem & ſanguinem ſumendum eſſe, ſiue id bibendo ſiue comedendo fiat. & id comedendo voluiſse fieri patet inde, vt dixi ſupra, quòd quando corpus ſuum ſumendum eſſe præcipit, quater in eodem capite mentionem faciat, ſolius ſpeciei panis, qui comeditur non bibitur.



DE

DE SACRIFICIO MISSÆ DEMONSTRATIO 7.

Lutheranam Ecclesiam non esse veram Apostolicam Ecclesiam, quia rejicit Sacrificium Missæ quod in Verâ Primitiuâ Ecclesiâ Apostolicâ fuit creditum & vsitatum.

CAPVT I.

Antiquitas Sacrificii Missæ.



CUm Aduersarii asserant Missam recens esse commentum Catholicorum, ejus antiquitas ostendenda est, vt clarè pateat, Lutheranam aliasq; acatholicas Ecclesias cum Ecclesiâ verâ primitiuâ non consentire, in quâ Missæ Sacrificia vsitatissima fuerunt. In quo Puncto adeò graui, cùm dissentiant, necessariò sequitur hujusmodi Ecclesias, veras Ecclesias non esse. I.

Probatur ex variis Liturgiis ab Apostolis conscriptis.

Ex Liturgiâ Ecclesiæ Romanæ à Diuo Petro Apostolo traditâ.

Ex Liturgiâ Ecclesiæ Hierosolymitanæ à Diuo Jacobo conscriptâ.

Ex Liturgiâ Ecclesiæ Alexandrinæ Auctore Diuo Marco.

Ex Liturgiâ Ecclesiæ Æthiopicæ Diui Matthæi Apostoli.

In quibus omnibus Missæ Sacrificium, & pertinentes ad illud ritus accuratè describuntur. Quas Liturgias licet Aduersarii rejiciant, non habent tamen vllam rationem, nisi quia Doctrinæ eorum contrariantur. Et cum temerè plus negare possint, quàm nos probare sapienter manemus in possessione hujus veritatis, donec ipsi conuincant ejusmodi Liturgiis non habendam esse fidem, quod probare nunquam possunt.

Anno 80. *Clemens Romanus* Epistolâ 2. *Non vtiq; Missas sine ejus* (Episcopi) *jussu quisquam Presbyterorum agat.* Epistolâ 3. *In aliis locis sacrificare & Missas celebrare, non licet, nisi in his, in quibus Episcopus proprius jusserit, aut ab Episcopo regulariter ordinato.* Et alibi sæpè.

Anno 100. *Dionysius* Areopagita Ecclesiasticæ Hierarchiæ capite 3. Ritum Altaria Templaq; consecrandi & Missæ Sacrificium offerendi, latè diserteq; describit.

Ignatius Epistolà ad Smyrnenses: *Non licet sine Episcopo baptizare, neq; offerre, neq; Sacrificium immolare, neq; Dochen celebrare.* Vetus Translatio habet: *Missam celebrare.*

Omitto Pontifices *Anacletum, Alexandrum, Telesphorum, Pium, Anicetum, Soterum* & alios primi & secundi Sæculi, qui fre-

quen-

quentissimam de Missæ Sacrificio mentionem faciunt, vt in eorum Actis & Epistolis videre est.

Justinus Dialogo cum Tryphone, post multa: *Vniuersos igitur, qui per nomen ipsius Sacrificia offerunt, quæ JEsus Christus fieri tradidit, hoc est in Eucharistiâ Panis & Calicis, quæ in Loco omni â Christianis fiunt, præuertens DEus, gratos sibi esse testificatur.* Et plurima alia in eundem sensum. *Anno 150.*

Irenæus aduersus Hæreses l. 4. c. 32. *Sed & suis Discipulis dans Consilium primitias Deo offerre ex suis Creaturis, eum qui ex Creaturâ Panis est accepit & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum &c: Noui Testamenti nouam docuit Oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso Mundo offert Deo. &c:* *Anno 180.*

Tertullianus Libro ad Scapulam c. 2. *Itaq; & sacrificamus pro Salute Imperatoris: sed Deo nostro, & ipsius.* *Anno 200.*

Origenes l. 8. contra Celsum: *Videtur ad eum solùm pertinere offerre juge Sacrificium, qui se perpetuæ deuouerit Castitati.* *Anno 240.*

Cyprianus Epistolâ 16. *Et nos quidem vestri diebus & noctibus memores, & quando in Sacrificiis precem cum pluribus facimus &c:* Epistolâ 68. *In ordinationibus Sacerdotum, non nisi immaculatos & integros Antistites eligere debemus, qui digne & sanctè Sacrificia Domino offerant &c:* Idem adhuc in aliis 12. locis disertissimè habet. *Anno 250.*

Sæculo tertio, innumeros legere est, qui sacrificii Missæ mentionem faciunt clarissimam, videlicet:

Felix 1. Epist: 2. *Eutychianus* ad Gratianum 11. q. 3 c. Si quis. *Si quis Episcopus aut Abbas Presbytero aut Monacho suo jusserit Missas pro hæreticis cantare, non licet, & non expedit obedire eis.*

Marcellinus, Concilium Arelatense primum c. 15. *Eusebius, Sylvester, Julius Papæ in variis Epistolis. Constantinus Imperator Epistola ad Episcopos Tyri collectos. Eusebius Cæsariensis multis in locis.*

Concilium Nicænum Canone 14. Athanasius sermone de defunctis.

Concilium Laodicense canone 58.

Basilius magnus. Cyrillus Hierosolymitanus.

Hilarius Pictauiensis. Marius Victorinus Afer.

Ambrosius, nouem in locis & alii innumeri, sæculis singulis ad hæc usq; tempora descendentes.

II. Ex quibus omnibus hoc Argumentum deduco: Omnes illi citati Patres & plurimi alii tempore Apostolorum & aliis Ecclesiæ veræ & primitiuæ Temporibus, Missæ Sacrificia obtulerunt, & eadem tam dictis quàm scriptis asseruerunt. Ergo in Ecclesiâ verâ Missæ Sacrificia, recepta, approbata & vsitata fuerunt. Confirmatur: Quia quando in Ec-

in Ecclesiâ verâ fuit aliquid scriptum vel in eam inductum, quod contra Scripturam vel Apostolicam Doctrinam esse ab Ecclesiâ judicabatur, statim illud ab Ecclesiâ fuit damnatum, & Patrum scriptis refutatum. (ut patet in omnibus hæresibus, quæ primis Ecclesiæ Temporibus ortæ sunt & damnatæ.) Sed Sacrificium Missæ nunquam fuit ab Ecclesiâ vel Patribus damnatum aut refutatum. (nisi Anno 1360. â Wicleff hæretico damnato ab Ecclesiâ.) Ergo nunquam fuit judicatum contra Doctrinam Christi vel Apostolorum esse. In re autem tanti momenti, tempore Apostolorum vsitatâ, quod non fuit habitum, tanquam Christo & Apostolis repugnans; id judicatum fuit, tanquam ab eorum doctrinâ proficiscens. Ergo, Sacrificium Missæ â Christo & Apostolicâ Doctrinâ proficiscitur. In hoc autem cum Lutherani & cæteri A-catholici ab Ecclesiâ primitiuâ verâ Apostolicâ dissentiant; veram habere nequeunt Ecclesiam, vtpote in tanto puncto veræ repugnantem.

CAPVT II.

Missæ Sacrificium asseritur ex Scripturis.

OMissis variis tùm antiqui Testamenti Sacrificiis; tum eorum Definitionibus III.

De Sacrificio Noui Teſtamenti hic agemus: quod duplex eſt. *Cruentum* vnum, in quo Chriſtus in Arâ crucis Deo Patri oblatus eſt pro peccatorum noſtrorum expiatione. Alterum *incruentum*, quo idem Chriſtus cottidiè ſub ſpecie Panis & Vini offertur in Altari. De hoc vltimo controuerſia cum Aduerſariis nobis intercedit. Negant illi verum Sacrificium eſſe; nos affirmamus, & probamus autoritate tùm veteris, tùm noui Teſtamenti, Paragraphis ſequentibus adducendâ.

§ I.

Miſſam verum eſſe Sacrificium demonſtratur Figuris veteris Teſtamenti.

IV. Controuerſia, quæ inter nos & Aduerſarios circa ſacroſanctum illud Myſterium verſatur, in hoc præciſè conſiſtit: An Chriſtus in vltimâ Cœnâ corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus Panis & Vini, tanquam verum & incruentum Sacrificium obtulerit Deo Patri; ac ſub earundem rerum Symbolis, Apoſtolis, quos tunc Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent, tradiderit, & eiſdem eorumq; in Sacerdotio Succeſsoribus, vt offerrent, præceperit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Negant

Negant Aduersarii; nos affirmamus & probamus ex paucis S. Scripturæ Locis â Concilio Tridentino Seſsione 22. canone 1. adductis.

Prima Probatio ſit ex Pſalmo 109. v. 4. *Jurauit Dominus & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech.* V.

Chriſtum autem vocari Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech indubitatum eſt ex Paulo *ad Hebræos* c. 5. v. 6. 10. c. 6. v. 20. c. 7. v. 17. 21. Hoc poſito ſic argumentor: Si Melchiſedech Panem & Vinum obtulit, in eaq; oblatione Chriſti in vltimâ cœnâ Figura fuit, certum eſt etiam Chriſtum in vltimâ Cœnâ ſub ſpeciebus Panis & Vini corpus ſuum obtuliſse. Sed Melchiſedech Panem & vinum obtulit, & in hac oblatione fuit Figura Chriſti. Ergo Chriſtus in vltimâ cœnâ ſub ſpeciebus Panis & Vini corpus & ſanguinem obtulit. In quo Argumento alteram Propoſitionem negant Aduerſarii, in quâ duo continentur: 1. Melchiſedechum vt Sacerdotem Panem & Vinum obtuliſse. 2. In hac oblatione fuiſse Typum Chriſti. Vtrumq; autem ſic probamus: Quoad primum: Gen: 14. v. 18. *Melchiſedech Rex Salem proferens Panem & Vinum (erat enim Sacerdos Domini) benedicit ei, & ait: Bene-*

dictus Abraham Deo excelso &c: In quibus verbis hoc notandum est: quod licet expressè scriptum non sit, Panem & Vinum oblatum esse in Sacrificium, non tamen etiam scriptum esse, ea non esse oblata in Sacrificium, vt volunt Aduersarii. Cùm itaq; neutrum expressè scriptum sit, videndum est, quodnam ex verbis Scripturæ clariùs deduci, aut colligi possit.

VI. Aduersarii asserunt Panem & Vinum prolata fuisse tanquam â Rege, vt reficerentur Vernaculæ Abrahami: sed contrarium demonstrari potest ex toto cõtextu & verbis illius capitis 14. Nam cùm quatuor Reges Victores â duobus devictis accepissent omnia *& universa, quæ ad cibos pertinent* v. 11. Ea omnia recuperauit Abraham, & inde sufficienter comederunt ejus Vernaculæ trecenti decem & octo, vt patet ex illo, quòd Abraham nihil vellet accipere ex omnibus spoliis, quæ offerebat ei Rex Sodomæ *exceptis his quæ comederunt Juuenes.* v. 24. Cùm ergo non habeatur expressè scriptum, â Melchisedech Panem & Vinum oblatum fuisse in refectionem illorum; non video, quâ de causâ hoc Aduersarii de Militibus jam saturis affingere audeant: cùm pro se neq; scripturam neq; vllum Testimonium Patrum habeant. E contra verò Melchisedechum attulisse Panem & Vinum sanctificatum non pro-

profanum, eaq; primariò obtulisse Deo in sacrificium, ac deinde dedisse Militibus; non vt famem & sitim inde exstinguerent; sed vt Sacrificii participes fierent, nullo modo contra scripturam esse: sed ex eâ clarè colligi posse declarant Verba sequentia: Nam cùm dicitur *Rex Salem protulisse Panem & Vinum*, statim immediatè adjungitur Ratio; *erat enim Sacerdos Dei altißimi*; quæ illatio ineptissima esset; & nihil penitùs ad propositum, si non voluisset significare ista tanquam â Sacerdote ratione officii sui fuisse prolata. Si tanquam â Sacerdote Dei altissimi, (vt manifestè dicit Scriptura) ea ad Sacrificium, non autem ad vulgarem pertinuisse cibationem necesse est. quod ita factum fuisse, probamus insuper autoritate omnium sanctorum Patrum, ita sentientium, quos infra citabimus, patet ergo verum esse quod diximus supra, Melchisedechum protulisse Panem & Vinum in Sacrificium.

Secundùm autem quod per hoc Sacrificium Melchisedech vera figura fuerit Christi, probamus hoc modo: Vt Christus verè dicatur Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, debet conuenire in illo, cum eo quod maximè proprium est Sacerdoti Melchisedech. Sed maximè proprium ei fuit offerre Panem & Vinum. VII.

Ergo

Ergo &c: major est certa. Minor Propositio probatur 1. Nam quòd acceperit decimas in eo conuenit cum Leuitis 2. Quòd non fuerit vnctus oleo, vel alterius successor, conuenit cum Abele, quod sine Genealogiâ describitur; conuenit cum Eliâ; & licet in Sacrificio Araonico fuerit adhibitus *Panis* & Vinum, magnum tamen inter vtrumq; fuit discrimen: quia *Panis* & Vinum in Sacrificio Araonico tantùm fuit Pars quædam & quasi condimentum alterius: non autem principale sacrificium. At in Melchisedechico erat principale. Ergo soli Melchisedecho proprium fuit, offerre *Panem* & Vinum, præsertim cùm non legatur vllum Sacrificium ab eo fuisse oblatum. Vnde sequitur, Christum in hoc principali & proprio, ei debuisse similem esse, & verò etiam in vltimâ Cœnâ fuisse; vbi mandauit Apostolis, vt *hoc* in suam commemorationem in perpetuum facerent, ex quo Sacerdotium ejus æternum probatur, quando Christus seipsum per ministerium Sacerdotum quottidiè offert *Patri* æterno, tanquam Sacerdos æternus.

VIII. *Probat* hactenus dicta vnanimis consensus Ecclesiæ, per *Patres* explicatus, qui omnes affirmant Melchisedechum in oblatione *Panis* & Vini Typum Christi fuisse, quorum aliquos addimus.

Clemens

Clemens Alexandrinus lib: 4. Stromat: c. 8. *Melchisedech Rex Salem, Sacerdos Dei altissimi, qui Panem & Vinum sanctificatum dedit nutrimentum in Typum Eucharistiæ.* *Anno 200.*

Cyprianus Epist: 63. fuse & disertè hæc eadem docet: *Tu es Sacerdos*, inquit, *secundùm Ordinem Melchisedech, qui ordo hic est; quòd Melchisedech Sacerdos Dei fuit, quòd Panem & Vinum obtulit* &c: & post pauca: *De Cœnâ Domini significatâ olim â tempore Melchisedech prodeunt Sacramenta, â filiis Abrahæ facientibus Opera illius, summus Sacerdos Panem profert & Vinum: Hoc est, inquit, corpus meum.* Eadem habent fuse & clarè: *Anno 250.*

Eusebius de Demonstratione Euangelicâ lib: 5. c. 3. *Anno 320.*

Basilius Magnus ad Psalmum 109. *Quid est secundum Ordinem Melchisedech, nisi propter Mysteria, quod & ille Abrahæ Panem & Vinum obtulit?* *Anno 370.*

Ambrosius lib: 4. de Sacram: c. 6. lib. 5. c. 1. & ad cap. 5. ad Ebræos. *Anno 370.*

Epiphanius Hæresi 55. *Anno 380.*

Hieronymus Epist: 17. ad Marcell: cap. 2. *Recurre ad Genesin, & Melchisedech Regem inuenies, qui jam tunc in Typum Christi Panem & Vinum obtulit, & Mysterium Christianum in Saluatoris corpore & Sanguine dedicauit.* Idem clarissimè repetit Epist: 126. ad Evag: Item in Quæstion: in Genesin. Item ad Psal. 78. & 209. & ad caput. 25. Matthæi. *Anno 390.*

Anno 400. *Johannes Chrysostomus* ad Psalm. 109. *Quare dixit secundùm ordinem Melchisedech? propter Sacramenta; quòd ipse quoq; Panem & Vinum obtulerit.*

Item homil: 35. in Genesin.

Anno 400. *Augustinus* de Doctrinâ Christianâ l. 4. c. 21. *In Sacerdote Melchisedech Dominici Sacramenti præfiguratum videmus Mysterium, secundùm quod scriptura diuina testatur & dicit: Melchisedech Rex Salem protulit Panem & Vinum.* Idem Epist: 95. ad Innocentium Papam: *Melchisedech prolato Sacramento Mensæ Dominicæ, nouit æternum ejus Sacerdotium præfigurare.* Idem ad Psalm: 33. Contra Aduersar: legis & Prophetæ l. 1. c. 20. De Ciuit: Dei lib: 16. c. 22. & alibi.

Anno 420. *Philo Carpathius* in Cantic: Canticorum: *Hic est Panis ille, qui de Cœlo descendit, à Pane illo diu ante præmonstratus, quem Melchisedech Rex Salem & Sacerdos summi Dei, cum vino obtulit.*

Anno 440. *Isidorus Pelusiota* lib: 1. Epist: 431. *Melchisedech Pane & Vino (ἱερατεύων) sacrificans, per quæ diuinorum Mysteriorum Typum adumbrabat.*

Arnobius Romanus in Psalm: 109.

Leo primus sermon: 2. Anniuersariæ Assumptionis suæ ad Pontific:

Eucherius Lugdunensis. Homil: 5. de Paschat:

Theodoretus quæstione 63. in Genesin.

Clau-

Claudius Marius Victor. l. 3. in Genesin.

Primasius ad cap: 5. Epist: ad Ebræos.

Caßiodorus ad Psalm: 109.

Theodoretus quæst: 63. in Gen: & ad Psalm: 109.

Isichius l 6. in Leuit: c. 23.

Joannes Damascenus l. 4. Orthodoxæ fidei.

Theophylactus ad cap: 5. ad Ebræos.

Præter hos inueniuntur adhuc 42. Patres, qui omnes vnanimiter idem docuerunt. Omissis Hebræorum sententiis idem testantibus.

His positis viderit Lector, cui potius fides habenda, an tot Viris sanctissimis & Spiritu sancto plenissimis, vnanimi consensu id affirmantibus, sine vllâ ne dicam vllius contradictione, sed neq; alicujus dubitatione. An potius paucis quibusdam hominibus, solo odio impulsis ad oppugnandum Catholicam Fidem. Quos inter primus fuit Lutherus, alter Caluinus, ante quos nemo dubitasse legitur, quin Melchisedech Panem & Vinum obtulerit, in eoq; Christi Typus perfectissimus fuerit.

§ 2.

Probatur Sacrificium Missæ ex Vaticinio Malachiæ.

IX. PRæclarè de Missæ Sacrificio vaticinatur Malachias cap: 1. v. 10. *Non est mihi Voluntas in vobis, dicit Dominus Exercituum: & Munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim Solis, usq; ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur Nomini meo oblatio munda; quia magnum est Nomen meum in Gentibus, dicit Dominus Exercituum.*

Per hanc autem *oblationem mundam* solam Missæ Sacrificium præsignificatum esse probatur â partium enumeratione & autoritate.

Ac 1. nequit hæc oblatio munda intelligi de Sacrificio Judæorum; quia dicitur â Gentibus offerenda & opponitur Sacrificiis Judæorum. Neq; de Sacrificiis Gentilium piorum, quales ante fuerant Melchisedech, Job &c: quia hi paucissimi erant: at dicitur in omni loco offerenda, quâ ratione nec de Christi Sacrificio in cruce dici potest, cùm id non nisi in vno loco & semel tantum fuerit oblatum. Nec de Sacrificio improprio & Metaphorico operum nostrorum, qualia sunt Oratio, gratiarum actio, Eleemosyna &c: quia 1. vt volunt Aduersarii nulla bona opera sunt munda; sed potiùs maculæ & sordes. 2. quia Oblatio de quâ Propheta loquitur, munda est ex parte rei oblatæ. At contra omnia, quæ ab hominibus pro-

proueniunt, ordinariè imperfecta sunt & immunda. 3. describitur hæc Oblatio vt nova: *Non accipiam munus de vestrâ*, at sacrificium nostrorum operum semper fuit in vsu, etiam apud Judæos, & consequenter non est novum, ergo non loquitur de eo. Sed de Sacrificio propriè dicto in Ecclesiâ; quod in omni parte mundi, & in omni Natione offertur. Quod si non est Eucharistiæ, nullum erit. X.

Et hæc Prophetæ verba sic ab Ecclesiâ semper intellecta fuisse docet vnanimis consensus *S. S.* Patrum Ecclesiæ primitiuæ. *Anno* 80.

Clemens Romanus l. 7. Constitut: Apostolic: c. 31 *Ut Sacrificium vestrum reprehensione careat, sitq; Deo acceptum, quia de Ecclesia sua Oecumenicâ dixit: in omni loco offertur mihi* &: Malach: 1. *Anno* 168.

Martialis Epist: ad Burdegalenses c. 3. *Sacrificium Deo Creatori offertur in Arâ, non homini neq; Angelo, nec solùm in Arâ sanctificatâ, sed vbi offertur Deo oblatio munda; sicut testatus est, cujus corpus & sanguinem in vitam æternam offerimus.* *Anno* 158.

Justinus Dialogo cum Tryphone. *De Sacrificiis à vobis tunc oblatis DEus per Malachiam ait: Non est voluntas mea de &c: De nostris verò Gentium, quæ in omni loco offeruntur Sacrificiis, hoc est Pane Eucharistiæ jam tum locutus prædixit &c:*

Anno 180. *Irenæus* l 4. c. 32. *Eum qui ex Creaturâ Panis est, accepit & gratias egit dicens: Hoc est corpus meum, & calicem similiter &c: suum sanguinem professus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in uniuerso Mundo offert Deo &c: de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificauit: Non est mihi voluntas &c:*

Anno 200. *Tertullianus* l. 3. contra Marcionem. c. 22.

250. *Cyprianus* l. 1. contra Judæos c. 16.

Anno 370. *Eusebius Cæsariensis* l. 1. demonstration: Euangel: cap: 10.

400. *Joannes Chrysostomus* ad Psalm: 95. *Ecclesiæ, quæ vbiq; Christum in se circumfert, â nullo prohibetur loco, sed in omni loco sunt Altaria, in omni loco doctrina: Hæc prædixit DEus per Prophetam, nam & Ecclesiasticam exprimens synceritatem & alterius Populi ingratitudinem traducens, ad illos loquitur: Non est mea voluntas in vobis* &c: *Vide quàm luculenter, quamq; dilucidè mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia &c:*

400. *Augustinus* l. 18. de Ciuitate Dei c. 35. *Hoc Sacrificium per Sacerdotium Christi, secundùm Ordinem Melchisedech, cùm in omnî loco à Solis ortu usq; ad occasum jam videamus offerri; Sacrificium autem Judæorum quibus dictum est: Non est mihi voluntas in vobis,*

nec accipiam munus de manibus vestris, cessare, negare non possunt.

Idem habet lib: 1. contra Aduersar: Legis & Prophetarum.

Idem Orat: contra Judæos c. 9.

Aurelius Carthaginensis Episcopus Epist: ad Marcellin: 400.

Cyrillus Alexandrinus de Adorat: in Spiritu & Verit: l. 2. 430.

Theodoretus ad Malachiam c. 1. 450.

Julius Toletanus l. 1. contra Judæos.

Germanus Constantinopolitanus Epist: ad Thom: Episcopum Claudiop:

Joannes Damascenus l. 4 Orthodoxæ fidei c. 14.

Omitto multos alios subsequentibus sæculis, quibus nullus vnquam contradixit, nisi his posterioribus temporibus Lutherus, Caluinus, Witackerus & quidam alii Nouantes. Vnde sic argumentor: Quem vniuersa vera primitiua Ecclesia, verum ac genuinum esse censuit scripturæ sensum; ille verus ac genuinus est censendus. Sed prædictum Malachiæ locum primitiua Ecclesia de Missæ Sacrificio intelligendum esse censuit (vt ex nominatis Patribus ostensum est) Ergo de hoc Sancto Missæ Sacrificio locus ille intelligendus est. Ergo datur verum Missæ sacrificium, quod â Prophetâ Malachiâ præsignatum est.

§. 3.

Probatur Sacrificium Missæ autoritate Noui Testamenti.

XI. Duobus Argumentis *Noui Testamenti* Missæ Sacrificium probamus.

I. Ex ipsâ Institutione Matthæi 26. Marci 14. Luc. *22.* descriptâ, vbi licet nullibi ponatur expresse Vocabulum istud *Sacrificium*, & inde argumententur aduersarii, non fuisse Sacrificium; non magis probat, ac si dicerem, non esse ibi etiam Sacramentum, quia Vocabulum illud *Sacramentum* nullibi inuenitur. Sicut ergo sufficit vt sit Sacramentum, ibidem inueniri omnia, quæ ad Sacramentum requiruntur: sic, vt sit Sacrificium, satis erit, si sint ibi omnia quæ Sacrificium, requirit. Quæ cùm ibi sint, tam verè ibi erit Sacrificium, quàm verè ibi est Sacramentum.

XII. Vlteriùs hoc Sacrificium ex ipsis etiam Christi Verbis demonstratur. Lucas enim cap: 22. v. 19. loquitur in præsenti: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur* Græcè: *pro vobis datum.* At nulla Ratio est, cur dixerit potius *vobis* quàm *pro vobis*, nisi quia offerebat se ipsum Deo Patri. Si enim voluisset tantùm significare distribui Apostolis, dixisset *vobis* non *pro vobis*. Nec obstat, quod dicant Aduersarii præsens aliquando accipi

pro

pro futuro. Sæpius tamen accipitur pro præsenti. Illis ergo incumbit probare, quòd in hoc loco accipiatur pro futuro. Et certè non solùm hunc locum Lucæ sed etiam Marci & Matthæi, qui in futuro ponunt, in præsenti capiendum esse; satis patebit ex sequentibus. Nam Christus in vltimâ Cœnâ ab Apostolis fuit sumptus vt Victima, vt certum est, & fatentur omnes etiam Aduersarii. Ergo vel vt Victima immolanda, vel vt de facto immolata. Non vt immolanda; quia res immolanda siue nec dum immolata, non est apta, vt sit cibus & potus, debet enim priùs referre rationem mortui, quàm referat rationem comestibilis, & Victimæ. Sed Christus in Cœnâ verè referebat rationem comestibilis, & fuit verè cibus & potus; Ergo verè referebat rationem mortui. Non potuisset autem referre rationem mortui & comestibilis, nisi præcessisset immolatio. Ergo non fuit sumptus vt Victima postea immolanda; sed vt Victima actu & in præsenti immolata. Ergo priùs se ipsum obtulit incruentè, quàm in cruce offerret se cruentè. Exemplo rem declaro. Sit Agnus more veteri destinatus ad Victimam; non potest Agnus ille victimandus manducari, quia viuus est; nec per secuturam immolationem vllo modo refert rationem mortui, & comestibilis. Vt Agnus ergo cibus fiat, necesse est, vt per immolationem actualem mori-

atur. Sic etiam, ante cruentum Crucis Sacrificium, Christus nec dum immolandus non poterat esse cibus & potus, quia per secuturam immolationem non poterat rationem mortui referre. Ergo non potuit sumi ab Apostolis vt Victima immolanda; Itaq; vt Victima de facto jam immolata; perq; eam immolationem actualiter facta manducabilis, sicut actualiter fuit manducata. Christus igitur se ipsum in Cœnâ incruentè obtulit.

XIII. Vlteriùs Christus etiam modò sumitur â fidelibus vt Victima, quod fatentur Aduersarij; & ipse Kemnitius 2. part: Examinis affirmat: *ibi* (in Cœna) *dispensatur & sumitur Victima, quæ pro peccatis nostris semel oblata est*: tunc sic: Christi corpus vt in Cœnâ verè distribuitur, est quodam modo Victima. Ergo debet præcessisse immolatio. Non illa cruenta Crucis: ergo alia incruenta: quòd non illa cruenta Crucis, sic probatur: 1. Cùm Apostoli participarunt illam Victimam in Cœnâ vltimâ, nondum Christus in Cruce fuerat immolatus, ergo non potuit præcessisse immolatio cruenta Crucis. 2. Neq; nunc Victima, quæ distribuitur, potest dici facta per immolationem Crucis, quia illa immolatio semel tantùm facta est, & victima per eam facta, paulò post desiit

esse Victima. Nam quis asserere audebit Christi corpus post Resurrectionem Discipulis apparens, & paulò post Cælos gloriosè transcendens fuisse victimam? multò minùs, dum nunc in Cælis feliciter triumphat. Cùm ergo Victima per immolationem Crucis facta, desierit esse victima; vt iterum sit victima, debet nouâ immolatione fieri victima. sed immolatio Crucis non potest repeti; alia igitur noua requiritur immolatio. Quo circà vel ipsa actio celebratioq; Mysterii Eucharistici est immolatio per quam victima in cœnâ ponitur; aut certè nulla esse potest in Cœnâ Victima, quam tamen ibidem esse fatentur omnes Aduersarii secundùm Kemnitium supra citatum.

2. Probatur ex Paulo 1. Corinth: 10. v. 15. & sequentibus. Ibi triplicem mensam seu Altare Apostolus agnoscit, Judæorum, Idololatrarum & Christianorum. Gentilium Altare, vocat Altare Dæmoniorum, & calicem eorum, calicem Dæmoniorum. Christianorum autem tam Altare, quàm calicem, vocat Altare & calicem Domini. Atq; ita vnum Altare, alteri opponit; vt Christianos absterreat â comedendis Idolothytis, seu Carnibus quæ Dæmonibus erant oblatæ, quod suadet XIV.

hoc modo: ſicut qui participat de Idolothy-tis, fit particeps Altaris Dæmoniorum, ita qui participat de corpore & Sanguine Domini fit particeps altaris Domini; ſed altare Dæmoniorum & altare Domini contraria ſunt; ergo qui de vno participat, non poteſt ſimul participare de altero. Ergo & vos o Corinthii, qui participatis de Altari Domini, non poteſtis veſci Idolothytis. Ex quo diſcurſu patet, Apoſtolum non minus apud Chriſtianos, quàm apud Ethnicos & Judæos ponere Altare, Sacrificium & participantes de Sacrificio: & quidem apud Chriſtianos Sacrificium hoc conſiſtere in oblatione Corporis & Sanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus Panis & Vini, vt clarè ſignificat cùm docet: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt? & Panis &c:*

XV. Accedit ad hæc, quod tam in hoc citato loco, quàm Ebræor: 13. v. 10. Paulus Altare dicat habere Chriſtianos: *Habemus*, inquit, *Altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſeruiunt.* Si Altare; Ergo & Sacrificium, vnum enim abſq; altero eſſe nequit. Non illud cruentum Crucis, (vt ajunt Aduerſarii) non enim ex Cruce, ſed ex altari, quod in Templis eſt, cœleſtem illum cibum ſumimus. Ergo ſolùm deſignatur Sacrificium Euchariſticum.

Deniq;

Deniq; *cùm translato Sacerdotio necesse sit vt & Legis translatio fiat.* Ebræor 7 v. 12. Sequitur quoq; necesse esse â Lege Moysis ad Legem Christi Sacrificii fieri translationem; Sacerdotium enim & Sacrificium inseparabiliter connexa sunt. Ergo necesse est, vt in Lege Christi sit aliquod Sacrificium: sed hoc non potest esse aliud, quàm incruentum Sacrificium Eucharistiæ. Ergò illud &c: Probatur subsumptum. Si esset aliud, esset cruentum semel oblatum. Sed illud non est, vt patet ex Patriarchis & Prophetis, & iis qui subjecti erant tàm Legi Naturali, quam Mosaicæ; habebant enim illi omnes Sacrificium cruentum Crucis vt futurum; & tamen obligabantur ex vi suæ legis Deum colere per sacrificia, quæ repræsentabant futurum Crucis sacrificium. ita nos qui subjecti sumus Legi Euangelicæ, licet habuerimus Sacrificium cruentum Crucis, adhuc tamen ex vi legis nostræ Deum obligamur colere per Sacrificium Eucharisticũ, quod repræsentat Sacrificium præteritum Crucis. In omni enim Lege præcipitur, vt Deo tanquam summo Domino, cultus aliquis tam internus quàm externus exhibeatur. Internus consistit in actu fidei, spei, timoris, dilectionis. Externus in solo Sacrificio. Nam reliqui externi cultus possunt etiam hominibus exhiberi, quo sublato nullus omninò cultus est, quo Deum ritu extrin- XVI.

ſeco ſpecialiter colamus. Externus autem ille cultus in Euangelica Lege, eſt Sacrificium in cruentum perpetuum, per Sacerdotem in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech, in hoc Hominum Miniſterio vtentem.

CAPVT III.

Soluuntur Objectiones Aduerſariorum.

XVII. PRima Objectio contra Miſsæ Sacrificium & quod maximè ſit propitiatorium eſt hæc:

Chriſtus non niſi ſemel offerendus fuit, idq; cum ſanguinis effuſione & Mortis interuentu, Et hac ipſâ corporis ſui oblatione vnicâ, peccata omnia expiauit, & æternam Redemptionem inuenit. quæ omnia clarè docet Paulus Hebræorum 9. & 10. multis verſibus. Sed in Miſsa (juxta Catholicos) Chriſtus cottidiè offertur & quidem ſine ſanguinis effuſione & Mortis interuentu. in Miſsâ deniq; offertur Chriſtus, vt hoc Sacrificio (quaſi non ſuffeciſſet Crucis) viuentium & mortuorum in Purgatorio degentium Peccata expientur. Ergo vel Paulus cenſendus eſt errâſse Hebræ: 9. v. 26. 28. Act: 10. v. 10. 12. aut Miſsa

haben-

habenda eſt pro commento, Scripturis omnibus aduerſo.

Hæc præcipua Aduerſariorum eſt Objectio multaq; membra complectitur, quæ ſingula ordine enodabimus.

1. R. Quando Paulus dicit ſemel tantùm oblatum eſſe Christum & vnicâ oblatione peccata omnia expiaſſe Hebr: 9. v. 26. 28. & c. 10. v. 10 14. loquitur de vniuerſali & omnipotente Sacrificio Christi, quod in Cruce peractum, habet infinitam & æternam vim ſanctificandi homines; adeò, vt non ſit opus nouo Crucis Sacrificio, vel ejus crebrâ repetitione; vel vt iterum, vel ſæpè Christus pro nobis moriatur, quia Deo Patri ſemel moriendo abundantiſsimè ſatisfecit. Quid ergo prodeſt Miſsæ Sacrificium? Reſpondeo: vt pretii, quod Crucis Sacrificium nobis comparauit, per Miſſæ Sacrificium nobis ſingulis in particulari fiat applicatio. Nam licet Christus, quantum eſt in ſe & ex parte ſuâ, ſeu in actu primo *conſummauerit ſanctificatos*, v. 14. in actu tamen ſecundo & re ipſâ perficit nos per Sacramenta, & bona Opera cum Fide, per quæ applicat nobis conſummatũ & generale Sacrificium, & meritum ac *P*retium ſuæ Crucis. Clarum enim eſt, quòd per ſolam Christi in Cruce XVIII.

oblationem, non omnes infideles, pagani, peccatores sint justificati: sed requiritur, vt hæc Christi oblatio illis applicetur, per *Sa*cramenta â Christo ad id constituta. Ideoq; licet per fidem & Sacramenta nobis applicetur meritum Crucis quoad Iustificationem proximè & immediatè: sacrificium tamen ordinatur ad auxilia promerenda, quibus ad fidem & debitam *S*acramentorum susceptionem disponamur; & ideo offerri potest pro his, qui actu nihil de charitate, fide, *S*acramentisq; suscipiendis cogitant, pro Hæreticis, Gentilibus, Mahumetanis &c. atq; ita *S*acramentorum est justificare proximè & immediatè: *S*acrificii verò ad auxilia gratiæ disponere. Vnde patet quòd nullo modo dicendi sint Catholici sacrificium Missæ adæquare sacrificio Crucis; licet vtrumq; propitiatorium appellent: longè enim diuersâ ratione ea propitiatoria esse dicimus: Vnum quippe Propitiatorium appellamus, per quod pro omni peccatorum culpâ plenarie Christus satis fecit, Mundum vniuersum redemit, & Dona omnia diuinasq; Gratias ad Salutem omnibus hominibus promeruit; illudq; est, cujus locis citatis Paulus meminit, factum esse semel, nec vnquam repetendum esse. Et hoc vnicum fuit quasi Materia, Fons & Pretium nostrorum. Alterum autem *S*acrificium propitiatorium vocamus;

camus, per quod illud primum ſingulis qui illud offerunt, vel pro quibus hoc offertur, in particulari applicatur, adeò vt ſic applicatum ex opere operato impetret Gratiam præuenientem & excitantem, quâ excitemur, ad Fidem, Pœnitentiam & Sacramenta, quibus juſtificemur ſuſcipienda, impetrat præterea Remiſsionem Pœnæ peccatis debitæ, inſuperq; culpæ venialis. Non autem mortalis niſi mediatè, quatenus impetrat pœnitentiam, quâ mortalis deleatur.

Et tale eſt Miſsæ Sacrificium, ob quod toties repetit, & inculcat Apoſtolus, quòd Chriſtus aſsiſtat Deo, ejusq; vultui pro nobis appareat, quòd ſit Sacerdos æternus, quòd interpellet pro nobis, quòd offerat ſua Dona & hoſtias; quæ ſanè jam alia non ſunt quàm Sacrificia Miſsæ, quæ ipſe cottidiè per Sacerdotes à ſe inſtitutos offert, id docent Patres omnes & Tridentin: Seſsione 22. c. 1.

II. Opponunt Aduerſarii ſuperfluum eſſe Miſsæ Sacrificium, ex eo quòd Sacrificium Crucis vim habeat infinitam. Sed hoc non magis ſequitur, quàm ſi dicam: Sacrificium Crucis habet vim infinitam. Ergo Baptiſmꝰ & Euchariſtia ſunt ſuperflua, quod illorum nemo concedet. Si autem cum Caluino dicant, ſufficienter nobis applicari Meritum crucis, per Baptiſmum & Euchariſtiam ideoq; Miſsaticum Sacrificium eſſe ſuper- XIX.

ſluum.

fluum. Negabo antecedens. Nam requiritur etiam, vt per Missæ sacrificium, aliaq; bona opera ad Sacramenta debitè suscipienda & gratias impetrandas disponamur.

XX. 3. Objiciunt nonnulli imperitè locum Pauli Hebræor: 9. v. 22. *Sine Sanguinis effusione non fit remißio.* Ergo non potest esse Sacrificium incruentum, aut si sit, non potest remittere peccata.

Respondeo certum esse Paulum hic loqui de Lege veteri, non de Christianâ; nullum enim in Lege Mosaicâ fiebat Sacrificium, pro peccatis sine effusione sanguinis hircorum aut aliorum animalium. Aut si Aduersarii velint hoc omninò etiam de nouâ Lege dici, duo repono 1. Ergo etiam inde sequi per Fidem justificantem, quam adeò deprædicant, nihil penitus remitti, quia in illâ nulla est Sanguinis effusio. 2. licet Apostolus de Veteri Testamento dixerit, non fieri sine Sanguine remissionem, hoc tamen, tam de Veteri quàm de nouo intelligi sic potest; nullam in neutro Testamento Remissionem fieri sine effusione Sanguinis Christi, qui si non effusus fuisset, in neutro Testamento Deo reconciliari potuisset homo. Quæ sanguinis effusio sicut antiquis applicabatur per Sacrificia cruenta Animalium: ita nobis etiam applicatur per Sacrificia incruenta Missæ, & per Sacramenta. Vnde patet nos nullam facere Christo injuriam

riam (vt nobis falsò impingunt Aduersarii nostri) sæpiùs offerendo Missæ Sacrificium, licet ipse pro nobis planè satisfecerit: quia nullam injuriam ei faciebant in antiquâ Lege toties offerendo Victimas, licet ipse Christus quoque pro illis plenè satis facturus esset.



DE SACERDOTIO

DEMONSTRATIO 8.

Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia non habet Sacerdotes quales Ecclesia vera primitiua habuit.

CAPVT I.

In Ecclesiâ primitiuâ Sacerdotes omnes ab Episcopis ordinati sunt.

1. ILlos solos fuisse Sacerdotes in Ecclesiâ primitiuâ, & verâ, qui ab Episcopis ordinabantur, Testis est Traditio Apostolica & Antiquitas S.S. Patrum. Cùm autem Lutherani nullos habeant Episcopos, manifestè sequitur, eos non habere Sacerdotes, quales Ecclesia vera & primitiua habuit, & consequenter non esse Sacerdotes, quos pro talibus Ecclesiæ Lutheranæ iactant.

Quòd autem omnes Sacerdotes ab Episcopis ordinati fuerint, sic probatur per Enumerationem.

2. Timothi 1. v. 6. *Admoneo Te, vt resuscites*

suscites Gratiam Dei, quæ est in Te per impositionem manuum mearum. Paulus tanquam Episcopus Timotheum ordinauit Sacerdotem.

1. Timoth: 5. v. 22. *Manus citò nemini imposueris.* Monet Paulus Timotheum Episcopum, ne citò & facilè Sacerdotes ordinet, nisi quorum perspectam habeat Virtutem. *Anno 86.*

Clemens Romanus Const: 2. Apostol: *Presbyter ab vno Episcopo ordinetur & Diaconus & reliqui Clerici*, ibi clarè demonstratur Præceptum Apostolicum esse, vt ab Episcopis Sacerdotes ordinentur.

Idem Constitut: Apost: l. 3 c. 2. *Jubemus, vt Presbyter, Diaconus & reliqui Clerici ab vno Episcopo ordinentur, & vt neq; Presbyter, neq; Diaconus reliquos Clericos ex Laicis ordinet.* 100.

Dionysius Areopagita Ecclesiasticæ Hierarchiæ c. 5. *Ne ipse quidem Sacerdos erit, nisi Pontificalibus officiis ad hoc fuerit promotus.*

Idem ibidem. *Sacerdos coram sancto Altari ponens vtrumq; genu, in capite habet Pontificis Dextram & in hunc modum à Præsule sanctissimis Invocationibus consecratur.* 100.

Ignatius Epist: ad Smyrnens: *Non licet absq; Episcopi ordinatione offerre, neq; Sacrificium immolare, neq; Dochen celebrare.* *Anno 157.*

Anno 157. *Sixtus* secundus Epist: 2. cap: 3. *Nullus Episcopus alterius Parochianum præsumat retinere, vel ordinare.*

309. *Eusebius Papa* Epist: 3. *Manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest nisi à summis Sacerdotibus, nec Tempore Apostolorum ab aliis quàm ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse, nec ab aliis quàm ab illis, qui eorum locum tenent, unquam perfici potest, aut fieri debet.*

316. *Concilium Ancyranum* can: 13. *Chorepiscopis non licet Presbyteros vel Diaconos ordinare sed Episcopis.*

320. *Eusebius Cæsariensis.* Ecclesiast: Histor: l. 6. c. 17. *Origenes*, inquit, *Necessitate negotii cujusdam Ecclesiastici obeundi flagitante, in Græciam per Palæstinam iter fecit & Cæsareæ per Manuum Episcoporum Impositionem Munus suscepit Ecclesiæ Presbyterii.*

347. *Concilium Antiochenum* Canon: 9. *Episcopi ordinent Presbyteros & Diaconos & unaquæque cum judicio tractent.*

370. *Basilius Magnus* in Anaphorâ Syriacâ: *Hæc functio* (Episcopalis) *perficit Religiosos, exornat Sacerdotes sacris initians ordinibus.*

380. *Epiphanius hæresi* 75. contra Aërianos. *Episcoporum Ordo Generator Patrum est, Patres enim generat Ecclesiæ. Presbyterorum verò non potens generare Patres, per lavacri regenerationem generat Filios Ecclesiæ.*

Ambro-

Ambrosius de Sacerdotali dignitate. *Episcopus initiat ordinem, & Deus tribuit Dignitatem.* Ad caput 2. 1. Corinth: *In Episcopo omnium ordinantum Dignitas est, caput enim est cæterorum membrorum.* 370

Deniq; non Sacerdotes tantùm ab Episcopis sed & Episcopos ab Episcopis ordinari debuisse, habemus ab innumeris Exemplis Ecclesiæ primitiuæ. Nam II.

Clementem Romanum â D. Petro Episcopum ordinatum esse, testatur *Tertullianus in* lib: præscrip: edit: Paris: p: 89.

S. Polycarpum ab Apostolis in Asiâ in eâ quæ est Smyrnis Ecclesiâ fuisse constitutum Episcopum affirmat Irenæus, l. 3. c. 3

S. Gregorium Thaumaturgum â Phodino Episcopum ordinatum esse:

Alexandrum Carbonarium â Gregorio, Testis est S. Gregorius Nyssen: Orat: de S. Gregor: Thaumat:

Frumentium Episcopum ordinauit S. Athanasius Teste Ruffino l. 1. c. 9.

S. Basilium Gregorius Nazianzenus vt ipsemet affirmat in Carmine de Vitâ suâ Tom: 2. fol: 7.

S. Chrysosthomus â Meletio Episcopo Diaconus, â Flauiano Episcopo Presbyter ordinatus est. Teste Palladio in ejus Vitâ.

S. *Augustinus* á Valerio Episcopo vt ipsemet Augustinus testatur Epist: 34. ad Paulinum. Item de Antiquitate aliorum Ordinum ab Episcopis collatorum in primitiuâ Ecclesiâ; & ipsis Temporibus Apostolorum videri potest Bellarminus lib: de Clericis c. 12.

Et talia sexcenta enumerari possent ex Historiis, cùm ne vnus quidem proferri queat, qui in veteri Ecclesiâ á Seculari potestate Episcopus aut Presbyter ordinatus sit. Ordinationem enim, & potestatem omnes ab Episcopis acceperunt; quamvis Vitæ probæ Testimonium & consensus á Populo frequenter requisitus fuerit, vt indicat Apostolus 1. Timoth: 3. & tradit Origenes homil. 6. super Leuit: Cyprianus l. 1. Epist: 4. Cælestinus Papa Epist: 2. ad Episcopos Galliæ.

III. Ex quibus sic ratiocinari licet: Omnes illi supracitati sancti Patres aliiq; ab Episcopis ordinati, veri Sacerdotes & Legitimi Ministri fuerunt, vel non: Si non fuerunt; Ergo omnes isti sancti Patres in Re substantiali fidei decepti sunt, & suis imposturis in errorem fideles omnes induxerunt, & consequenter tota primitiua Ecclesia legitimis Sacerdotibus & Ministris caruit & substantialiter errauit; quod nemo Aduersariorum concedet. Si autem veri Sacerdotes ac legitimè ordinati Ministri fuerint, sequitur Lu-

thera-

theranorum *Prædicantes* non esse Sacerdotes veros, quales habuit Ecclesia primitiua, neq; legitimos Ministros, vt pote legitimâ ordinatione destitutos. Cùm enim Sacerdotem seu Ministrum legitima ordinatio efficiat, vbi hæc deest, ibi Sacerdotium seu legitimum Ministerium esse non potest. Solam verò legitimam ordinationem esse quæ fit per Episcopos; ex Apostolis, & primitiuâ Ecclesiâ ostendimus. Vnde de Aduersariis dici potest, quod de quibusdam hæreticis annotauit Tertullianus l. de præscript: c. 41. *Alius hodie Episcopus, cras alius, hobie Diaconus, qui cras Lector, hodie Presbyter, qui cras Laicus. Nam & Laicis Sacerdotalia Munera injungunt. De Verbi autem Administratione quid dicam? cùm hoc negotium sit illis non Ethnicos conuertendi sed nostros peruertendi.* Audiant Lutherani illud Irenæi l. 4. aduersus hær: c. 43. *Iis qui in Ecclesiâ sunt Presbyteris obedire oportet, qui Successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione Chrysma Veritatis certum, secundùm placitum Patris acceperunt. Reliquos verò, qui absistunt â principali Successione & quocunq; Loco se colligunt, suspectos habere, & quasi hæreticos & malæ sententiæ, & quasi scindentes & elatos.*

Item existiment de se sibiq; dictum Aduersarii, quod Tertull: l. de *Præscript*: c. 31. verissimè dicit: *Cæterùm si quæ Hæreses se au-*

 dent

dent interferere Ætati Apostolicæ, & ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt; possumus dicere: edant (Lutherani) *ergo Origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per Successiones ab initio decurrentes, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, aut Apostolicis Viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit Auctorem & Antecessorem, Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt.* Et c. 37. *Ad quos meritò dicendum est, qui estis? quando & vnde venistis? quid in meo agitis non mei?*

IV. Cùm ergò Sacerdotes, Aduersarii non habeant, quales habuit vera primitiua Ecclesia (ut antè demonstratum est,) neq; vllam suorum Pseudo-Sacerdotum Successionem ab Apostolis demonstrare possint, manifestè sequitur, nullas in Ecclesiis Aduersariorum Sacerdotes veros esse.

CAPVT II.

Probatur non esse veros Sacerdotes in Ecclesia Lutheranâ.

V. TRia necessaria esse ad verum Sacerdotium & Ministerium Noui Testamenti, cum Catholicis omnibus fatetur Brochmannus Lutheranus Tom: 2. de Ministerio Ec-

clesia-

clesiastico c. 1. sect: 2. videlicet legitimam Electionem seu Vocationem, Ordinationem, Missionem seu Iurisdictionem, quam Brochmannus appellat officii sacri decentem Administrationem. Videndum itaq; an illa tria in Luthero & Ministris Lutheranis inueniantur, si non; certum est, in Ecclesiâ Lutheranâ verum Sacerdotium non esse.

§ I.

Lutherus & Ministri Lutherani ad Ministerium Ecclesiasticum non sunt legitimè electi & vocati.

LEgitimam Vocationem esse necessariam confirmat nobiscum Brochmannus loco citato ex his S. Scripturæ Locis: *neq; quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur tanquam Aron:* Ebræor: 5. v. 4. *Non mittebam Prophetas & ipsi currebant &c: Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Rom: 10. v. 15.

Vocatio autem hæc duplex est. Vna immediata seu extraordinaria, quæ fit immediatè â solo Deo. Dum ipse Deus quos vocat alloquitur, vt ostenditur Exemplo Moysis. Exod: 3. v. 4. 10. Esaiæ 1. v. 1. Apostolorum Luc: 9. v. 1. Matt: 10. v. 1. Vel cùm Vocationem per internuncium indicat & manifestat, qualis fuit Vocatio Araonis per Moysen. VI.

Exod: 4. v. 14. Elisæi per Eliam 3. Reg: 14. v. 16. Matthiæ per Sortem Act: 1. v. 26. Vocationis hujus immediatæ notã ponit Brochmannus ibidem sect: 3. Donum Miraculorum, vel infallibile Testimonium Veritatis.

VII. Altera est mediata siue Ordinaria Vocatio, quæ fit etiam â Deo seu Christi Institutione; non quidem vt vocandam Personam DEus ipse vel Christus nominet; sed id juris eorum, quorum interest remittat; & ita fit mediante consensu & cooperatione hominum. De hac Vocatione ait *Paulus* ad Tit: c. 1. v. 5. *Hujus rei gratiâ reliqui Te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas & constituas per Ciuitates Presbyteros.* Porrò hujusmodi Vocationem, quæ fit hoc modo per Homines legitimam & verè diuinam esse etiam asserit Brochmannus.

His ita tam ex nostrâ, quàm Aduersariorum sententiâ constitutis, assero Lutherum aliosq; Ministros Lutheranos, neq; extraordinariè neq; ordinariè vocatos esse.

VIII. 1. Non esse vocatos extraordinariè probatur, quia deest in illis, quod Brochmannus potissimùm requirit, Donum Miraculorum vel Testimonium infallibile veritatis. Omnes enim quotquot vnquam fuerunt, extraordinariè vocati, miraculis vocationem suam comprobârunt, vt clarè in Controuersiâ de Ecclesiâ docuimus, & ipsi non diffitentur Lutherani; licet aliqui Johannem

Bapti-

Baptistam in contrarium allegent, sed hujus Natiuitatem plurimis miraculis ornatam fuisse diximus, quæ cùm omnibus innotuissent, sufficiens Testimonium esse poterant Vocationis extraordinariæ.

Ostendant ergo Lutherani, vel Lutherum vel vllum *Prædicantem* Lutheranum aliquo minimo Miraculo vocationem suam comprobâsse.

Respondet Brochmannus c. 2. quæst: 23. de Ministerio Ecclesiastico: IX.

I. Ecclesiâ corruptâ & omnibus in sacro Ordine turbatis Luthero, sine ordinariâ vocatione aut missione licitum fuisse alios docere, ad quod faciendum extraordinario impulsu Spiritûs sancti, & diuino jussu, non proprio motu accessit.

II Non solùm Miracula sed Doctrinæ cum Verbo diuino consensum diuinæ Vocationis & Missionis certum documentum esse.

III. Non contemnenda Miracula videri, Lutherum afflictæ conditionis Monachum, aduersus vim maximam & infinitos Aduersarios potentissimos, inconcussum perstitisse: omnibus insidiis & violentiâ superiorem.

Respondeo ad 1. Supponi falsum videlicet Ecclesiam in Essentialibus Fidei fuisse turbatam. Deinde si Exceptio valeret aliquid, idem eodem jure de se affirmare pos- X.

sent Caluinus, Zwinglius & alii Hæresiarchæ, qui Ecclesiam Christi eodem in statu inuenerunt, quo Lutherus, & diuino instinctu ad eam reformandam se impulsos esse affirmârunt, quos profectò legitimè vocatos esse non concedent Lutherani, cùm autem doctrinam omnes diuersam habeant, cujusnam vocationem dicemus esse veram? nam & singuli Doctrinæ suæ cum verbo diuino consensum ostendere conantur. Demonstrent ergo Lutherani; in Luthero peculiare aliquod Signum, quod in aliis non est, per quod legitimam Vocationem ejus adstruant, nullum profectò inuenient, atq; ita etiam altera exceptio soluta est.

Respondeo ad 3. Miracula quæ Luthero affinguntur, non magis illi, quàm Caluino, Zwinglio, imò multò magis Arianis, Nestorianis & aliis omnibus fœdissimis Hæresiarchis conuenire. Sicut ergo non sequitur, ex eo quòd Arrius, Nestorius aliiq; inter potentissimos Aduersarios aliquando inconcussi steterint, veram Religionem eos docuisse: sic non sequitur idem de Luthero.

XI. Nec proficiunt Aduersarii aliqui, dum asserunt non fuisse Luthero necessaria Miracula, quia nullam nouam Doctrinam attulit, sed antiquam, ab Apostolis multis miraculis comprobatam.

Nam respondeo primò, falsum esse Lutherum veterem & Apostolicam Doctrinam

pro-

promulgâsse, vt ostensum est per singulas Controuersias, in hoc tractatu contentas, in quibus clarè demonstrauimus Doctrinam Lutheranam veteri & Apostolicæ Doctrinæ aduersari. Secundò non etiam verum est, miracula non requiri ad stabiliendam veterem Doctrinam. Nam & Christus vt vetustissimam Doctrinam de venturo Messiâ stabiliret, nouis Miraculis opus esse judicauit. Eodem modo qui ad Synagogæ Reformationem extraordinariè mittebantur, Vocationem ac Missionem suam Miraculis adstruxerunt. Et quid antiquius, apud Hebræos à Deo vero tot Beneficiis affectos, quàm illum Deum, verum Deum esse? tamen vt hoc Hebræis persuaderet Elias 3. Reg: 18. nouis miraculis id probare debuit: *Si Dominus est Deus, sequimini illum: si autem Baal sequimini eum.*

Ex his ergo patet, Lutherum extraordinariè non fuisse vocatum, vt qui, Vocationem suam nullo indicio infallibili, imò nec probabili confirmare potuerit. Ob eundem defectum neq; reliquos Ministros Lutheranos extraordinariè vocatos esse liquet. Nunc ad Ordinariam Vocationem veniamus.

De ordinariâ Lutheri Vocatione sic ratiocinor: Lutherus ordinariam ad Sacerdotium vocationẽ accepit, dum adhuc esset in Ecclesiâ Catholicâ & statu Monastico, vel certè dum ab Ecclesiâ defecit & contra eam prædicauit. XII.

Si primum; duo sequuntur, videlicet Ecclesiam Catholicam seu Pontificiam â Christo habere veram potestatem vocandi & ordinandi Sacerdotes, atq; adeò solam veram Ecclesiam esse. Deinde Lutherum in propriâ suâ sententiâ laruatum & fictum tantùm Sacerdotem extitisse. Nam ipsemet in lib: de instituendis Ministris Ecclesiæ ad Senatum Pragensem clare asserit, Sacerdotium Papisticum non esse verum Sacerdotium sed laruam & figmentum. Eligant ergo Lutherani vtrum malint dicere. Idem de Sacerdotibus omnibus ab Ecclesiâ Romanâ Apostatis dictum sit; qui certè â Prælatis Ecclesiæ Romanæ vocati aut misi non sunt, ad Ministerium exercendum, quod est contrarium Ecclesiæ Romanæ.

Si secundum; dicant Aduersarii, â quibus & quorum Autoritate tam Lutherus, quàm reliqui Lutherani vocati sint & misi? Non ab Episcopis, quia tales non habent Aduersarii; non â Populo & Magistratu Laico, quia penes illos jus vocandi & eligendi vel mittendi jure diuino nullum est. Ergo legitimi Sacerdotes ac Ministri esse nequeunt. Quod ergo neq; Laico Magistratui, nec Populo ex jure diuino competat Sacerdotes seu Ministros eligere aut vocare, sic probatur:

XIII. 1. Aduersarii jus illud diuinum ex nullo Scripturæ loco probare posunt; ergo nul-

lum habent. Solis Episcopis non autem Laicis vllis, Pastores eligendi jus competere, Catholici sic probamus.

1. *Nemo debet sibi aßumere honorem nisi vocetur à Deo sicut Aaron.* Hebr: 5. v. 4. Atqui Aaron à solo Moyse sine consilio aut consensu Populi fuit electus.

2. Voluit Christus, vt eâ ratione & potestate regerent Ecclesiam Apostoli, quâ ipse illam visibiliter in viuis rexerat. *Sicut misit me Pater & ego mitto vos.* Joan: 20. At ipse primùm 12. Apostolos deinde 70. Discipulos elegit sine suffragio & consilio multitudinis. Ergo voluit etiam â suis Vicariis & Apostolis eorumq; successoribus sic fieri. Nec refert, quòd isti extra ordinariè fuerint vocati, quia cùm non alia tunc potuerit esse, quàm immediata seu extraordinaria vocatio, normam præbere voluit Christus ab Apostolis eorumq; Successoribus inposterum seruandam circa Vocationis modum.

3. Si juris Diuini esset, vt Magistratus Politicus vel Populus eligeret Pastores, nunquam sine Populi consensu potuissent eligi. Sed constat ab ipsis Apostolis & in primitiua Ecclesiâ plerumq; non audito vel consulto Populo â solis Episcopis veros Pastores Populorum esse constitutos. Ergo non potest esse ex jure diuino apud Populum electio. Major certa est, quia in jure diuino XIV.

non

non datur dispensatio. Altera Propositio probatur 1. Quia Paulus ipse Tito scribens c. 1. v. 5. nullâ Populi mentione factâ, ipsi soli institutionem Ecclesiæ Ministrorum mandat. *Reliqui Te Cretæ* inquit, *ut constituas per Civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.*

Ecce, mandat soli Tito Episcopo Paulus, ut Sacerdotes per Civitates constituat, nec ullibi Magistratûs vel Populi mentionem facit. *Sicut, Ego*, inquit, *disposui Tibi*, non addit multitudini. similiter 1. Timoth: 3. Modum eligendi ministros Ecclesiæ præscribens, eorum quidem conditiones explicat *bonumq́; de his Testimonium* etiam *ab iis qui foris sunt*, id est infidelibus postulat. Sed Populi consensum & electionem nullibi requirit. Imò c. 5 v. 22 totum negotium instituendi Ecclesiæ Ministros Timothei judicio permittitur nullâ Laicorum factâ mentione: *Manus*, inquit Apostolus, *citò ne imposueris* &c: Ergo & Apostoli & eorum in primitivâ Ecclesiâ Discipuli sine Ecclesiæ electione per se Sacerdotes elegerunt.

XV. 2. Quando Apostoli mittebant Sacerdotes ad infideles Populos, quæro ex Lutheranis, cujusnam Ecclesiæ Suffragiis hujusmodi Sacerdotes sint electi? non possunt dicere eorum, ad quos mittebantur, quia & illi non erant de Ecclesiâ, & qui veniebant penitùs ignoti erant. Si dicant ab illâ Ecclesiâ

electos,

electos, ex quâ mittebantur; clarè demonstratur electionem Sacerdotum Magistratui vel Populo ex jure Diuino non competere. Hoc enim ideo affirmant Aduersarii, ne Populus & Magistratus accipiant Pastorem aliquem ignotum. Sed hæc ratio in dictis missionibus cessabat; accipiebant enim ignotos populi gentiles. Ergo nullam habent Rationem Aduersarii asserendi hanc electionem ad Laicos jure diuino pertinere.

Item, quòd non consultis Laicis in Ecclesiâ sæpe facta fuerit Electio, constat inde, quòd non tantùm non permissum sed & in variis Conciliis vetitum fuerit ad hujusmodi Actus admittere Laicos.

I. Laodicenum Concilium ante Annos 1200. Canone 13. sic habet: *Non est permittendum Turbis Electionem eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium promovendi.*

Deinde in Concilio Martini Papæ ante Annos 900. c 1. decret: *Non licet Populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promouentur, sed in judicio Episcoporum sit.*

III. *Concilium Nicenum* 2. can: 3. ante Annos 800. sic habet: *Omnem Electionem*

quæ fit à Magistratibus, Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi irritam esse volumus. Oportet enim eum, qui promouendus est, ab Episcopis eligi.

Deniq; *Constantinopolitanum* IV. quod IIX. Generale ante Annos 700. Can: 28. *Sancta*, inquit, *& vniuersalis Synodus definit, neminem Laicorum Principum vel potentum semet inserere Electioni* &c:

Ex quibus manifestè patet, non à Populo aut Politico Magistratu, sed ab Episcopis & Ecclesiæ Prælatis debuisse eligi Pastores, & consequenter non tantùm jure Diuino, sed nec humano Laicis hujusmodi Electiones conuenire. Nam quis dicet hæc Concilia constituisse aliquid contra jus diuinum?

XVI. Objiciunt potissimùm Aduersarii non ab Apostolis solis: sed ab Ecclesiâ totâ Mathiam & Barsabam electos esse. Actor: 1. v. 23. & Act: 6. dici de multitudine credentium: *& elegerunt Stephanum.* Deniq; innumeris Exemplis primitiuæ Ecclesiæ probari posse per Laicos & Populum Electiones esse factas.

Verùm Respondeo

1. Cum Mathiâ factum esse non ex Necessitate sed liberali concessione Petri, neq; ea propria fuit Electio sed tantùm Postulatio. Nam non dicitur Populus elegisse Mathiam, sed *statuerunt duos*, id est, proposuerũt Apostolis duos; & ait Petrus: *Tu Domine ostende quem elegeris ex duobus.* Vnde cer-

tum est hanc Vocationem fuise extraordinariam, non â Populo sed â Deo Sortis interuentione factam. Non igitur *Populus* elegit: sed proposuit concedente *Petro*. Et clarum est, ex vno Exemplo non posse probari jus diuinum, cùm plura sint contraria. Ad Diaconos Act: 6. quod attinet, illi tantum eligebantur, vt præessent Mensis. Nos autem hic de Sacerdotibus agimus. Deinde Electio ista fuit tantùm Personarum Nominatio, quæ ita reliquis Fidelibus permittebatur, vt tamen acceptatio & probatio â solis Apostolis dependeret.

Atq; ideo non negamus, quia sub initium Ecclesiæ, & post Apostolorum Tempora, ob majorem Pacem, & Concordiam in Electione Sacerdotum & Episcoporum, Testimonium, Consensus, Præsentatio (ut etiam nunc subinde in Ecclesia cernimus) & fortè etiam Electio per suffragia nonnunquam Populo, Magistratui, Principibusq; fuerit tributa; vt colligitur ex *Cypriano* l. 3. Epist: 13. *Concilio Niceno* in Epist: quam refert Theodoretus l. 1. c. 9. & deniq; ex multis Canonibus apud *Gratianum* distinct: 23. 24. 62. 63. 65. 67. & c. 8 q: 1. c. licet. Nunquam tamen existimatum est, eum Populi Magistratus aut Principis consensum seu nominationem, seu electionem jure diuino necessariam esse. Et licet ille mos ob Concordiam Populi, qui in primitiua Ecclesia

erat cor unum & anima una, aliquandiu toleratus fuerit, tamen cùm postea ob multitudinem & insolentiam Plebis, & Principum Tyrannidem magnæ perturbationes & clades in ejusmodi electionibus interuenirent, paulatim S. S. Patribus & Ecclesiæ Pastoribus displicere meritò cæpit, cùm sæpè non digni, sed homines factiosi à sui similibus eveherentur. donec tandem Ecclesia jure suo vsa, omnem Potestatem illam propter Discordias, imperitiam & improbitatem Laicorum, penes Prælatos seu Episcopos suos solos esse voluit, quo facto non ablatum est Laicis jus vllum, quod non habuerunt: sed liberalem concessionem suam Episcopi cohibuerunt, sibiq; reseruârunt. Ex quibus dictis omnibus concludo Lutherum & Ministros Lutheranos non esse legitimè electos, & consequenter non esse veros Sacerdotes & Ecclesiæ Ministros.

§ 2.

Lutherus & Ministri Lutherani non sunt legitimè ordinati neq; Missi.

XVII. Pro Confirmatione hujus Propositionis omnia adduci possūt, quæ superiore §. contra Lutheri & Prædicantium Electionē recen-

sui mus

fuimus. Nunc vt vlterius & clarè procedamus, quædam aduertenda sunt.

Duplices sunt Ministri Lutherani contra quos hic agimus.

I. Sunt nonnulli, qui in Ecclesiâ verâ Catholicá Sacerdotes ordinati à Fide & Ecclesiâ defecerunt, qualis fuit Lutherus & alii multi, quos Caro & Superbia in Apostasiam traxit.

II. Alii â Magistratibus aut sibi consimilibus constituti in officium & Sacerdotale Munus intruduntur. De primis sic sentimus: veros quidem Sacerdotes ipsos esse, & post lapsum etiam tales permanere, vtpote â legitimo Ministro ordinatos. Alteros verò neq; legitimè electos, multò minùs ordinatos, merè Pseudo-Sacerdotes esse pro certissimo tenemus. Porrò licet primi legitimi Sacerdotes sint, alios tamen ordinare nequeunt legitimâ Potestate destituti. Quod longè fortiori ratione de aliis ab Episcopis non ordinatis certum est.

Quæritur ergo, quinam legitimè ordinare possint? Respondeo penes solos Episcopos jure diuino eam potestatem esse, quod sic probatur. Vt aliqua Potestas alicui Ordini, & soli, in Ecclesiâ jure Diuino competere cognoscatur; necessarium est & sufficit, vt Apostoli & tota primitiua Ecclesia talem Potestatem in eo Ordine solo, irrefragabiliter & perpetua serie agnouerint. XVIII.

2. Vt, si quid ad illam potestatem pertinens absq; illâ factum sit, id irritum semper habitum in Ecclesiâ vniuersâ fuerit. Atqui Apostoli & tota primitiua Ecclesia Potestatem ordinandi Sacerdotes irrefragabiliter, & perpetuâ serie, in solis Episcopis agnouit; adeò vt habitum sit irritum, si quid in eâ re fecissent, qui Episcopi non essent: Ergo Potestas ordinandi Sacerdotes soli Episcoporum Ordini competere, jure diuino censenda est. Prima Propositio est certa, altera quoad primam Partem sufficienter in primo Capite probata est, vbi luculentis totius primitiuæ Ecclesiæ Testimoniis ostendi, nullos vnquam, nisi ab Episcopis Sacerdotes ordinatos esse.

Quòd autem irrita fuisset ordinatio ab aliis non Episcopis collata; demonstratur ex Constitutionibus Apostolicis Clementis, Dionysio Areopagitâ, Ignatio, Concilio Ancyrano, locis â nobis primo Capite citatis. Testatur illud quoq; Damasus Epist: 3 vbi agens de Chorepiscopis, qui cùm solùm Sacerdotes essent, alios tamen Pontificum more præsumebant ordinare, sic loquitur: *Vacuum & inane est, quicquid in prædicto Sacerdotii summi egerunt Ministerio.*

Quod etiam disertè asserit Gregorius 3. Epist: ad Bonifacium. At certè si jure diuino Presbyteri ex ipsâ suâ ordinatione haberent, vt alios ordinare possent, non esset

irritum

irritum quod facerent, tametsi prohibente Ecclesiâ facerent: Ergo sequitur, quòd etiam legitimè ordinati Sacerdotes, qui ab Ecclesiâ defecerunt, alios Sacerdotes ordinare non potuerint, multò minus Laici, aut *P* ædicantes, qui à nullo Episcopo fuerunt ordinati.

XIX.

2. *Probatur*. *Paulus* Rom: 12. v. 6. Docet in Ecclesiâ diuersas esse Gratias seu *Potestates* juxta officia diuersa: *habentes*, inquit, *Donationes secundùm Gratiam, quæ data est nobis, differentes, siue Prophetiam secundùm Rationem Fidei: siue Ministerium in ministrando: siue qui docet in doctrinâ, qui exhortatur in exhortando* &c: Et 1. Corinth: 12. v. 4. 5. 6. 7. *Diuisiones ministrationum sunt, Diuisiones operationum sunt, alii Sermo scientiæ, alii datur Sermo Sapientiæ, alii gratia Sanitatum, alii Operatio Virtutum, alii Prophetia &c:* Eph: 4. v. 11. *Ipse dedit quosdam Apostolos; quosdam verò Prophetas, alios Euangelistas: alios Doctores & Pastores &c:* sed hi omnes juxta diuersam Gratiam differunt inter se, intrinsecâ diuersâ *Potestate*, vt ex Apostolo manifestum est: Ergo etiam Episcopis inest aliqua alia *Potestas*, quàm Presbyteris. Consequentia probatur, quia sicut tantùm dignosci potest ea diuersitas Gratiarum ac *Potestatis*, quæ est in tam variis Ecclesiæ Ministris ab intrinsecâ operatione. V. G. quòd hic curet infirmos & non alius,

quòd hic prophetizet & non alius; dignoscitur quòd iste habeat Gratiam ac Potestatem curandi infirmos vel prophetizandi & non alius; & hinc infertur, quod vbi est diuersa hujusmodi Operatio, ibi etiam censenda sit alia atq; alia *Potestas*: Sic etiam de Episcopis censeri debet, qui si diuersam habuerint operationem, quam Presbyteri nunquam habuerunt; eos etiam habere potestatem, quam Presbyteri non habent. Sed jam ab ipso Apostolorum & Ecclesiæ primitiuæ toroq; consequenti Tempore, semper aliquid diuersum operatus est Episcopus, quod nunquam operatus est Sacerdos. Ergò fuit in illo semper aliqua alia Potestas quæ non fuit in Sacerdote. Sublumptum hoc probatur. Hactenus ab initio Ecclesiæ hucusq; Episcopi ordinârunt Sacerdotes; nunquam autem id fecerunt tantùm Sacerdotes; neq; vllum hujus Rei Exemplum ab Aduersariis adduci potest (vt primo Capite probatum est.) Ergo semper aliquid diuersum operatus est Episcopus; ergo potestatem diuersam seu majorem habuit quàm Sacerdos.

XX. Ex quo sequitur: Si veri Sacerdotes, in Ecclesia verâ Sacerdotes alios ordinare nequeant, non poterunt etiam postquam ab Ecclesiâ verâ defecerunt, Multò minùs illi, qui nunquam verè ordinati sunt. Ergo in Ec-

in Ecclesiâ Lutheranâ nulli legitimi ac veri Sacerdotes esse possunt.

Addo his juxta illud Christi Johan: 20. v. 23. *Quorum remiseritis Peccata remittuntur eis* &: omnibus veris Sacerdotibus data est potestas remittendi Peccata. Sed Lutherani Prædicantes non habent eam Potestatem. Ergo non sunt veri Sacerdotes. Subsumptum ex eorum propriâ sententiâ sic probo. nam ipsimet fatentur, *Prædicantes* suos non aliter remittere peccata, quàm annunciando, jam remissa esse vel remittenda, sub conditione Fidei vel seriæ *Pœnitentiæ*; quod fieri nullo modo potest. Qui enim annunciat peccata remissa jam esse, vel postea remittenda, ipse non remittit: sed ostendit eum qui remittit. Deinde vel *Prædicantes* annunciant jam remissa; & sic ipsi ea non remittunt; quia ante Remissionem *Prædicantium* jam erant remissa: vel annunciant postea remittenda, si Conditio Fidei & seriæ *Pœnitentiæ* fuerit impleta: Sed ne quidem tunc etiam peccata verè remittunt: quia non nisi multò post, *Prædicante* absente vel dormiente, vel etiam vitâ functo, remittuntur â Deo peccata: & sic falsum erit *Prædicantē* remittere peccata Ergo cum Prædicâtes juxta propriā confesionē suam remittere non posint peccata secundū XXI.

 insti-

Institutionem & Potestatem veris Sacerdotibus â Christo factam; clarè sequitur, eos in propriâ suâ Sententiâ non esse veros Sacerdores.

XXII. Deniq; vt concludam: Aduersarii omnes, velint, nolint, fateri coguntur, se non esse nec vocatos, nec ordinatos, nec missos eo modo ac ritu, qui in Ecclesiâ Catholicâ seu *Pontificiâ* jam indè â mille sexcentis Annis vsitatus fuit, sed alio longè diuerso, vt ostendimus supra cap: 1. quia non sunt ordinati ab Episcopo, vti semper in Ecclesiâ Romanâ factum esse demonstrauimus; sed vel â Magistratu seculari, vel â non ordinatis sui similibus *Prædicantibus*, aut â Populo sine vllius veri Episcopi Consensu, Ordinatione vel cooperatione vocati, ordinati, ac missi sunt. Cùm ergo duo illi Ritus inter sese discrepent; fieri non potest, vt ambo sint legitimi & â Christo instituti. Si ergo Catholicorum ritus est legitimus, sequitur necessariò alterum esse surreptitium. Si autem noster surreptitius est, asserere oportebit, nunquam verum Sacerdotium in Ecclesiâ Catholicâ fuisse, sed falsum & inane, & quod inde sequitur; nullam vnquam nequidem Temporibus Apostolorum veram Ecclesiam extitisse. Hæc enim sine veris Sacerdotibus ac Ministris consistere non potest.

Hoc autem nullus vnquam Acatholicus fatebitur, quippe qui omnes agnoscere co-

guntur,

guntur, Ecclesiam primitiuam veram Ecclesiam fuisse. Ex quibus omnibus apparet, quàm miserè fallantur Lutherani, qui nunquam, vti putant Eucharistiam sumunt, nunquam veram Peccatorum Remissionem accipiunt, destituti veris Sacerdotibus, qui verum Christi corpus conficere aut remittere Peccata possint.

CAPVT III.

Soluuntur Objectiones Aduersariorum.

Lutherani vt suos Sacerdotes seu Ministros stabiliant, & rejiciant Doctrinam nostram, probare satagunt suos legitimè vocatos & electos esse. Sed hoc falsum esse clarè demonstrauimus cap: 2. §. 1 per totum, vbi eorum Fundamentum discussimus & rejecimus. XXIII.

2. Conantur ostendere, non Episcopis sed aliis etiam Sacerdotibus competere jus & potestatem ordinandi alios, atq; adeò Sacerdotum & Episcoporum eandem Potestatem esse. sed illud etiam non esse verum ostendimus superiori cap: §. 2. Hoc autem si evincerent, nihil aliud probarent, quàm eos Sacerdotes, qui ab Ecclesia Catholica defecerunt, alios ordinare posse, non autem probarent, alios omnes Prædicantes, qui à similibus Sacerdotes ordinati non sunt; ve-

ros Sacerdotes esse. Videndum tamen quibus Argumentis hanc Episcoporum & Sacerdotum æqualitatem probent.

XXIV. Brochman: de Minist: Ecclesiast: c. 2. q: 9 sic illud nititur probare.

1. *P*aulus Actor: 20. v. 17. quos vocat Ecclesiæ Ephesinæ *P*resbyteros, eosdem v. 18. vocat Episcopos. Ergo non distinguit hos ab illis.

2. Postquam Tit: 1. v. 5. Dixisset, reliquisse se Titum in Cretâ, vt Presbyteros per Ciuitates constituat, subjuncturus quales *P*resbyteros esse oporteat, inquit: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse &c:*

3. *P*aulus enumerans Eph: 4. v. 11. distinctos Ministeriorum Gradus, non facit vllam Episcoporum tanquam peculiarem ordinem constituentium mentionem. Presbyter itaq; & Episcopus Paulo ejusdem significati Voces sunt.

4. 1 Timoth: 4. v. 14. ait *P*aul9: *Noli negligere Gratiam Dei quæ est in Te, quæ data est per impositionem manuum Presbyterii.* Ergo potest Episcopus à Presbyteris ordinari. Ergo nihil interest inter Episcopum & Presbyterum. Quibus & similibus objectionibus vt vno ferè responso satisfaciamus; sciendum est, hæc nomina *Episcopus & Presbyter* olim communia fuisse omnibus Sacerdotibus tam majoribus, quos jam proprie Episcopos, quàm minoribus, quos Presbyteros nominamus. Ratio hujus erat.

1. Quia in ordine summo, qui est Sacerdotii, penes quam erat potestas consecrandi, sacrificãdi, soluendi â peccatis, Presbyter par erat Episcopo, vt docet Chrysosth: homil: 11.

2. Quia olim ante Schisma (vt ait Hieron: in 1. ad Tit:) non tam Auctoritate & Jurisdictione distinctâ ac diuisâ, quàm communi Presbyterorum Consilio, Labore & Spiritu regebantur Ecclesiæ. Vnde Presbyteri dicebantur & erant Episcopi, id est, Inspectores & correctores Populi, cum Episcopo proprie dicto; imò & in Conciliis considebant cum Episcopis sententiamq; rogati dicebant, vt patet Act: 15. v. 6. *Conuenerunt*, inquit, *Apostoli & Seniores* (id est Presbyteri) *videre de verbo hoc*, vnde factum, vt vtriq; dicerentur Episcopi & Presbyteri. Postea verò cùm cresceret Ecclesia, & numerus fidelium; atq; ad eum rite gubernandum opus esset debitâ gubernatione & subordinatione Ministrorum sub vno Rectore Episcopo, cumq; (vt asserit Hieronymus loco citato) Presbyteri primâ illâ prædictâ Episcoporum Communicatione abuterenrur, quisq; insolenter æquari, & præesse vellet, ac faceret Schismata; tunc Episcopi suam auctoritatem & præeminentiam tueri cæperunt, & omnibus prælati sunt. Id autem factum est tempore Apostolorum cùm hic diceret:

Ego

Ego sum Cephæ hic: Ego Pauli, ille: Ego Apollo 1. Corinth: 1 v. 12. Id patet 1. Tim: 5. *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus Testibus.* Tempore *P*auli ergo, Timotheus tanquam Episcopus *P*resbyterorum erat Judex, & jurisdictione superior. Sic Tito jubet Apostolus, vt constituat per Ciuitates *P*resbyteros. Sic *Ignatius* ad Trallianos & ad Smyrnenses: *Presbyteri*, inquit, *subjecti estote Episcopo.* Ex quibus patet responsio ad 1 & 2

XXV. Ad 3. respondeo *P*aulum enumerando varios Ministeriorum Ordines intellexisse Episcopos per *Pastores*, illi enim propriè dicuntur *P*astores, quibus integræ *P*rouinciæ commissæ sunt, & quorum est, singulas *P*aroecias obire & iisdem de minoribus *P*astoribus seu *P*arochis prouidere, quæ sanctorum *P*atrum hoc in loco communis est Interpretatio. Qui etiam inferiores illos *P*astores per Vocabulum *Doctores* designari à *P*aulo asserunt.

XXVI. Ad 4. respondeo 1. *Impositionem Manuum Presbyterii* significare impositionem manuum Episcoporum, cùm *P*resbyteri sæpè etiam vocati fuerint Episcopi, juxta superiùs dicta. Ita explicant *Chrysosthomus*, *Theodoretus*, *Theophylactus*, *Oecumenius* & passim Doctores alii.

2. Sic intelligi posse *per impositionem manuum*, ac si dictum fuisset per impositionem

manuum

manuum quâ Presbyteratum accepisti, vt exponit Anselmus & multi Latini Patres; imò ipse etiam Caluinus l. 4. Institut: c. 3. sub finem.

Et hæc sunt præcipua Scripturæ loca, quibus Aduersarii probare conantur Episcoporum & Sacerdotum æqualitatem, ad quæ cùm responsum sit, manet verum, quod in hac controuersia demonstrauimus, Episcopos Sacerdotibus Ordine & Jurisdictione Jure diuino majores esse atq; adeò á solis Episcopis Sacerdotes ordinari posse, & consequenter nullos extra Ecclesiam Romanam inueniri Sacerdotes.



DE INVOCATIONE SANCTORUM DEMONSTRATIO 9.

Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia negat Inuocationem Sanctorum esse licitam, quam Ecclesia vera primitiua comprobauit & vsurpauit.

CAPVT I.

Sanctorum inuocatio in Ecclesia primitiua vsitata.

1. PRimum locum probationis obtineat Liturgia, quam Jacobus Apostolus & primus Jerosolymorum Episcopus scripsit, exercuit, primus Christianis tradidit, & Patres Concilii Constantinopolitani ante annos 900. ac deinde Proclus Patriarcha, & innumeri Græci Patres. Item Gelasius Papa, Algerus, Gratianus, Bernardus ac plurimi Latini Patres vsi sunt, in eâ sic habetur. *Commemorationem agamus Sanctißimæ immaculatæ, gloriosißimæ, benedictæ Dominæ nostræ Matris DEi & semper Virginis Mariæ & omnium Sanctorum vt*

pre-

precibus atq; intercessionibus eorum omnes misericordiam consequamur.

Omitto multas alias Apostolicas Liturgias, authenticè probatas â Francisco Feuardentio L. x. de Sanctis c. 12. n. 1. 2. 3. 4. quas ibi videre lector poterit. vti & apud Jacobum Gualterum primo sæculo Chronologiæ suæ.

Justinus in 2. Apologia: *bonorum Angelorum Exercitum & Spiritum Propheticum colimus atq; adoramus Verboq; & re seu veritate veneramur.* *Anno 150.*

Irenæus Auditor Policarpi, Joannis Euangelistæ Discipuli. L. 5. c. 19. *sicut Eua seducta est vt effugeret Deum, sic Maria suasa est obedire DEo, vt Virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata.* *Anno 180.*

Origenes in Lament: *incipiam me genibus prosternere & deprecari vniuersos Sanctos vt mihi non audenti petere DEum, propter vicinitatem peccati succurrant. O sancti vos Lachrymis & fletu deprecor, vt procedatis misericordiis ejus pro me misero &c. heu mihi Pater Abraham deprecare pro me &c. quod idem fieri* repetit. l. 2. in Job. *Anno 230.*

Cyprianus de stella & Magis & Innocentum morte. *Innocentes in ordine Sanctorum Protomartyres &c. Clementiam DEi pro nostris exorent laboribus &c.* *Anno 250.*

Methodius sub Decio & Valeriano passus. *O sanctissima Deipara, quæ propter Ma-* *Anno 285.*

ternum honorem omnibus rebus præstas ac reliquis ad Deum liberiorem accessum habes, obnixè precamur, vt nostri qui te hymnis decentibus indefessè celebramus, jugem ac perpetuam habere memoriam velis.

Anno 340. Athanasius Episc: Alex. ad B. Virginem. *inclina aurem tuam ad preces nostras & ne obliuiscaris populi tui &c. intercede Domina, Regina, Mater DEi pro nobis.*

Anno 370. Nectarius Constantinopolitanus orat: de S. Theod: Mart. O! *splendor Martyrum, o decus Sanctorum &c. ne obliuiscaris nostræ paupertatis & humilitatis sed semper pro nobis apud Deum intercedere, ne pigeat &c.*

Anno 370. Basilius Magnus Homil 20. in 40. Mart: *Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat vt à malis liberetur &c.* item Homil 26. de Martyre Mamante. *Ecclesia per hoc, quod eos honorat qui præcesserunt, præsentes impellit.*

Anno 370. Ephræm serm. de SS Mart: *precamur beatissimi Martyres, qui familiariùs Domino Conjuncti estis, vt pro nobis miseris & peccatoribus &c. Dominum interpellere dignemini, vt superueniat in nos gratia Christi &c.*

Anno 374. Ambrosius orat: 2. præparante ad Missam. *Apostolorum intercessionem imploro,*

Marty-

Martyrum preces deposco, Confeßorum orationes expostulo. Talium Domine DEus nunquam spernis, si vt pro me exorent, ipse inspiraueris. idem l. de *Viduis*, & serm: 93. in natali Martyrum Nazarii & Celsi. idem ad cap. 21. Luc.

Gregorius Nanzianz: in Epitaph: Basilii. *Te Basili supplex oro, vt pro mundo stes, donaq; offeras, excitare quæso, tuisq; sermonibus & sacrificiis tempestatem seda*, & plurimis aliis in locis ad diuersos sanctos. *Anno 380.*

Gregorius Nissenus orat: in S. Theod. Mart: *Intercede ac deprecare pro Patria (ô Theodore) apud communem Regem ac Dominum, vt Miles propugna pro nobis, vt Martyr pro Conseruis vtere libertate loquendi &c.* *Anno 380.*

Omitto hoc sæculo *Damasum* ac *Prudentium* in innumeris ferè hymnis diuersos Sanctos inuocantes.

Hieronymus Epist. 27. ad Eustoch: de Epitap: Paulæ c. 14. *Vale ô Paula & Cultoris tui vltimam senectutem orationibus iuua. Fides & opera tua Christo te sociant, præsens facilius quod postulas impetrabis.* & de aliis Sanctis habet in locis plurimis. *Anno 390*

Ruffinus Ecclesi: Hist. l. 2. c. 33. *Anno 390.*

Joannes Chrysostomus Homil: 26. in 2. ad Cor: & alibi sæpe. *Anno 400.*

Te Philo

Anno 410. *Philo* Carpathius in Cantica, ad verba: adjuro vos.

Anno 420. *Augustinus* de Bapt: contra Donatist. l. 6. c. 2. & multis præterea in locis.

Anno 430. *Cyrillus* Alexandrinus Homil: de Joan: Euangel: dictâ in Concil: Ephes.

II. *Anno 440.* *Sozomenus* l. 7. cap. 24. Omitto his & subsequentibus sæculis innumeros alios Patres, qui aut ipsi Sanctos inuocarunt, aut vtiliter inuocari posse docuerunt. Ex quibus testimoniis deduco.

1. Sanctorum Inuocationem non esse recens inuentum, vt quidam Aduersarii calumniantur.

2. Cùm Apostolorum tempore jam vsitata fuerit, & semper in Ecclesia continuata, & ab omni posteritate comprobata, eam vt minimùm Apostolicam Traditionem esse, ad nos vsq; in hæc tempora deductam, eâ viâ, certitudine & modo, quo nobis hactenùs innotuit Euangelium Joannis, vel Lucæ Verbum Dei esse. vtrumq; enim solis Patrum testimoniis cognouimus, quibus æqualiter testantibus, si in vna doctrina fides est habenda, erit etiam in altera.

3. Cùm Ecclesia Lutherana Sanctorum Inuocationem neget esse licitam, quam vera primitiua piam vtilemq; credidit, sequitur vel Lutheranam, vel veram primitiuam errasse; posterius dici non potest: ergo prius:

us: ergo Lutherana Ecclesia non est vera Ecclesia.

CAPVT II.

Sententia Catholicorum explicatur, & probatur Inuocatio Sanctorum è scriptura ductis argumentis.

CUm iste præcipuus sit articulus in quo Catholicos Aduersarii calumniantur, quia vel sententiam Catholicorum ignorant, vel ignorare simulant, breuiter & clarè quid de Inuocatione Sanctorum doceant Catholici & quid non doceant, exponam. III.

I. Non docent Sanctos colendos, inuocandos aut adorandos esse, eo modo quo DEus colitur, inuocatur, adoratur. Sed longè inferiori ratione, videlicet vt amicos Dei, qui cùm hic in terris multa pro amore Dei passi sint, ab eodem etiam multa impetrare possunt: vnde nec in illis vllum â natura sua dominium agnoscunt: nec vt Dominos adorant: nec vt bonorum per se Largitoribus supplicant; nec quidquam exclusis Christi meritis ab illis petunt. quæ soli Deo, nulli Creaturæ conuenire sciunt. ex quibus patet, quantum Inuocatio Sanctorum distet ab idololatria, in qua hæc omnia requiruntur.

II. Non docent in Ecclesia *præceptum esse* de inuocandis Sanctis, hoc est Inuocatio-

nem Sanctorum adeò esse necessariam, vt sine illâ saluari nequeant. sed solùm asserunt pium & vtile esse per Sanctorum intercessionem quidpiam postulare. ita enim Concil: Trid: sess: 25. ad Episcopos: *Fideles diligenter instituant; docentes eos, Sanctos unà cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus DEo offerre, bonum atq; utile esse suppliciter eos inuocare, & beneficia impetranda à Deo per filium ejus JEsum Christum, ad eorum orationes, opem, auxiliumq; confugere.* Dicit itaq; *bonum atq; utile esse*, non autem dicit, necessarium esse. adeò ut tam ab Ecclesia damnentur, qui omnibus necessariò inuocandos esse pertinaciter assererent, quàm qui nullo modo inuocari posse sentiunt.

III. Patet ergo ex dictis, quid Catholici doceant. videlicet valdè diuersum esse cultum, quem DEO, & quem Sanctis deferunt. Deum enim adoramus vt auctorem, fontem, largitorem bonorum omnium. ipsi nos subjiciendo, in ipsum sperando, ab ipso pendendo, eum toto corde, tota anima diligendo, qui cultus est Latriæ, & Dominii supremi.

A Sanctis verò petimus, vt nobis non tanquam auctores, diuinorum beneficiorum gloriam vel gratiam aliaue beneficia concedant, sed vt hæc & similia tanquam amici Dei, aduocati, & auxiliatores nostri & mediatores subalterni â DEO impetrent. ita vt non

sint

sint immediati intercessores nostri apud DEum, sed quidquid à Deo nobis impetrant, per Christum impetrent, juxta illud Pauli ad Coloss. 1. v. 19, 20. *quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem Crucis ejus siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* & Joan. 14. v. 6. *nemo venit ad Patrem nisi per me.* & 1. Tim. 2. v. 5. *vnus est mediator DEi & hominum, homo Jesus Christus.* & hinc Sanctorum cultum, Duliam appellamus. Tali autem modo â Catholicis inuocari sanctos patet ex omnibus orationibus Ecclesiæ Catholicæ, in quibus Sanctos rogamus tantùm, vt pro nobis orent, quod non Sanctos in cœlo solùm, sed etiam homines rogare possumus.

Hunc autem cultum licitum pium & utilem esse, probamus quatuor rationibus sequentibus ex scriptura ductis. 1. quia licet inuocare homines vt pro nobis orent. 2. & Angelos. 3. etiam defuncti pro viuis orârunt. 4. constat ob merita Sanctorum multa DEum hominibus concessisse. IV.

Primum probatur tam ex nouo quàm veteri Testamento. 1. Reg. 7. v. 8 *dixeruntque ad Samuelem ne cesses clamare pro nobis ad Dominum Deum nostrum, ut saluet nos. &c.* Job. 42. v. 8. *Ite ad seruum meum Job. &c. Job seruus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam &c.* Ad Rom. 15. v. 30. *Obsecro vos Fratres &c. adjuuetis me orationibus vestris apud*

DEum pro me &c. item Eph. 6. v. 18, 19. Col: 4. v. 3. 1 Thess. 5. v. 26. Thess. 3. v. 1. Heb. 2. v. 18.

Ex quibus deduco, si homines tanquam intercessores apud Deum licet inuocare, multò potiore jure Sanctos etiam licebit. vel enim deterius erit inuocare Dei certissimos amicos, illi intimè, securè & infallibiliter conjunctos, quàm homines incertùm, an Dei amicos, auxilio, ob miserias indigentes, & penitus infirmos, vel non erit. Si ita; necessarium est fateri fauorem Ecclesiæ militantis potestate & auctoritate potiorem esse apud Deum, quàm sit status Ecclesiæ Triumphantis, quod absurdum est, & contra rerum ordinem. Si non; æquum ergo est, longè meliore jure posse nos inuocare Sanctos, qui in cælo sunt, quàm homines in terris, cùm jam ostensum sit ex scripturis aliorum pro aliis intercessionem in hac vita licitam & maximè vsitatam esse.

V. Secundum. Angelos inuocatos in Sacris litteris fuisse, ergo licitè etiamnum inuocari posse probatur, ex Gen. 19. v. 1 *venerunt duo Angeli Sodomam vespere, sedente Lot in foribus Ciuitatis, qui cùm vidisset eos, surrexit, & iuit obuiam eis adorauitque pronus in terram &c.* Gen. 32. v. 24. de Jacob luctante cum Angelo. *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Quod Oseas c. 12. v. 4. sic explicat *fleuit* (Jacob) *& rogauit eum* nempe Angelum, Gen. 48. v. 16. *Angelus qui eruit*

ruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. Certè cùm creatura creaturæ benedicit pro eadem orat ex affectu. vt ex benedictionibus legis perspicuum est. Num: 6. Angelus etiam rogantem Lotum sic alloquitur Gen. 19. v. 21. *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam Vrbem pro qua locutus es.* suscepit preces Angelus, ergo Lot preces fuderat. ergò Angelus rogatus seu inuocatus est. Imò & Angelum pro Jerosolyma intercessisse, dissertè narrat Propheta Zacharias c. 1. v. 12. 113

Josue 5. v. 13. 1. Para: 21. v. 16. Job. 5. v. 1. 10. v. 11. Luc. 15. v. 10. Apoc. 8. & alibi. ex quibus locis omnibus manifestè patet, & Angelos ab hominibus inuocatos esse, & pro iisdem sollicitos DEo preces humanas obtulisse. ergò multò magis hæc sanctis conueniunt, qui præterquam quòd Angelicas omnes perfectiones habeant. *æquales enim Angelis sunt, & filii sunt Dei.* Luc. 20. v. 36 insuper etiam ex similitudine naturæ vicinioris nobis, ejusdem corporis olim membra & infirmitatibus nostris, quibus & ipsi fuêrunt subjecti compati faciliùs didicerunt.

Tertium. Quòd etiam defuncti pro viuis potuerint orare probatur. VI.

1. Jerem. 15. v. 1. *si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Nam cùm Moyses & Samuel tunc vitâ functi fuisent, certè vel dicendum est defunctos pro viuis orare solitos, vel De-

um parùm aptè fuisse locutum. quod blasphemum est.

Item Apoc. 5. v. 8. *quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli Cytharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum* (Græcè προσευχαὶ quod orationes tantùm significat, non laudes, vt malè legunt Aduersarii) videlicet quas homines sanctis fundunt, Deo offerendas, vel quas per se sancti, pro hominibus Deo fundunt; aliæ enim esse nequeunt, cùm sancti pro se non ampliùs orare debeant. Item Epulo in inferno constitutus pro fratribus suis rogauit: vnde quæro; plusnè potestatis, & affectus, erga fratres suos diuiti Epuloni fuerit apud inferos, quàm sanctis Paradysi insit erga nos? si ita: ergo majori charitate pollet status damnatorum, quàm saluatorum, quo quid absurdius?

Si non: ergo necesse est fateri sanctos etiam pro nobis orare posse, cùm Epulo in inferno constitutus, pro fratribus suis rogauerit Abrahamum: vnde etiam deducitur homines in terris multò etiam potiore jure inuocare posse sanctos, cùm id ipsum fecerit apud inferos constitutus Epulo. At dices: rogauit ex malo affectu diues Epulo.

Sed contra, illum pro fratribus suis rogasse ex affectu bono, aut certè propter se,

ne

ne si fratres damnarentur, ipse majoribus pœnis cruciaretur, docent Chrysostomus Homil: 4. De Lazaro, Ambrosius, Theophilactus, Gregorius, Beda & alii. quod etiam ipsi Aduersarii secuti litteram non negant. Et demus eum non rogasse bono affectu; saltem probatur Epulonem in inferno Deo permittente scire potuisse, quid in terris ageretur: quantò magis id scient beati? aut si malo affectu rogare possunt damnati; cur non bono affectu rogare poterunt beati?

Veram autem historiam hanc fuisse non parabolam testantur Irenæus, Tertullian: Origenes, Ambros: Augustinus plurimiq; sancti Patres. & ipsemet Caluinus Harm: in Luc. 16. v. 29.

Et quamuis hæc parabola fuisset, ostendit tamen Christus hoc vel simile posse fieri, cùm in nulla vnquam parabola narrationem fecerit, quæ à parte rei fieri non potuerit.

Deniq; quæro ex Aduersariis magis nè propendeant SS. Martyres ad exposcendam suorum interfectorum Vltionem, quàm ad implorandam Fratribus suis misericordiam? si prius; deprimunt beatorum statum, & minùs perfectum faciunt, priuantq; charitate. si posterius admittendum est potiori rati-

one sanctos diuinam misericordiam reis inclamare, maximè propinquis & amicis, cùm vltionem petierint â Deo de inimicis Apoc. 6. v. 9. 10.

Tandem exemplo sit visio Machabæi, qui Oniam Sacerdotem, & Jeremiam Prophetam pro Exercitu orantes vidit. 2. Machab 15. v. 12. cui narrationi duo regerunt Aduersarii. Machabæos libros Canonicos non esse, & hanc Visionem somnium fuisse. Sed primum alibi probauimus, & demus Canonicos non esse, omnes tamen admittere coguntur Authenticam historiam & veram esse. Et licet somnium fuisset, verum tamen fuit, & repræsentata fuit res, quam omnes posse fieri & ex euentu prælii reipsá factam esse cognouerunt.

VII. Quartum. quòd merita sanctorum defunctorum, homines in subsidium orantes adhibuerint, & ob eadem multa DEus orantibus concesserit, probatur.

1. Daniel 3. v. 35. clamant ê fornace tres Danielis Collegæ: *neq; auferas misericordiam â nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum.* Vnde colligitur Veterum sanctorum Commemorationem Deo gratam extitisse, cùm hi orantes exauditi sint.

2. DEus Regiam dignitatem non omninò sustulit â Salomone *propter Dauid seruum meum*

meum inquit, qui custodiuit mandata mea, & præcepta mea. 3. Reg. 11. v. 34. vbi clarum est hanc gratiam propter merita Dauidis jam defuncti Deum concessisse.

Præterea Baruch. 3. v. 4. orat populus vniuersus Deum. *Domine omnipotens, DEus Israel audi nunc orationem mortuorum Israel.* quem librum cùm Hebræi, Græci & Latini, tam in priuatis quàm Oecumenicis Conciliis sub nomine Jeremiæ comprobarint, vt ostenditur in Annotation: Irenæi l. 5. c. 35. frustra confugiunt ad solitas latebras Aduersarii, negantes esse librum illum Canonicum. Omitto alia innumera hujusmodi testimonia & concludo ex dictis. Homines & Angelos ab hominibus inuocatos fuisse; mortuos item pro viuis intercessisse, & Deum merita defunctorum â viuis acceptasse, ê sacris litteris demonstratum est. Ergo Sancti inuocari possunt. sequela probatur.

Illi inuocari possunt, quorum similes inuocatos esse constat, qui pro viuis intercedunt, & quorum merita acceptat DEus: sed homines & Angeli sanctis similes fuerunt inuocati & sancti pro viuis intercedunt, & oblata eorum merita acceptat DEus. ergo Sancti inuocari possunt. quod implicitè in sacris litteris continetur. si quid objicere possint Aduersarii sequenti capite enodabimus.

CAPUT

CAPVT III.

Objectiones Aduersariorum resoluuntur.

DVæ ſunt primariæ Aduerſariorum objectiones, quibus minoris notæ pauculæ accedunt.

1. Nullibi expreſsè oſtendi poteſt tam in veteri, quàm in nouo Teſtamento ſanctos demortuos eſſe inuocandos, ergo non licet eos inuocare.

Ad quod præcipuum Aduerſariorum Argumentum reſpondeo.

1. Nullibi in ſcripturis etiam haberi non licere inuocare ſanctos, ergo ſaltem nullo modo prohibetur.

2. Licet nullibi ſcriptum haberetur, non tamen inde ſequitur, non debere credi Sanctos inuocari poſſe, cùm alia multa ſint pro fidei articulo tenenda, quæ ſcripta non ſunt. hinc ſicut inepta foret propoſitio, ſi dicerem: quòd Spiritus Sanctus â Patre & Filio procedat, vel quòd Euangelium Lucæ verbum DEi ſit. nullibi ſcriptum inuenitur, ergo credere non licet, Spiritum à Patre Filioq; procedere; vel Euangelium Lucæ verbum Dei eſſe. ſic abſurda æquè erit hæc illatio: quòd Sanctos inuocare liceat nullibi ſcriptum inuenitur, ergo non licet eos inuocare. Fatemur quidem nihil nos teneri credere, niſi quod verbum DEi eſſe ſcimus. Ve-

rùm cùm verbum DEi non ſemper per ſcripta ſit vulgatum, ſed ſæpe etiam per verba traditum, æquè firmiter vtrumq; credere debemus, cùm vtrumq; æquè ſit verbum DEi. Sanctorum autem Inuocationem ab Apoſtolis vel Chriſto, licet non per ſcripturam, per verbum tamen Eccleſiæ traditum, tam certò habemus, quàm habemus quod Spiritus â Patre filioq; procedat, aut Euangelium Lucæ verbum DEi ſit, vtrumq; enim per eandem viam accepimus, videlicet per Eccleſiæ, Patrum, & totius deniq; Chriſtianiſmi infallibilem auctoritatem. plura ergo credere debemus quàm ſcripta ſint, vt fusè oſtendi in Controuerſ: de Traditionibus c. 2.

Accedit quod licet expreſsè non inveniatur ſcriptum, ſanctos inuocari poſſe, tam manifeſtè tamen deducitur ex ſcriptura, vt qui hanc doctrinam impugnant, ſcripturam ipſam impugnare videantur. nam cùm ex ſcripturis cap. ſuperiori probauerimus homines & Angelos ab hominibus inuocatos eſſe, Sanctos demortuos pro viuis oraſſe, vel orare potuiſſe, & merita defunctorum ab hominibus oblata DEum acceptaſſe. nulla videtur vel apparens ratio, cur non liceat inuocare Sanctos, qui pro viuis orare conſueuerunt, & quorum merita ab aliis oblata DEus etiam acceptat? ſi enim nollet DEus eos inuocari, merita eorum ab inuocantibus oblata, non acceptaret, rem enim illicitã probaret. quod DEo repugnat.

Quòd autem in ſcripturis nullum habeatur exemplum inuocationis Sanctorum, nulli mirum videri debet; quia in veteri teſtamento nullus adhuc in cælos fuerat admiſſus. nec in nouo teſtamento quiſquam ante aſcenſionem Domini, hiſtoria autem Euangelica noui teſtamenti ante aſcenſionem contigit, ergo mirum non eſt, ſi antequam inuocari potuerunt Sancti, ſcripturæ non tradiderint, illos inuocatos fuiſse. non potuerunt autem inuocari, niſi poſtquam fuerunt in requie & beati.

IX. 2. Objectio. ſolus DEus eſt cui ſoli honor inuocationis debetur Matth. 4. v. 10. & alibi ſæpe.

Deinde *vnus eſt mediator Dei & hominum, homo JEſus Chriſtus* qui cùm merita ſua infinita Patri offerat pro nobis, ſufficiens eſt ſolus omnia impetrare. adeò vt ſi quiſpiam Sanctorum auxilium & merita imploret, non tantùm ſuperfluum actum agat, ſed Chriſto etiam injuriam inferat, deq; miſericordia vel ſufficientia diffidat ejus, qui omnes tam liberaliter & ſuauiter vltrò ad ſe inuitat. *Venite ad me omnes &c:*

X. Cùm in hac objectione plures ſint partes, ſingulis ſatisfaciemus. Reſpondeo itaq; 1. verũ eſt, ſolum Deum ſic inuocandum eſſe: ſicut in eum ſolum credimus, atq; ideo nullum alium præter illum adoramus, quia in alium nullum credimus. Quæ adoratio

ſen

seu inuocatio ita soli illi competit, vt nulli omninò alteri deferri possit. vt supra diximus c. 2. juxta quam distinctionem inuocationis seu adorationis intelligenda sunt, alia loca omnia scripturæ, quæ contra nos adferri possunt. non tamen inde sequitur non esse Sanctos inuocandos. nam sicut hic discursus falsus est. solus DEus inuocari potest, ergo nulli viuentes inuocari possunt; & Apostolus errauit, cùm rogauit Thessalonicenses *Fratres orate pro nobis*. sic & falsus est si dicam: DEus solus inuocari potest, ergò nulli sancti inuocari possunt. alia est enim adoratio seu Inuocatio quæ Deo tribuitur, alia quæ viuentibus & Sanctis vitâ functis. juxta dicta supra.

Respondeo 2. si, quia solus est noster Mediator Christus, non liceat inuocare Sanctos, ergo nec licebit inuocare viuos, non enim vnum minus, quàm alterum in injuriam Dei cederet.

Sed licet inuocare Viuentes absq; injuria Mediatoris Christi, vt certum est, ergo etiam Sanctos licebit inuocare absq; ejus injuria. Inter Christum autem, & Beatos, ea est distinctio quoad officium Mediatoris: Quòd Christus solus Mediator sit mediatione personæ, redemptionis, & supremæ interpellationis ad Deum pro nobis; in qua nullo Mediatore indigeat; non supplicis more petat; sed tanquam auctoritatem

habens, & suo jure exhibitis meritis postulet quiduis. Sancti verò simpliciter orando, & intercedendo apud Deum sint Mediatores subalterni per Christum. quo sensu Moysen vocatum esse Mediatorem testis est scriptura Deutero: 5. v. 5 Gal. 3 v. 19. & tantùm intercedunt pro nobis, vt redemptionis fructum percipiamus.

Respondeo 3. ex eo quòd Christi merita sint infinita, & sufficientia ad quiduis impetrandum; non ideò tamen superfluum est sanctorum opem implorare; sicut superfluum non est, â viuis pro nobis efflagitare preces ad Deum. inde enim sequeretur orationes omnes, quas vel pro nobis ipsi fundimus, vel ab aliis fundi petimus, & superfluas & diffidentiæ signa esse, quia cum DEus infinitis suis meritis abundè pro nobis satisfecerit; frustranea sunt omnia quæ ab hominibus adduntur. quod quàm sit absurdum nemo non videt Christianus. sicut ergo pro nobismet ipsis orare possumus sine superfluitate, & injuriâ Mediatoris, aliosq; vt idem faciant rogare; sic nec superfluum est; nec injuriosum censendum, nostras preces, precibus Sanctorum addere; vt sint tanquam comprecatores nostri; quibus in majori gratia constitutis, apud Deum; facilius quàm nobis peccatoribus ob eadem petita conceduntur.

Non

Non implorantur itaq; Sanctorum orationes tanquam Christi oratio minus sufficiat: sed ad dignitatem Christi ostendendam, quòd ille sit principalis Mediator, & ab illo omnes alii dependeant, atq; sic â pluribus per preces nostras rogatis, colatur, imploretur, adoretur.

Nec obstat, quod adfert Brochmannus, ideò non rogandos esse sanctos, quia Christus ipse asiduò & jugiter pro nobis Patrem interpellat Heb. 7. v. 25. quia sequeretur inde neq; nos pro nobis ipsis orare posse, cum asiduò hoc Christus faciat pro nobis, quod absurdum est. XII.

3. Objectio. Sancti de viuis in specie nihil sciunt juxta illud Isa: 64. *Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos, tu Domine Pater noster Redemptor noster &c.* præsertim cùm orationes internæ sint & in corde, quod solus scrutari potest DEVS, non sancti: *Tu enim DEus nosti solus corda omnium filiorum hominum.* 3. Reg. c. 8. v 39. ergo licet pro tota Ecclesia generatim intercedant; pro aliquo tamen particulari intercedere non possunt.

Respondeo 1. locum illum Isaiæ nihil contra nos facere. nam demus quòd ita sit intelligendus, sicut eum Aduersarii intelligunt, nempè Abraham & Jacob tunc temporis ignorasse, quid ageretur in hac Vita: non tamen nunc idem de Sanctis dici po-

test. quia illi necdum in cælis erant, nec Dei visione fruebantur. & ideò supra diximus non esse mirum, quòd in antiquo testamento non fuerint inuocati Sancti. nunc autem cum in cælis sint, & Deum clarè, & omnia in eo videant. & ab eo impetrent, aliter se res habet, & meritò â nobis inuocari possunt.

XIII. Respondeo 2. Deum quidem solum nosse corda filiorum hominum ex se & propria virtute, naturâq; suâ & essentiâ. non impedit tamen quò minus alii Sancti per participationem, & singularem Dei reuelantis gratiam, similia cognoscant. hinc licet solus *DEus bonus* dicatur Matth. 19. v. 17. *solus justus.* Macch. 1. v. 18. *solus pius.* Apoc. 15. v. 4. *solus potens, & immortalis.* 1. Tim. 6. v. 15. sunt tamen & alii boni, justi, pij, potentes, ac immortales; non quidem sicut DEus per essentiam, sed in suo gradu per participationem. sic licet Deo tribuatur cordium ac cogitationum notitia, sunt tamen & alii quibus similem notitiam DEus ratione status eorum, vel officii concedit. idq; de Angelis habemus. Tob. 12. v. 12. & Luc. 15. v. 7. *Dico vobis quòd ita gaudium erit in cælis, super vno peccatore pænitentiam agente*, vbi clarè demonstratur non solùm Angelos tutelares ratione officii sui nobis præsentes, sed & in cælis existentes nosse particularem vni9 peccatoris conuersionem. Cur ergò non idem tribui potest degentibus in cælo Sanctis de

quibus

quibus ait Christus Luc. 20. v. 36. *æquales enim Angelis sunt & filii sunt Dei.* Quam notitiam secretorum, etiam in hac vita concessam hominibus fuisse, & quidem Samueli patet. 1. Reg. 9 v. 19 *omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi.* Elisæo 4. Reg. 5. v. 26. & c. 6. v. 12. D. Petro Acto. 5. v. 3. & alibi frequenter, si ergo hominibus concessit DEus. cur non eadem tribuat beatis? præsertim cum beatitudinis pars magna videatur esse, ea omnia cognoscere, quæ ad se pertinent, aut quæ propter similitudinem naturæ, vel affectum singularem amicorum, de iis cognoscere desiderant?

XIV. Deniq; cum Sancti clarè & intuitiuè essentiam Dei videant, in qua tanquam in speculo omnia repræsentantur. in ea etiam omnia videre poterunt, sicut qui speculum corporeum intuentur; quæ in illo apparent, omnia clarè distincteq; contemplantur.

4. Objectio. Dum vellet Angelum Joannes Adorare Apoc. 22. v. 9. vetuit Angelus. *vide*, inquit, *ne feceris*; *conseruus enim tuus sum, Deum adora.* ergo Angelos vel Sanctos adorare prohibetur.

Respondeo 1. nihil hic de inuocatione, sed tantùm contra Sanctorum cultum agi. cùm autem pleriq; Aduersariorum fateantur Angelos & Sanctos colendos & honorandos esse, non minus illo loco Lutherani, quàm Catholici impugnantur.

Ne tamen illi qui Sanctos etiam colendos negant, hic triumphare videantur; Respondeo 1. vel Angelus vetuit se a Johanne adorari propter eminentiam dignitatis & sanctitatis, quam sciebat in Joanne esse, vtq; se ex humilitate demonstraret â personâ tanta non esse adorandum: vel certè, quia Joannes errauit in objecto, existimans illum esse DEum, qui reuera tantum erat Angelus. in quo nullum est absurdum; cùm non sit alienum ab alicujus sanctitate errare solùm in personâ. Nec obstat quòd priusquam illum adorare vellet, Angelum fuisse asserat; scripsit enim post euentum; nam ex euentu seu dicto Angeli, sciuit esse Angelum, quem prius existimabat esse DEum.

Sunt igitur soluta quæ ab Aduersariis Catholicæ doctrinæ de cultu & Inuocatione Sanctorum opponuntur, & quæ de illis Ecclesia Catholica Romana docet, stabilita manent.



DE

DE PURGATORIO DEMONSTRATIO 10.

Lutheranam Ecclesiam non esse Veram Ecclesiam, quæ Purgatorium rejicit, quod Ecclesia primitiua & Vera agnouit.

CAPVT I.

Probatur agnitum fuisse purgatorium in primitiuâ seu verâ Ecclesia.

Quia nonnulli Aduersariorum asserunt, Purgatorium recens inuentum esse vel Odilonis Abbatis, qui anno 1048. defunctus est, vel Gregorii Papæ qui floruit anno 590. vel D. Augustini, qui scripsit anno 400. probandum est ante horum tempora in Ecclesiâ creditum esse Purgatorium. testantur hoc; 1.

Liturgia Ecclesiæ Hierosolymit: Jacobi Apostoli. *fac Domine vt oblatio nostra grata & accepta sit, per Spiritum sanctificata, in propitiationem peccatorum nostrorum, & eorum quæ populus per ignorantiam admisit, & in requiem animarum eorum, qui ante nos obdormierunt.*

Hanc Liturgiam in Synodo Constantinopolitana, vt genuinam & veram Apostoli, agnouerunt 150. Patres, & hæreticis illius temporis obiecerunt.

Liturgia Ecclesiæ Romanæ primum â D: Petro scripta. *Memento Domine famulorum famularumq; tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. ipsis Domine & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii & pacis vt indulgeas deprecamur.*

Liturgia Ecclesiæ Alexandrinæ primum â D: Marco conscripta. *animabus Patrum & fratrum nostrorum, qui antea in Christi fide obdormierunt, dona requiem Domine Deus noster &c.*

Liturgia Ecclesiæ Aethiop: â D: Matthæo conscripta. *Memento Domine famulorum famularumq; tuarum, fratrum & sororum, omnium fidelium dormientium, & in signo rectæ fidei conquiescentium.*

Liturgia Ecclesiæ Constantin: S. Andreæ Apostoli. *Offerimus tibi rationabile hoc obsequium, pro fidelibus dormientibus, pro fratribus & sororibus nostris, interuenientibus Patriarchis, Prophetis &c.*

Quæ Liturgiæ non video quâ impudentiâ rejiciantur ab Aduersariis quibusdam, cùm eas tota primitiua Ecclesia, & plurima Concilia disertè comprobarint. Nec refert quòd hîc Voculæ *purgatorij* mentio non fiat, sufficit enim in illis orari pro defunctis, non in Cœlis aut inferno existentibus; ergo in ali-

quo

quo loco tertio, quicunq; ille sit, commorantibus, & auxilio indigentibus.

Clemens Romanus l. 8. Apost: constit: c. 4. *Oremus pro fratribus nostris qui in Christo requierunt. Vt DEus, qui animam defuncti suscepit, remittat ei omne peccatum &c. & c. 42. Exequiæ mortuorum fiant tertio die, adhibitis Psalmis, precibus & lectionibus &c.* Hunc Clementem Petri discipulum ejusq; successorem in Pontificatu fuisse certum est, cujus libros *constitutionum Apostolicarum*, tanquam ab Apostolis dictatos, veros ac genuinos tota primitiua Ecclesia huc usq; semper constantissimè admisit, & vt Apostolicos agnouit. Vt ex Patrum citationib9 clarè demonstrari potest. *Anno 80.*

Dionysius Areopagita Eccles: Hierarch: c. 7. p. 3. *Accedens deinde venerandus Antistes precem sacram super mortuum peragit &c. precatur oratio illa diuinam Clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto; eumq; in luce statuat, & regione Viuorum &c.* *Anno 100.*

Hermas Pauli Discipulus visione 3. de triumphantis Ecclesiæ structura & variis hominum reproborum ordinibus, fusè & clarè purgatorium describit. *Anno 120*

Tertullianus de testimonio animæ aduers9 gentes. c. 4. *cui gratiam debes, ossibus & cineribus ejus refrigerium comprecaris, & vt bene requiescat apud inferos cupis.* de Corona Militis c. 3. *Oblationes pro defunctis facimus,* *Anno 200.*

barum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem postules, scripturarum nullam inuenias. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo Confirmatrix, & fides obseruatrix. Item multis aliis in locis.

Anno 230. *Origenes Homilia* 14. in Leuitic: fusè docet peccata quædam leuia, stipulæ & fæno similia esse, quæ breui flammâ purgabuntur in alia vitâ. Idemq; iterum inculcat in Psal. 38. Homil. 2. item Homil. 12. in Ierem. & l. 8. in Epist. ad Rom. c. 11. *Hæc ipsa purgatio*, inquit, *quæ per pænam ignis adhibetur, quantis temporibus, quantisue sæculis de peccatoribus exigat cruciatus, solus scire potest, cui Pater omne judicium tradidit.*

Anno 250. *Cyprianus Epist.* 52. ad Antonian: *Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam peruenire. aliud missum in Carcerem non exire inde, donec soluat nouissimum quadrantem; aliud statim fidei, virtutisq; mercedem accipere; aliud longo dolore cruciatuum emundari & purgari diu igne; aliud peccata omnia passione purgasse.*

Et Epist: 66. ad Plebem & Clerum Furnitauorum. *quod Episcopi & Antecessores nostri religiosè considerando, & salubriter prouidentes, censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret. Et si quis hoc fecisset, non offeretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur &c.*

Eusebius

Eusebius Alexandrin: homil: de dominica. *Anno 260.*

Zeno Veronensis, serm: de resurrectione.

Arnobius Rhetor, lib: 4. contra gentes paulò ante finem. *Anno 300.*

Lactantius l. 7. Institut: c. 21. *Anno 320.*

Concilium Nicænum canone 65 Arabico. *nuntietur de morte Episcopi omnibus Ecclesiis & Monasteriis illius Diœcesis, vt fiat oratio pro eo:* *Anno 325.*

Athanasius quæst: 34. & oratione de his qui dormierunt. *Anno 340.*

Hilarius Pictauiensis, ad Psalm: 59. *Multi secundum Apostolum tanquam per ignem erunt salui, cum defœcatis & perustis vitiis vt argentum ignitum probabiles judicentur.* *Anno 350.*

Basilius Magnus ad c. 4. Esa: clarè explicat quænam peccata post hanc vitam expurgabuntur igne. & ad c. 4. 6. ad illa verba: in manu habebat carbonem &c: sic ait: *Cæleste quoddam intelligendum est altare illud; nempe locum lustrandis animabus accommodatum, è quo ignis ille purificatiuus per eas virtutes ingenti Sanctitate proditus elicitur.* *Anno 370.*

Ephræm oratione ad euersion: Superb: *immundus verò apud Dominum omnis, qui elato est corde. An non consideras illum per quem transibimus ignem?* & alibi clarè & sæpe de igne purgatorii. *Eodem.*

Eodem. *Cyrillus Hierosolymitan*: Catechesi 5. Mystagogica.

Eodem. *Ambrosius* orat: de vita & exitu Theodosii & alibi.

Anno 380. *Gregorius Nazianzenus*. Orat: 10. in laudem defuncti fratris Cæsarii.

Gregorius Nyßenus Orat: quòd non sit dolendum ob eorum obitum, qui in fide discesserunt. & lib: de anima & Resur:

Epiphanius Hæres: 75.

Prudentius in Hamartigenia.

Anno 390. *Hieronymus* ad c. 66. Isa. ad c. 1. in Nahum. ad c. 7. Micheæ.

Ruffinus ad Psalm. 37.

Anno 395. *Concilium Carthaginense* tertium. c. 29.

Anno 398. *Concilium Carthaginense quartum*. c. 79.

Chrysostomus homil: 6. de Sacerd: c. 4. & aliis multis in locis.

II. Qui omnes SS. Patres & plurimi alii ante D. Augustinum floruerunt, & vt patet, pro defunctis orandum esse censuerunt; & purgatorium reipsâ crediderunt. Vnde manifestè conuincuntur Aduersarii falsitatis, dum asserunt â B. Augustino confictum esse purgatorium. Ex ipsis autem tam luculentis SS. Patrum & Conciliorum testimoniis, hoc deduco argumentum: Cùm tota vera, primitiua Ecclesia, & omnes SS. Patres pro defunctis orauerint, certum est, eos credidisse preces, & oblationes suas defunctis prodesse (ad quid enim aliàs orassent?) sciebant autem non prodesse æternùm in inferno damnatis; neq; in Cælis existentes precibus vi-

uorum egere; ergo ſtatum aliquem tertium judicarunt eſſe, in quo exiſtentes animæ defunctorum, precum & ſacrificiorum capaces forent. quâ in re ſi erraſſent, Eccleſia vera in re graui erraſset, quod cum ſuppoſitâ Diuinâ promiſsione impoſsibile ſit; neceſsariò credendum eſt, aliquem locum eſſe, in quo exiſtentes animæ precibus juuari poſsint, quem purgatorium appellamus. quo nomine licet vera Eccleſia non fuerit vſa, rem tamen eo vocabulo ſignificatam ita deſcripſerunt Patres, vt huic ſtatui animarum, vocabulum illud rectè conueniat. hinc de vocabulo Purgatorii quæſtionem non facimus, ſed de re per illud vocabulum ſignificata. Quam ſi admittant Aduerſarii, facilè nomen illud ipſis concedemus.

CAPUT. II.

Probatur Purgatorium ex ſcriptura & Ratione.

Fundamentum hujus difficultatis eſt; an remiſsâ culpâ, neceſſariò ſemper remittatur omnis pæna temporalis culpæ debita. nam ſi probari poſsit quod non neceſſariò, imo de facto ſæpe remiſsâ Culpâ non remittatur omnis pæna temporalis; manifeſtè probatum erit, debere eſſe aliquem ſtatum vel locum in quo defunctorum animæ, quæ culpâ quidem dimiſſâ, ſed morte præoccupatæ in viuis totaliter ſatisfacere nequierunt, pro pænâ reſiduâ temporali adhuc ſatisfaciant. cùm nihil coinquinatum in Cælos admittatur. Probabimus ergo 1. non remitti ſemper pænam temporalem, remiſsâ culpâ. 2. etiam pro leuibus quibusdam culpis in hac vitâ ſæpe non ſatisfieri. 3. Ex ſcripturis quoq; demonſtrabimus, dari in alterâ vitâ ſatisfactionem. III.

§. 1.

§ 1.

Dimissa culpâ non remittitur semper pœna temporalis.

IV. CErtum est semper remitti pœnam æternam, quotiescunq; remittitur peccatum mortale. quòd autem remissa culpa non remittatur semper pœna temporalis, probatur manifestè exemplis S: Scripturæ. 1. quia mors & aliæ hujus vitæ miseriæ sunt pœna peccati originalis, vt patet ex Gen: 3. v. 17, 18, 19. & testatur Apostolus Rom: 6. *Stipendium peccati mors.* Quæ pœnas iis etiam infliguntur, quibus remissum est peccatum Originale per Baptismum. ergo licet remittatur peccatum Originale per Baptismum, non tamen remittitur pœna.

2. Moyses & Aaron etiam obtentâ remissione peccati incredulitatis, puniti sunt morte temporali, nam Deut: 32. v. 48 locutus est Dominus ad Moysen, dicens: *Ascende in montem istum & morere, sicut est mortuus Aaron frater tuus; quia præuaricati estis contra me, in medio filiorum Israel.*

Ex vtroq; exemplo patet, non esse punitos eo fine, vt sese imposterum emendarent, nam post mortem quænam potest esse emendatio? & additur causa punitionis. nempe peccatum præteritum.

3. Dauid Adulterii & Homicidii reus & pœnitens audire quidem meruit. 2. Reg: 12. v. 13.

12. v. 13. *Dominus quoq; transtulit peccatum tuum; non morieris.* non tamen illi pœna remissa est, sed additur. *Veruntamen quia blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* En pœnam peccati; nec illa sufficiebat; addit aliam ob idem scelus. *Ego* inquit *suscitabo super te malum de domo tuâ, & tollam vxores tuas in oculis tuis* &c: quæ omnia facta sunt, vt videre est 2. Reg: 16.22.

4. Idem Dauid cùm numerando populum grauiter DEum offendisset, nihilominus post translatam pœnitentiâ iniquitatem audire meruit, 2. Reg: 24. *trium tibi datur optio* &c: vbi pro peccato commisso triplex illi pœna proponitur. nec dici potest, illa facta esse in remedium; quia vbiq; additur supplicii causa, videlicet, peccatum commissum: quamuis etiam dici posit secundariò ea facta esse in terrorem. alia plurima hujusmodi exempla pasim suppeditat scriptura.

Ratio autem, cur id faciat DEus, est *ista*: quia æquitas Diuinæ justitiæ postulat, vt tanta Dei offensa non maneat penitus impunita. Sicut â Regibus nonnunquam reis capitalem pænam condonari videmus, quam meriti sunt. Ne tamen omnino videatur justitia publica neglecta, vnius vel alterius anni exilio mulctantur. quod nunc potissimum in Christianis locum habet, quando

gratui-

gratuitæ peccatorum in baptiſmo remiſsioni, noua ingratitudo ſuccedit. Nam ſi Mariæ ſorori Moyſis etiam poſt ſanatam lepram noluit DEus ſtatim omnem pænam dimitti, juxta illud Num. 12. v. 14. *ſi pater ejus ſpuiſſet in faciem illius, nonne debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi? ſeparetur ſeptem diebus extra caſtra &c:* quantò minus id conueniet fieri, poſt ſpurciſsimam peccati mortalis lepram ſanatam?

VI. Nec obſtant, quæcunq; contra hanc doctrinam Aduerſarii objiciunt, videlicet; paſsionem & merita Chriſti ſufficientia eſſe ad tollendum reatum omnis pœnæ, tam æternæ quàm temporalis: nullam ergo remiſsâ culpâ perſoluendam eſſe pœnam. 2. Paulus Rom: 3. v. 24. docet, *nos juſtificari gratis per gratiam Chriſti.* Sed non juſtificaremur gratis, ſi ex parte noſtrâ foret adhuc neceſſaria compenſatio. 3. *Si impius pœnitentiam egerit*, inquit Dominus, Ezech: 18. v. 21, *omnium iniquitatum ejus non recordabor.* recordaretur autem, ſi culpâ remiſsâ, adhuc ſatisfactionem exigeret.

4. Deniq; cùm Deus acceptauerit pro peccatis noſtris merita Chriſti, tanquam ſufficientiſsimam ſatisfactionem; fieret injuria Chriſto, ſi DEus etiam ab homine adhuc ſatisfactionem aliam exigeret:

VII. Verùm ad hæc & ſimilia Reſpondeo primo. ſi iſta argumenta quidquam vale-

rent,

rent, probarent etiam contra scripturam & allegata exempla, Deum malè fecisse; non justificasse gratis; post dimissam culpam, adhuc iniquitatem recordatum fuisse; Christo permisisse inferri injuriam, quando in exemplis è scripturâ paulò ante adductis, post condonatum peccatum, adhuc temporalem aliquam pœnam inflixit, quam blasphemiam nemo concedet.

Respondeo 2. ad primum & quartum; licet passio Christi ex se sufficiens sit ad delendam omnem pœnam; & omnem reatum; debet tamen ejus participatio esse proportionata mediis à DEo destinatis; ita quidem, vt in Baptismo paruuli participent totaliter virtutem passionis Christi, vtpote per aquam & Spiritum Christo commortui peccato; & in eo regenerati ad nouam vitam; at verò quia in pœnitentiâ homo adultus consequitur & participat virtutem passionis secundùm modum & proportionem propriorum actuum, vim tamen ex Meritis & passione Christi habentium; ideo non statim per vnum alterumue actum, quo remittitur culpa, soluitur reatus totius pœnæ; sed adhibitis omnibus quæ ad id requiruntur. quæ quia sæpe non adhibentur secundùm omnem requisitam proportionem, fit vt sæpe supersit aliqua pœna pro satisfactione persoluenda.

VIII. Quòd autem Aduersarii asserant, hanc totam solui in morte per fidem, dici non potest, 1. quia esset contra Diuinam Justitiam quæ videlicet non majorem satisfactionem exigeret pro innumeris magnis & enormibus peccatis, quam pro vna aliqua Communi culpâ, quod videtur injustum & blasphemum. 2. quia sæpe fieri potest vt in morte subitaneâ non eliciatur actus fidei; ergo tunc per fidem non potest deleri reatus pœnæ; hæc ergo postea erit persoluenda.

Ad 1. Respondeo: Justificationem hominis esse gratis quoad reatum culpæ & pœnæ æternæ. per gratiam enim justificantem quæ gratis confertur, homo constituitur DEi amicus, & hæres vitæ æternæ. Non tamen gratis condonat pœnam temporalem, quæ cum amicitiâ Dei consistit; vt patet in exemplis allatis, & clarissimè docet S. Augustinus lib. 22. contra Faustum c. 67.

Ad 3. Post dimissam culpam non amplius DEus recordatur illius, in quantum ea tollebat amicitiam DEi; juxta illud Apostoli, Rom. 8. v. 1. *nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo JEsu*, non obstat tamen, quò minus recordetur aliquando quoad pænam temporalem, quia DEus etiam castigat amicos. juxta illud Exod: 32. v. 34. *Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.*

Et

Ex quibus omnibus clarè potest concludi; homini per justificationem recepto in gratiam, sæpe superesse soluendam aliquam pœnam temporalem, pro quá si in hac vitâ satisfacere nequeat, debet in altera vitâ; non in Cælo, neq; in inferno; ergo in aliquo tertio loco, quem purgatorium appellamus.

§. 2.

Probatur pro leuibus culpis sæpe in hac vita non satisfieri.

DUo certa sunt. 1. committi ab homine leues aliquas culpas, ratione quarum, licet amicitiâ DEi non excidat; contrahit tamen maculas aliquas & animæ labes. de hujusmodi loquitur Sapiens prouerb: 24. v. 16. *septies in die cadit justus.* Et Jac. 3. v. 2. *In multis offendimus omnes.* Et Luc. 6. v. 4. *quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non consideras?* per festucam minora, per trabem magna peccata designantur. IX.

2. Certum est, nihil coinquinatum admitti in Cælum, juxta illud Apoc. 21. v. 27. *non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium.* Vnde sic argumentor: nihil coinquinatum intrat in Cælum, sed contingere potest & sæpe contingit, justas cum hujusmodi leuibus cul-

pis è viuis decedere; ergo cum iis intrare non possunt in Cœlum. Sed etiam ob illas damnari non possunt, cùm non priuent gratiâ nec amicitiâ DEi; ergo debet aliquis locus alius esse, in quo post mortem hæreant, & â leuibus culpis purgentur. Quòd autem cum hujusmodi culpis decedere possint, patet in iis, qui repentè moriuntur, vel in bello, vel naufragiis, vel aliis innumeris modis. De illis verò dici non potest, quòd in vitâ purgentur, vel harum culparum remissionem accipiant. nam in principiis Aduersariorum deberent hujusmodi culpæ illis condonari vel per ipsam mortem; vel per fidem morientium, vel per non imputationem. Nullum ex tribus dici potest; ergo non condonantur. 1. non per ipsam mortem; nam si vis ista morti inesset; tam infideles omnes, quàm fideles purgarentur â peccatis per mortem, & sic omnes fierent salui. quod cum manifestè sit falsum; Mors non habet vim vllam purgandi. quærendum igitur aliud est.

XI. 2. Non per fidem morientium. 1. quia nullâ scripturâ hoc probatur, per quam tamen omnia volunt probari; ergo sine fundamento assumitur. 2. quia, vt dictum est supra, sæpe contingit, vt in morte nullus actus fidei eliciatur, vt in repentinis casibus & nimiis doloribus fieri solet. Nec puto vl-

lum

lum dicturum, ſufficere fidem habitualem, quia cùm omnes fideles eam habeant, ſequeretur, nunquam fidelem aliquem poſse peccare; aut ſi poſset peccare, ſtatim ejus peccatum deleri per fidem habitualem, quam habet; & conſequenter nullum fidelem vnquam damnari poſse. quæ omnino abſurda ſunt.

3. Non per *non imputationem*, quia vt alicui non imputetur peccatum, juxta Aduerſarios, ſupponitur fides, adeò vt ſi fidem actualem non habeat, ei imputetur. Cùm autem, vt paulò ante dixi, ſæpe fieri poſſit, vt nullo actu fidei actualiter elicito quis moriatur; fieri poteſt etiam in Aduerſariorum ſententiâ, vt iſti peccatum imputetur. Si imputetur in morte, dici non poteſt, quòd propter hoc damnetur (ſupponimus enim eſſe leuiſsimum) ſed nec Cœlum talis intrabit, quia coinquinatus eſt, neq; poſt mortem deleri poteſt per fidem, cujus tunc nullus actus elicitur in Aduerſariorum ſententiâ, qui nullam poſt mortem viam admittunt, ſed animas à morte ſtatim in cælo vel inferno collocant, vbi nullus fidei actus amplius elicitur. ergo neceſſariò locus vel ſtatus aliquis eſt, in quo poſſit deleri peccatum aliquod leue. & locum ſeu ſtatum hunc purgatorium dicimus. XII.

§ 3.

Probatur ex scripturis satisfactio in alterâ vitâ.

XIII. OMissis pluribus locis sacræ scripturæ, quibus in altera vita pro culpis in vitâ commissis satisfieri posse probatur, paucis contenti erimus, ac 1. ex Veteri Testamento 2. Machab. 12. In quo Judas pro defunctis orari curauit, ideoq; in textu subjungitur: *ergo & salubris est cogitatio pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur.* Ex quo loco deducuntur sequentia. 1. posse mortuos â peccatis solui, ac proinde purgatorium esse. 2. sacrificia & orationes illis prodesse, 3. non semper in morte expiari omnes peccatorum reliquias. 4. posse hominem piè mori & tamen habere aliquod soluendum. 5. Hoc esse de fide. qui locus cùm clarior sit, quam vt eum Aduersarii aliquibus tenebris obducere possint; totum illum librum rejiciunt. Sed hoc frustra & injuriosè ab iis tentari, ante probauimus.

Sed demus innumeros Patres, & totam Ecclesiam errasse, libros istos Canonicis annumerando, saltem Aduersarii eandem fidem illis adhibebunt, quem adhibent Liuio, Plutarcho, aut alteri cuiquam auctori prophano. Ex illis ergo patebit ante mille & septingentos annos apud supremos Hebræ-

bræorum, pro re certissimâ habitum fuisse, sanctè & salubriter pro defunctis orari.

Ex nouo Testamento sit 1. Matth. 12. v. 32. *qui dixerit contra Spiritum Sanctum non remittetur ei, neq; in hoc sæculo neq; in futuro.* ex quo sequitur, aliqua peccata remitti in futuro sæculo, aliàs frustra dictum esset â Christo, non remitti peccata similia neq; in hoc neq; in futuro sæculo, si nullum ibi vnquam posset remitti. Perinde ac si diceret aliquis: vxorem non ducam neq; in hoc, neq; in futuro sæculo. secundum omnino superfluum esset, constat enim quòd in futuro sæculo neq; nubent neq; nubentur. XIV.

2. 1. Cor. 15. v. 29. *Fideles inueniuntur qui se baptizant pro mortuis.* id est, qui se ipsos jejuniis, vigiliis, fletibus excruciant, vt animas mortuorum alicubi in afflictionibus detentas, liberent, ita explicant SS. Patres hunc locum. Attendendus enim est hic scopus Apostoli, qui toto hoc capite conatur probare resurrectionem mortuorum resurrectione Christi. & inter alia, quibus hanc mortuorum resurrectionem probat, istud adducit argumentum: *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ad quid baptizantur pro illis?* q. d. Stultè faciunt qui baptizantur pro mortuis, si non sunt resurrecturi; & quibus aliàs nihil prodesse potest ille Baptismus; ergo cum baptizentur pro mor-

tuis, credunt illis prodesse Baptismum. per Baptismum autem non intelligi Sacramentum Baptismi, apud omnes etiam Aduersarios in confesso est. sumitur ergo, vt alibi in scripturis, pro Baptismo lachrymarum vel afflictione. Vt Luc. 12. v. 50. & Marc. 10. v. 38. vel certè sumi potest pro lauacris, quod olim apud Judæos erat pœnitentiæ genus. Sed quodcunq; sit illud pænitentiæ genus insinuatum à Paulo nomine Baptismi vel lauacri, siue alterius ritus; constat profectò tunc aliquod pro defunctis fieri solitum, quod iis prodesse judicabatur; ergo indè rectè infertur; animas mortuorum aliquo ritus genere posse juuari, alioquin ritus ille fieret frustra. ergo non tantùm est Cælum, in quo auxilio seu Baptismo nostro non egent, qui in illo sunt: nec tantùm infernus, vnde *nulla redemptio est*. Sed datur etiam alius locus, in quo qui sunt juuari possunt. quem locum purgatorium appellamus.

3. Datur aliquis Carcer è quo homines non exibunt, antequam vltimum quadrantem soluerint. Matth. 5. v. 26. ille autem Carcer non est infernus, vnde nulla est redemptio; ergo locus aliquis alius.

XV. 4. Deniq; locus famosissimus est Pauli 1. Cor. 3. v. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus JEsus. Si quis superædificat super funda-*

fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam vniuscujusq; opus manifestum erit. dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscujusq; opus quale sit, ignis probabit. si cujus opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet: si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Quibus verbis planissimè docet Paulus, non omnes statim & immediatè post mortem transituros ad gloriam, sed aliquo tempore propter leues culpas passuros in igne detrimentum.

Per fundamentum Christus, ejusq; fides designatur; aurum, argentum, lapides pretiosi, opera bona sunt & doctrina bona. ligna, fœnum, stipulæ, peccata sunt leuiora & imperfectiones, nec non doctrina vana & inutilis. Dies Domini, judicii particularis est, imò etiam vniuersalis, in quo sententiæ omnium particulares reuelabuntur. Ignis iste verus ignis est, aut alia quæpiam pœna temporalis à Judice destinata illis, qui plenè necdum expurgati reperientur. Bona opera & vera doctrina non pœnis digna sed præmio, persistent in igne illæsa. Leues autem Culpæ animæ inhærentes, quasi stipulæ ardebunt, atq; ideo per ignem, animæ patientur aliquod detrimentum, donec penitus expurgentur. qui sensus clarus est & perspicuus, à plerisq; patribus

sic semper explicatus, & vnanimi consensu purgatorio applicatus. quem si patres aliqui, aliter explicarunt; intenderunt sensum aliquem accommodatitium seu Metaphoricum, literalem autem rigorosum, qui dogma fidei stabiliat, eundem semper reliquerunt.

XVI. Nec obstat quod Aduersarii aliqui obijciunt, locum hunc obscurum esse teste Augustino, & à multis Catholicis Doctoribus aliter explicari, ac proinde non posse ex illo aliquod fidei dogma probari.

Fatemur enim locum illum difficilem in quibusdam esse; sed quæ statum quæstionis nostræ non admodùm concernunt. Nam quis & qualis opera nostra probandi & examinandi modus sit futurus, ex hoc loco difficulter intelligitur, ex hoc textu tamen clarum est & certum, quòd probatione quomodocunq; factâ, mercedem accepturi sint illi, quorum opera inuenta fuerint solida, eos autem, quorum opera fuerint deprehensa vana, saluandos quidem, sed priùs castigatos. Manifestum præterea est, de duplici tantùm hominum genere, hic agere Apostolum, & vtroq; quidem saluando. primum est eorum, qui suorum operum, quæ planè aurea, argenteaq; fuerunt, mercedem plenam accipient; quod significatur per illa verba: *Mercedem accipient:* Alterum eorum, qui propter aliquam vanitatem, docti-

doctrinæ vel operibus admixtam, saluabuntur quidem, sed non sine castigatione; quod indicatur istis; *ipse autem saluus erit quasi per ignem*: de iis qui æternum damnabuntur nullam hîc mentionem facit: agit enim tantum de illis, qui stabilito fundamento Christi, siue qui seruatâ fide & dilectione Christi docendo vel operando superædificant, vel prorsus solidè, vel cum aliqua vanitate. at qui peruersè docent, hi Christum penitus euertunt, & nunquam saluari poterunt, de quibus ergo hic Paulum non agere manifestum est.

Cùm igitur Paulus infernum penitus prætereat, & duplex genus saluandorum ponat, vnum sine pœnâ, alterum per pœnam in vitâ alterâ inferendam; necessariò sequitur in vitâ alterâ, aliquem futurum locum, in quo pœnæ hujusmodi temporales merentibus inferri possint. is autem non est infernus, vnde nulla est redemptio; neq; Cælum vbi nullus cruciatus est; ergo tertius aliquis. quæ singula sic explicata legenti & voluenti attentè, clarissimè patebunt.

CAPUT III.

Soluuntur objectiones Aduersariorum.

MUlta quidem ad exstinguendum purgatorium objiciunt Aduersarii, sed mul- XVII.

tis inanibus & nullius momenti rationibus omissis. præcipua tantùm expediemus præter ea quæ superius c. 2. §. 1. soluimus.

1. Ajunt nullibi in tota scripturâ nominari purgatorium; ergo non potest demonstrari tale esse. Sed

Respondeo non agi hîc de verbis, sed de rebus, ideoq; licet nullibi nominetur purgatorium, sufficit tamen describi rem ipsam, quæ est purgatorium. Sicuti licet nullibi sit in scripturis Baptismum & Eucharistiam esse Sacramenta, res illæ tamen prout ad Sacramentum requiruntur, sunt in scripturis. ita de purgatorio.

2. Ex scripturis duo tantùm habemus animarum receptacula, Cælum & infernum; ergo purgatorium frustra affingitur.

Respondeo illud esse falsum. nam animæ omnes, quas tam Christus quàm Apostoli aliiq; Sancti in corpora sua reuocarunt, tempore separationis alicubi fuerunt, non in cælo; quia gratia illis non fieret si reuocarentur è Cœlo, neq; in inferno; quia nulla datur inde redemptio; ergo in aliquo loco tertio; ergo plura post hanc vitam sunt animarum receptacula.

3. Adducunt varia scripturæ loca, vt Psal. 126. v. 4. Eccles: 9. v. 10. Eccles: 11. v. 3. Rom. 8. v. 1. 2. Cor. 5. v. 1. & v. 10. Apocal: 14. v. 13. Ex quibus omnibus bene probatur, quòd justi post mortem in Cœlum transferantur, &

statim

statim futuri sint in statu salutis & securitatis. Non autem probatur hoc immediatè fieri in omnibus absq; purgatorio. Ad locum autem Luc: 23. v. 43. vbi Christus ad Latronem, *hodie mecum eris in paradyso*:

Respondeo 1. particulare id exemplum esse, ex quo deduci nequit vniuersalis consequentia. ac si dicerem: D. Petrus non fuit in inferno; ergo nullus est infernus. Judas non fuit in Cælo; ergo non est Cælum. ita quando dicitur latro non fuit in purgatorio; ergo nullum est purgatorium, falsa est illatio. Fatemur enim posse DEum non culpam tantùm, sed & pœnam penitus remittere, vti fit per Baptismum. hoc autem Latroni factum esse libenter concedimus. XVIII.

4. Objiciunt; aserunt Catholici solos justos purgatorii tormentis expiari, sed hoc repugnat scripturæ, attestante Sapiente. c. 3. v. 1. *Justorum animæ in manu DEi sunt, & non tangit illos tormentum mortis*, seu vt cum S. Augustino legunt alii, *malitiæ*; ergo purgatorium non potest esse. XIX.

Respondeo 1. per tormentum mortis posse intelligi infernum. sic enim frequens scripturæ est locutio. si verò magis placet *malitiæ* dico *tormentum malitiæ* vocari illud, quod est malitiæ hominum damnatorum debitum, â quo justorum animæ non tangentur.

2. Loquitur hic Sapiens de justis qui in vitâ

suâ multas tribulationes passi sunt, vt clar patet ex verbis textûs proximè sequentibus hoc autem neq; mirum est, nec negamus statim ex vitâ sine vllo tormento in Cælum transmigrare, sufficienter hujus vitæ afflictionibus expurgatos

XX. Deniq; concludo & dico vniuersalem omnium gentium consensum fidem facere locum aliquem post hanc vitam esse, in quo animæ afflictæ juuari possunt; nam non solùm Christiani sed etiam Judæi, vt patet ex Mach. citatis & Josepho lib: de bel: Jud. c. 91. Turcæ, vbi in Alcorano reperitur; Ethnici, vt videre est in Gorgia Platonis Phœdone, Cicerone, seu somno Scipionis, & aliis, hujusmodi locum esse affirmarunt. Vnde sic argumentor: Sicut ex instinctu naturæ omnes homines Numen aliquod inuocant, & de altera vita sunt solliciti, & mortuis bene precantur; ex eoq; instinctu, omnes sensati Philosophi semper intulerunt dari aliquod supremum Numen, & animas immortales esse. Sic ex eodem instinctu inferri debet, locum aliquem post hanc vitam dari, in quo animæ afflictæ defunctorum juuari possint, cùm ille omnium hominum sit vniuersalis sensus, qui sensus licet in vno alteroue particulari alicujus speciei subinde errare possit, nunquam tamen in totâ specie aberrat; ergo cùm vniuersalis omnium hominum

minum

minum instinctus purgatorium esse dictet, non minùs censendum est illud esse verum, quàm DEum aliquem dari, aut animas immortales esse. Frustra verò respondet Brochmannus in rebus fidei non esse consulendum humanæ naturæ instinctum, sed Moysen & Prophetas; quia certum est nec Moysen nec Prophetas, nec vllam scripturam sacram aliquid vnquam docuisse, quod vniuersali naturæ instinctui repugnat.



DE FIDE JUSTIFI-CANTE.

DEMONSTRATIO II.

Ecclesiam Lutheranam non esse veram Ecclesiam, quia vim justificandi soli fidei attribuit, quam Ecclesia vera primitiua etiam operibus cum gratia adscripsit.

CAPVT I.

Non sola fide sed etiam operibus hominem justificari probatur auctoritate Ecclesiæ primitiuæ.

I. Anno 80.



CLemens Romanus l.1.recognit. *Tendamus ad amicitiam conditoris. Amicitia autem efficitur bene viuendo, & voluntati ejus obediendo, quæ voluntas omnium viuentium lex est.* amicitia Dei est justificatio.

Anno 100.

Ignatius Epist: ad Ephes: post medium. *non vos lædet aliqua Diabolica cogitatio, si vt Paulus perfectam habueritis in Christum & fidem & charitatem, quæ initium vitæ & finis est. hæc autem Domino quoties in vnum coeunt, Dei hominem perficiunt: omnia autem alia ad probitatem consentanea sunt.*

Anno 100.

Martialis Epist: ad Tolosanos c. 17. *tanquam pusillus grex DEi voluntatem ejus ad implere*

plere studere, in verbis sanctis & operibus bonis.

Clemens Alexandrinus l 5. Stromat: *gratiâ enim seruamur sed non absq; bonis operibus*, & l. 7. *quo pacto autem medicus præbet sanitatem iis, qui ei opem ferunt, ita etiam DEus æternam salutem iis, qui cum eo cooperantur, & ad cognitionem, & ad bonas operationes. Item lib: 2. præcedit fides, timor ædificat, perficit autem dilectio.* *Anno 204.*

Origenes in Cantica, homil. 1. *dupliciter constat salus Credentium, per agnitionem fidei & operum perfectionem.* Et tract: 30. in Matt: *Regnum Cælorum aßimilatur decem Virginibus.* Et siquidem in eis *sunt qui credunt & viuunt. & ideò justè aßimilatur quinque prudentibus: qui autem profitentur quidem fidem in JEsu, non autem præparant se bonis operibus ad salutem, reliquis quinque aßimilantur Virginibus.* Item Homil: 1. in Ezech: *quare ægre fers niti, laborare, contendere, & per bona opera teipsum causam salutis tuæ fieri?* *Anno 230.*

Cyprianus lib: de opere & eleemos: *Diuina inquit res salutaris operatio, solatium grande Credentium, securitatis nostræ salubre præsidium munimentum spei, tutela fidei, medela peccati: & res posita in potestate facientis, res grandis & facilis &c:* Et Epist: 14. ad Clerum, *pænitentiam ille agit, qui obsequiis suis & operibus justis Dominum promeretur.* *Anno 250.*

Anno 260. *Zeno Veronensis* inuitatione. 5. ad fontem; *quantum quis crediderit & operatus fuerit, tantum beatitudinis habebit.*

Anno 355. Hilarius Can: 7. in Matth. postquam dixit, *salutem gentium omnem ex fide esse*, vt ostenderet, non satis esse fidem habere, licet sit planè necessaria, statim tamen subjungit; *& in præceptis Domini vita est vniuersorum.*

Anno 360. Didymus Alexandrin: in c. 2. Ep. S. Jac. (sicut corpus sine Spiritu mortuum est, sic & fides sine operibus mortua est) *quoniam*, inquit, *sicut Spiritus cohærens corpori viuificat illud, & opera fidei coaptata viuam eam esse procurant, cogitandum est, vt fides habeatur cum operibus virtute dignis, vt non mortua sed viua consistat.*

Anno 360. *Gregorius Nazianz:* orat: 28. *Vt actio si á fide deseratur, eandem non meretur, ita fides sine operibus mortua est.*

Anno 370. *Ambrosius* lib: 10. Epist: 82. *quæ nobis salus esse potest, nisi jejunio eluerimus peccata nostra, cùm scriptura dicat;* Jejunium & eleemosyna liberat â peccato. *qui sunt ergo hi præceptores noui qui meritum excludunt jejunii.*

Idem innumerorum aliorum Patrum sensus est, qui licet sæpe etiam solius fidei mentionem faciunt, aliud tamen non intendunt, quàm vt aſserant primarium justificationis fundamentum esse fidem, alia autem

opera

opera vt ſpem, charitatem &c: nullibi excludunt, ſed vbiq; ea fidei adjungunt; vt patet ex ſupra memoratis.

Hoc igitur in articulo cum Eccleſia Lutherana â vera primitiua Eccleſia diſſentiat, manifeſtum eſt alterutram errare. non poteſt autem vera Eccleſia errare; ergo errat Lutherana, & conſequenter vera Eccleſia non eſt.

CAPUT II.

Fides ſola non juſtificat.

PRiusquam rem aggrediamur; ſtatus controuerſiæ exponendus eſt, qui eſt iſte. II.
Priusquam impius rectè juſtificetur, requiruntur aliquæ diſpoſitiones, in quibus prima eſt fides, tanquam fundamentum & radix totius ſalutis, quæ conſiſtat in eo, quòd aliquis credat vera eſſe omnia, quæ â DEo reuelata ſunt; videlicet 1. Deum in puniendis peccatis juſtum & ſeuerum eſſe. 2. quòd etiam in iisdem remittendis benignus & miſericors ſit, ideoq; filium ſuum in terras miſerit;

Ex 1. naſcitur *timor* Domini, judicii & pœnarum, quo animus impii concutitur, & ad emendationem excitatur.

Ex 2. Oritur *ſpes* Diuinæ miſericordiæ, & remiſsionis peccatorum, per merita Redemptoris. Ex illa ſpe autem conſequitur

Amor erga DEum miſericordem & benignum, ac *odium* peccati, quod à tam benigno & miſericorde Domino peccatorem auertit, cui annexum eſt *propoſitum* vitæ melioris & obſeruationis mandatorum DEi. Quibus ſic poſitis ſequitur juſtificatio, ſeu infuſio gratiæ ſanctificantis & remiſsionis peccatorum, vel vt Aduerſarii volunt, vera imputatio meritorum Chriſti per veram fidem apprehenſorum. Notandum autem eſt, diſpoſitiones illas ex natura Dei non ita requiri, vt ſine illis gratia infundi nequeat, quia in infantibus non inueniuntur, & tamen infunditur gratia. Sed requiruntur eæ tantùm in adultis, ex ordinatione & voluntate Diuina. Et hac in doctrina nobiſcum conueniunt moderni Doctiores Lutherani, vt candidè fatetur Brochmannus de Juſtif: c. 2. q. 7. Porrò duplex hic difficultas mouetur 1. an diſpoſitionibus ſupradictis, quæ juſtificationem præcedunt, mereamur remiſsionem peccatorum, & gratiam ſanctificantem.

III. Quod hoc affirment Catholici nobis calumnioſè & falſiſsimè impingunt Aduerſarii, vt odioſam faciant doctrinam Catholicam. quocirca quid ſentiamus apertè & rotundè edico. Diſerte negamus juſtificationem eſſe ex noſtris meritis. imò apertè tenemus, diſpoſitiones illas, quæ præcedunt

juſtifi-

justificationem non esse meritorias remissionis peccatorum & infusionis Justitiæ, in quibus justificatio consistit, (alioquin non justificaremur gratis,) eò quod fiant ab homine nondum justificato, & in statu peccati adhuc existente. Vnde consequenter dicimus, justificationem esse merè gratuitam; nec vllo modo deberi nobis ex justitia, tametsi supradictæ dispositiones præcesserint, cum dispositiones istæ etiam non sine gratia ponantur. Ex quo patet quid sentiant, Catholici, quamq; grauem illis columniam impingant Aduersarii.

Altera difficultas ex dictis est, an omnes istæ supradictæ dispositiones, timor, spes, dilectio, &c: quas ex fide supra diximus emergere, etiam justificent. An vero hoc ita soli fidei tribuendum sit, vt alii illi actus, licet sint præsentes, justificationem tamen non ingrediantur? IV.

Catholici asserunt non solam fidem, sed alios etiam actus ingredi justificationem.

Aduersarii totam justificationem soli fidei sic attribuunt, vt in operando omnia alia excludant.

Sententiam ergo Catholicorum stabiliemus, & Aduersariorum euertere conabimur.

§. I.

Probatur sententia Catholicorum.

QUòd præter fidem, etiam timor, spes & maximè dilectio concurrant ad iustificationem, in scripturis fundatum asserimus, in quibus sicuti sæpe legitur peccatorem per fidem iustificari, sic idem fieri per timorem, spem, dilectionem &c; sæpissimè reperitur. Et sicuti nullibi scripturæ docent, per solam dilectionem vel timorem iustificari peccatorem; sed semper supponunt fidem tanquam fundamentum, quæ ideo etiam sæpe sola nominatur: sic quoq; nullibi tradunt per solam fidem (licet solam nominent) iustificari peccatorem, quin semper etiam
V. concurrentes actus alios intelligant. Probabimus ergo dici in scripturis, timorem, spem, dilectionem iustificare; non efficienter formaliter, neq; meritoriè, vt certum est. ergo dispositiuè.

De Timore Ecclesi: 1. v. 27. *Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* Psal. 110 v. 10. *Initium sapientiæ timor Domini.* Prouerb. 14. v. 27. *Timor Domini fons vitæ.*

De spe Psal. 36 v. 40. *Eruet eos â peccatoribꝰ, & saluabit eos quia sperauerũt in eo.* Prouerb: 26. v. 25. *Qui sperat in Domino sanabitur.* 1. Joan: 3. v. 3. *Omnis qui habet hanc spem in eo sanctificat*

ctificat se, sicut & ille Sanctus est. peccator ergo cùm nequeat per spem sanctificare se ipsũ meritoriè nec efficienter, necessarium est, vt id faciat dispositiuè, videlicet per spem ad gratiam se disponendo.

De Pœnitentia: si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis vita viuet, & non morietur in justitia sua, quam operatus est (utique per pœnitentiam viuet,) Ezech: 18. v. 21. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis,* Luc. 13. v. 3. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis,* v. 5. *Ergo & gentibus dedit DEus pœnitentiam ad vitam:* Act: 11. v. 18; *Quæ secundùm DEum tristia est pœnitentiam in salutem stabilem operatur;* 2. Cor. 7. v. 10.

De dilectione siue charitate, Joan 14. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Tunc autem censetur in peccatorem venire DEus, quando eum justificat. Quod vt faciat prærequirit, vt DEi & excitantis gratiæ auxilio eum diligat, & imposterum mandata ejus seruaturum se proponat. 1. Joan: 3. v. 14. *qui non diligit manet in morte* Luc 7. v. 47. *remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multum* quod non minus est, quàm quod ibidem v. 50. de fide dicitur. *fides tua te saluam* fecit.

VI. Clariſsimè autem Paulus ad Gal: 5.v.16. *Nos enim Spiritu ex fide, ſpem juſtitiæ exſpectamus. nam in Chriſto JEſu neq; Circumciſio aliquid volet neq; præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur.*

Hic Apoſtolum apertè agere de fide, quæ juſtificationem antecedit, certiſsimum eſt, cum enim v. 5. aſſeruiſſet nos ex fide ſpem juſtitiæ exſpectare, vt explicaret clarè, qualis ea fides eſſe debeat, quæ valet ad juſtitiam, declarat euidentur illam eſſe ſolam, quæ per charitatem operatur. Sine charitate ergo fides mortua eſt, & inutilis, cum ſine eâ non poſsit operari ad juſtificationem. Ex quibus hoc argumentum formo: Fides quæ valet coram DEo ad Juſtitiam Deiq; amicitiam, ſiue in quâ eſt vis, & valor juſtificandi, eſt illa teſte Apoſtolo, quæ per charitatem operatur, ideoq; charitati planè vnita & conjuncta eſt: atqui fides ſola juſtificans, quam ſtatuunt Aduerſarii non eſt fides quæ per charitatem operatur, præſupponitur enim ab iis operari juſtificationem ſola, ideoq; in ualore juſtificandi à charitate ſejuncta. ſola enim fides juxta illos apprehendit Chriſti merita, non charitas; ergo fides ſola juſtificans, quam ſtatuunt Aduerſarii, non eſt fides quæ coram DEo valet ad juſtitiam Deiq; amicitiam: adeoq; contradictionem inuoluunt hæc duo: fidem eſſe ſolam & tamen eſſe juſtificantem: vt enim juſtificet fides, ſibi jungi poſtulat charitatem:

non ergo est sola, quæ charitati est sociata, sed posset aliquis objicere; verum quidẽ esse, non fidem solam sed & charitatem, aliasq; dispositiones in peccatore ante justitiam requiri, & ideo sine illis præsentibꝰ non operari fidem. sed ita esse singula seorsim & per se, vt per charitatem homo solùm diligat, per spem solùm speret &c. per solam autem fidem credat, & aliis non cooperantibus justus fiat.

VII. *Verùm* Respondeo 1. quod peccator per solam fidem credat, per charitatem amet, certũ est. quod autem per solam fidem & non per charitatem fiat justꝰ, directè hic D. Paulo aduersatur; qui cum agat de fide per quam acquiritur justitia, & asserat, eam esse solam illam, quæ per charitatem operatur. sequitur, si charitatem sibi non associet in operando, eam non posse operari ad justitiam.

Si autem fides non posit operari nisi per charitatem: tunc operabitur per eam vel vt causa efficiens per instrumentum suum, quod absurdum omnium confessione est: vel sicut per conditionem sine qua non, quod etiam dici nequit. nam cum fides mortua sit sine charitate, debet quasi informari â charitate vt viuat. forma autem non potest esse conditio ad aliquid sed cooperatrix.

Ergo necessario dicendum est, quod fides operetur per charitatem, sicut dispositio per formam, ad quam disponit, hoc est, sicut calor per formam ignis

dicitur operari ligni inflammationem. Itaq; sicut non solus Calor, sed ipsa etiam forma ignis dicitur inflammare lignum: sic non sola fides, sed etiam charitas velut ipsius forma dici debet inflammare peccatorem.

VIII. Sed vlterius fortè replicabunt Aduersarii: quando Paulus dicit fidem per charitatem operari, non esse aliud, quàm quòd per charitatem ostendatur intus esse fidem, quæ fides licet sine charitate non apparet; operatur tamen ad justificationem, præsente quidem sed non cooperante charitate, quæ tantum justificationis acquisitæ est indicium certum, infallibile, & necessarium.

Respondeo fictitiam objectionem illam esse, & impossibilem, quod enim rei cujuspiam indicium est, non dat esse rei cujus est indicium, sed totam rem positam supponit. v.g. motꝰ est indiciũ vitæ quæ in animalis animale est, non autem ille motꝰ dat vitã animali, sed supponit in eo vitam, atq; adeò prius est perfectè viuere quàm moueri. sic ergo etiam, si dilectio sit signum tantùm & indicium fidei viuentis, debet esse prior fides viua, quàm hoc indicium, per quod ostenditur esse viua; ergo dilectio non potest esse solum signum, sed debet intrinsecè cum fide operari, cum sine ipsâ fides viua non possit esse.

2. Si charitas tantùm sit fidei internæ signum, tunc vel ante charitatem fidei ope-

rata est justitiam, vel post eam: si primum, dici id non potest, quia ante charitatem fides mortua est, & consequenter nullo modo potest operari. Directè etiam pugnat cum Apostolo, qui asserit, illam solam fidem operari ad justitiam, quæ per charitatem operatur. Sed si ante charitatem operata fuisset justitiam, non fuisset operata per illam; ergo falsum dixisset Apostolus. si secundum; dici etiam nequit, quia si charitas sit signum fidei viuentis, debet prior esse fides viuens, quàm sit ejus signum, charitas. Implicat enim rem signatam non esse priorem saltem naturâ, signo; sed fides viuens non potest esse prior charitate, charitas enim dat vt viuat; ergo charitas non potest esse tantùm signum fidei viuentis, quod enim alteri dat vitam, non potest tantùm signum vitæ, quam dat alteri, sed est forma, quod ideo exemplo Corporis & Spiritus declarat Jacob. 2. v. 26. *sicut corpus*, inquit, *sine Spiritu mortuum est*, (videlicet in se,) *ita & fides sine operibus mortua est*, (etiam in se.) Et sicut Corpus, vt operetur, per animam informari debet, sic etiam fides debet informari â charitate, vt operari possit ad justitiam; ergo charitas non est signum fidei viuentis & justitiæ per fidem acquisitæ, sed ejusdem in justificatione consequendâ necessaria cooperatrix.

Patet ergo ex ſupradictis luculenta ſcripturæ teſtimonia non minus timori, ſpei, charitati &c. quam fidei adſcribere juſtificationem, ita vt etiam per hæc allegata loca clarè ſignificetur, ſine his actibus cooperantibus neminem adultum juſtificari poſſe.

§ 3.

Aduerſariorum ſententia rejicitur.

IX. SEntentia Modernorum Lutheranorum â Brochmanno de juſtificatione ſect: 2. ſic explicatur: *Certum eſt fidem charitate DEi & proximi deſtitutam non juſtificare, idq; quia non vera & viua ſed ficta atq; mortua fides eſt. quocirca quando contendimus Hominem ſola fide juſtificari; non aliud intendimus, quam quod licet vera & viua fides ſtipata ſemper ſit dilectione DEi & proximi, aliisq; virtutibus â DEo præceptis, tamen virtutes iſtæ, quæ cum fide nexu indiuiduo copulatæ ſunt, actum juſtificationis non ingrediuntur, ſed ſola fides meritum Chriſti apprehendit, & applicat, atq; ita in Juſtitiam ſola imputatur.* quam doctrinam duobus argumentis confirmat. 1. adducit varia ſcripturæ loca id teſtantur:

1. Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis Rom. 3. v. 28.

2. Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad Justitiam. Rom. 4. v. 5.

3. Scientes quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem JEsu Christi. Et nos in Christo JEsu credimus, vt justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Ad Gal. 2. v. 16.

4. Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, DEi enim donum est, non ex operibus ne quis glorietur Eph: 2. v. 8.

5. Vt inueniar in illo (Christo) *non habens meam Justitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi JEsu, quæ ex DEo justitia in fide ad cognoscendum illum* Philip: 3. v. 9.

Secundum argumentum desumit ex variis particulis S. Scripturæ nam inquit, licet phrasis hæc; *solâ fide justificamur:* apicibus iisdem non inveniatur tradita in S. literis; tamen res ipsa æquipollentibus vocibus clarè expressa est, quales sunt: *Gratis* Rom. 3. v. 25. *sine lege.* Gal. 2. v. 21. & 3. v. 23. *sine operibus.* Rom. 3. v. 28. & 4. v. 6. & alibi *non nisi per fidem.* Gal. 2. v. 16. *tantum crede* Luc. 6. v. 20. X.

quas

quas loquendi formas easdem asserit esse cum hac phrasi *sola fide justificamur*. Et hæc Aduersariorum tota probatio est. Contra quam vt ordinatè procedamus, exponemus primò genuinum Ecclesiæ de locis citatis sensum 2. particulas soluemus. 3. Rationibus dictam sententiam rejiciemus ex absurdis eam consequentibus. quocirca quod attinet ad primum locum Rom: 3. v. 26. Respondeo 1. Cùm Apostolus dicat nos justificari per fidem; & non excludat opera (non enim addidit *solam* vt vult Lutherus) manifestum est, eum non excludere spem, charitatem, & alias virtutes, vt ipsemet sesè explicat ad Gal: 5. v. 6. vbi solam illam fidem ait justitiam operari, quæ *per charitatem operatur*, vt & 1. Cor. *13*. v. *3*. quod autem fidei præ reliquis virtutibus justitiam tribuat, est quia fides clarè ostendit homines justificari, non propria virtute aut merito, sed Christi in quem credentes salui fiunt. hæc enim initio Ecclesiæ maximè inculcanda erat mundo. 2. Ex scopo Apostoli res tota declaratur, vult enim ostendere nec Judæos ex nuda obseruatione legis Mosaicæ; nec Gentiles propter bona opera ante fidem Christi susceptam perpetrata, justificari potuisse, sed ex fide in Christum. Fidem autem esse initium Justitiæ, nec dari ex operibus præcedentibus, sed esse donum DEI,

DEi. ergo intelligit tantùm opera quæ præcedunt fidem, eaq; excludit tanquam non juuantia. non autem intelligit ea, quæ sequuntur fidem, qualia sunt spes, dilectio &c. quæ â fide quodammodo resultant. quasi dicat; si vos ô Judæi & Gentiles putatis vos mereri gratiam seu justificationem per opera legis, vel moralia, erratis. aliàs frustra mortuus esset Christus, Sed necessaria primò vobis est fides & Christi gratia, cum qua si operemini justitiam consequi poteritis.

Vnde non excludit opera, sed ea tantùm quæ ante fidem, vel sine fide & gratia sunt facta. quem locum sic intelligunt SS. Patres omnes cum Augustino l. de fide & operibus. c. 4. XI.

His ergo explicatur 3. locus ab Aduersariis allatus ad Gal. *2.* v. *16.* & alius ad Ephes. *3.* v. 4. vbi *per meam justitiam quæ* ex lege est, intelligit illam, quæ meis viribus aut meis laboribus parta est, & legalem, quæ ex legis obseruatione acquiritur. hanc rejicit. illam autem admittit, *quæ ex fide Christi est*, hoc est, quæ per fidem Christi gratis acquiritur, & hæc *ex DEo est justitia.* siue â Deo emanans, vt Deus faciat & habeat justos, & coram eo verè justi simus. non autem humana quæ ex lege est, hæc enim nos coram hominibus tantùm politicè facit justos.

Quod

XII. Quod attinet ad secundum locum Rom: 4. v. 5. Respondeo hujus loci sensum esse istum *Ei qui non operatur* opera viribus naturæ suæ facta, nec ex iis quærit aut sperat Justitiam, *si credat in eum qui justificat impium, reputabitur fides ejus ad justitiam.* Quod probat Exemplo Abrahami, qui justificatus est gratis per fidem; non quia bene suo marte operatus est, aut quia suis operibus naturæ viribus factis hanc justitiam meritus est: sed quia credidit DEo, qui suâ gratia justificat impium. Ergo & nunc hæc justificatio peccatoribus obtingit, non ex eorum operibus & meritis, sed gratis ex fide Christi.

Nunquid ergo (dicent Aduersarii) Paulus hic excludit omnia opera? Respondeo illum omnia opera naturæ viribus facta excludere, vt ostendat nos gratis justificari; non autem excludit ea, quæ per gratiam facimus, qualia sunt spes, dilectio &c: nam fides illa quæ fuit in Abrahamo, & per quam fuit justificatus, non fuit vllo modo nuda; sed sperans, diligens, inuocans, obediens, & vestita charitate & obedientiæ operibus, quibus DEum vocantem secutus est, peregrinans tanto tempore, per tot labores in Chanaan, & quibus postea obtulit DEo filium suum Isaac in Holocaustum, vt docet Jacobus. c. 2. v. 23. & Paulus Heb: 11. v. 6. & Moses Gen. 12. v. 1. & sequentibus.

Locus

Locus 4. desumptus ex Paulo ad Ephes: 2. v. 16. habet sensum quem habet illud ad Rom. 3. v 4. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* quibus dictis ostendit Apostolus, nos sine vllo merito justificari, non quia id fit per solam fidem; sed propter duas alias causas. XIII.

1. Quia neq; Judæi neq; Gentiles merentur Justitiam per illa opera, quæ fidem præcedunt, vt diximus supra.

2. Quia omnia quæ ad justificationem conducunt, gratuita dona sunt, non solùm fides, sed etiam spes, charitas &c: Et sicut fides non obstat, quo minus dicamur gratis justificari, sic etiam non obstat spes & charitas. nam tam hæc, quàm illa, donum DEi gratuitum sunt.

Vnde sequitur, quod licet fidei addantur spes, charitas & alii actus, gratiæ tamen infusionem ex mera DEi liberalitate, non autem ex vllis nostris meritis esse.

Ex quibus locis jam explicatis deducitur triplex Generalis regula, seu responsio, ad omnia quæ ex S. Paulo passim ab Aduersariis adferri possuut.

1. Quando dicit Paulus ex fide & gratia, non ex operibus, id est non ex meritis illorum operum hominem saluari; intelligere salutem redemptionis, reconciliationis, regenerationis, justificationis remit- XIV.

 tentis

tentis peccata: quia dicta salus nulli operi nec fidei vt operi tanquam merces ex justitia debita soluitur. nullibi autem dicit Apostolus, hominem non meritis operum saluari, salute vitæ æternæ: quam Christus judex adultis reconciliationi & adoptioni gratuitæ sanctè superuenientibus impertitur, vt dicetur sequenti demonstratione de merito.

XV. 2. Est, quod Paulus nunquam fidem Christi seu gratiam opponat charitati, spei &c: sed legi & naturæ. Hoc est, Christum siue opera facta viribus gratiæ Christi per dictamen fidei, opponit Moysi, siue operibus quæ viribus naturæ, per dictamen legis naturalis seu Mosaicæ patrantur, quæ opponuntur fidei tanquam figura, veritati.

XVI. 3. Quòd Apostolus sub fide, non solam fidem, sed spem, charitatem, omnemq; gratiam â Christo manantem, quasi ramos in sua radice & causa complectatur, vt patet Rom. 12. v. 3. & 14. v. vlt: Et 2. Thess: 1. v. 11. vbi sic ait: *impleat* (DEus) *omnem voluntatem bonitatis & opus fidei in virtute.* Quis igitur non videt hic Apostolum præter fidem etiam opus fidei requirere? ergo rectè dicitur, quòd fides nos justificet, sed non sola, sed sicut dicimus, hæc arbor me aluit, scilicet cum pomis & fructibus suis. Nam fides est quasi arbor, â qua bona opera spei,

pœni;

pœnitentiæ, charitatis, proferuntur: imò hac ratione rectè dici poteſt: ſola fides me justificat: ſicut rectè dicitur, ſola hæc arbor me aluit, quia ſicut arbor fructus ad alendum, ſic fides alia neceſsaria ad juſtitiam tacitè in ſe, tanquam principio, includit.

Atq; ita Aduerſariorum argumentis ex ſcriptura ſumptis, ſatisfactum arbitror. nunc ad alteram eorum rationem gradum faciamus.

2. Aduerſariorum argumentum, deſumptum â particulis excluſiuis *Gratis*, *ſine lege*, *ſine operibus*, *non niſi per fidem*, *tantùm Crede &c:* nihil omnino probant. nam per tres primas nihil aliud intendit Apoſtolus, quàm vt nobis inculcet, nos ex mera gratia & liberalitate DEi juſtificari, excluſis omnibus operibus legalibus, & naturæ juxta ſupra dicta, *non niſi per fidem.* Gal. 2. v. 16. ponitur ibi *niſi* pro ſed. Græcum enim ἐὰν μὴ correſpondet Hebræo. *Ach*, id eſt verùm, veruntamen. ſic etiam latini vſurpant illam voculam *niſi* vt patet ex Cicerone lib: 13. Ep. ita Syrus & paſsim alii, Beza quoq; & Oecumenius. & patet ex antitheſi, vult enim juſtificationem non tribui operibus legis, ſed fidei Chriſti ſecus eſſet ſi ſimpliciter ſine antitheſi poneretur. XVII.

Demus tamen *niſi* ſignificare quod Aduerſarii volunt & vrgent, nihil erit contra

nos: Verum enim eſt, hominem juſtificari tantùm ex fide Chriſti: non ex operibus legis aut naturæ. *tantum* enim ſolum excludit opera legis, non ſpei, charitatis &c: quæ fides gignit & producit, hæc enim ſub fide quaſi ſub matre intelliguntur, vt diximus ſupra. Quod autem dicatur Luc. 6. v. 50. *Crede tantum & ſalua eris.* putentq; Aduerſarii, ſe per hanc particulam *tantùm* de nobis triumphare, grauiſsimè falluntur. Non enim intelligitur locus iſte de remiſsione peccatorum, vt clarum eſt, ſed de excitatione puellæ mortuæ. Neq; fidem Chriſtus exigebat â puella, quam volebat excitare, ſed â Matre pro filia deprecante. Patet ergo per particulas illas, de quibus Brochmannus tantopere gloriatur, nihil penitus probari.

§. 3.

Rejicitur eadem ſententia rationibus

XVIII. NUnc argumenta producamus, quibus ſola fides juſtificans euertatur; quâ in re duo ſunt probanda, 1. Si fides ſola juſtificet non eſſe neceſsariam præſentiam charitatis, ſpei, timoris, aliorumq; operum, præſentiam vt neceſsariam requirunt Aduerſarii. 2. Fiduciam, quam ponunt Aduerſarii, penitus tollendam eſſe.

1. Ex

1. Ex nullo loco scripturæ probari potest, solam fidem, exclusis charitate, spe & aliis actibus justificare (vt patet ex locis supra explicatis) ergo Aduersarii, qui nihil nisi scriptura probare volunt, id frustra asserunt & credunt.

2. Si, vt asserit Brochmannus, vbicunq; est fides justificans, ibi charitatem, aliaq; esse necesse sit, & tamen charitas & cæteri actus ad justitiam non disponant, frustra Christus ejusq; discipuli, & omnes Sancti tot verba fecerunt, de charitate & aliis virtutibus, acquirendis, præcipuè cùm omnes illi actus à fide profluant, debuissent enim ad fidem habendam potius hortari, quam necessariò reliqua omnia consequuntur. sed non possunt dici Christus & Apostoli frustra hac in re verba fecisse; ergo crediderunt, non fidem solam, sed alia etiam omnia ad Justificationem disponere. XIX.

3. Si fides justificans necessariò debeat conjunctam habere charitatem, spem &c: vt justificare possit; non poterit aliquis justus fieri nisi per opera imperfectissima, labe infecta, & peccata; Cùm enim omnia opera hominum etiam optima, infecta sint multiplici labe, & ideo indigna quæ DEo placeant, vt asserit Brochmannus de bonis operibus c. 1. 5. 6. ex Luthero, juxta illud Isa: 64. v. 6. *Facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ justitiæ nostræ,* XX.

manifeſtum eſt ex eorum ſententia, quòd non poſsimus habere fidem viuam ſeu juſtificantem, niſi (eam excitando) peccata committamus, ſeu opera labe plena, & indigna quæ DEo placeant, & per hujusmodi DEum iratum nobis propitiemus, vt nos juſtos faciat. hoc autem ſi abſurdum eſt, vti verè eſt, nullo modo neceſsaria eſſe poſsunt illa opera ad habendam juſtificantem fidem, quomodo enim per peccata juſtitiam quis acquirat? quomodo nigrore res aliqua dealbari, frigore calefieri, aut tenebris illuminari poterit? & conſequenter clauditur effugium Aduerſariis affirmantibus præſentiam charitatis aliorumq; operum eſſe neceſſariam juſtificanti fidei, ad Explicandum D. Paulum, qui fidem per charitatem ait operari. atq; ideo D. Paulum explicare nequeunt.

XXI. 4. Vel DEus ita requirit à Peccatore charitatem, vt ſi illa careat, nolit eum juſtum eſſe; vel ita non requirit, vt etiamſi illa deſtituatur, nihilominus ſit eum juſtum facturus, idq; quia morte Chriſti ejusq; meritis ſibi applicatis peccata ſua deleta eſſe credit. ſi primum: manifeſtè falſum eſt, cum ſolâ illâ fide, quam propugnant Aduerſarii, abſolutè juſtum fieri peccatorem.

Si ſecundum, non eſt quod de vitæ ſanctimonia, virtutibusq; conquirendis vllo modo laboremus.

Sed fortè respondebit aliquis, fidem quidem sine charitate non posse quenquam justum facere, non tamen inde sequi, charitatem etiam ad justitiam operari: quod Exemplo declaratur: sicut si quis sedeat in tenebris non potest fieri legens, nisi lumen adsit, quo posito, oculus fit legens, non autem lumen. sic, vt fides viua sit, & justificet, debet adesse quidem charitas, sine qua fides justificare nequit, non tamen sequitur eam ad justitiam cooperari.

Verùm hoc dici nequit. 1. quia nullum est fundamentum in scripturis tribuendi eam operationem soli fidei, exclusis aliis vt supra dixi.

2 Idem fundamentum scripturæ, ob quod Aduersarii justificationem fidei attribuunt, ex scriptura æquè clarè & dilucidè tribuitur charitati. atq; ideo cùm tam de charitate quàm de fide æqualiter justitiæ operationem affirment S. Literæ, vtraq; vti & aliæ virtutes dicendæ sunt æqualiter ad justitiam disponere. nisi quòd fidei tanquam primæ radici, primæ partes attribuendæ sint. Ad simile quod attinet, nihil probat, cùm lumen ibi positum sit tanquam conditio extrinseca, sine qua non ex parte objecti tantum requisita. rectius ergo hoc simili rem declarabo ex Jacobo desumpto: sicut corpus omnino mortuum est, & nihil operari

potest, nisi adsit anima, qua posita non solùm corpus sed etiam anima ad agendum concurrit. sic fides penitus est mortua, nec aliquem justificare potest, nisi adsit charitas, quâ positâ, non solùm fides, sed etiam charitas justificationem operatur.

§ 4.

Rejicitur Fiducia Lutherana.

XXII. VT fides sit justificans, & sola operetur ad Justitiam, requirit in ea tres actus Brochmannus de fide justif: c. 1. sect: 3.

1. Consistit in *Notitia* hoc est quod fides necessariò requirat verbi, & voluntatis Diuinæ cognitionem.

2. In assensu firmo & indubitato, fallere non posse verbum DEi, sed illud citra omnem exceptionem verissimum esse.

3. In immota cordis fiducia, quam fiduciam, ait esse fidei animam, & in hoc consistere non tantùm, vt peccator statuat generaliter, Deum ita dilexisse mundum, vt filium suum vnigenitum in mortem tradiderit: sed etiam vt in particulari credat, & fidat, certissimò & infallibiliter, Deum sibi in Christo propitium esse, & sibi propter merita Christi peccata actualiter remittere, justitiam imputare, & vitam æternam donare velle.

Et si sunt actus ad fidem justificantem ab Aduersariis tantopere decantatam, adeò necessarii, vt si vnus eorum desit, justificatio nullo modo sequi possit. ita ex eorum principiis sic refutamus.

1. Quia ex hac doctrina sequitur implicantia; ergo per tales actus non potest justificari peccator. Probatur sequela antecedentis.

Actus ille fidei, per quem juxta Aduersarios acquiritur justitia, vel est posterior justitiâ, vel simul cum illa, vel prior illâ: nullum dici potest; ergo nullus potest esse actus solius fidei justificans. Probatur Major 1. Non est posterior, quia implicat causam esse posteriorem effectu suo, justitia autem est effectus justificantis fidei. Non est simul; quia etiam hoc ipsum implicat, nam causa, licet simul tempore possit esse cum effectu, debet tamen illum semper præcedere ordine causalitatis seu naturæ, neq; enim hîc agimus de prioritate temporis sed naturæ. Sed nec potest esse prior (quod tamen necessariò asserere debent Aduersarii) quia si actus ille fidei seu fiduciæ esset prior justificatione & remissione peccatorum, tunc in illo priori naturæ quo crederet, & certo fideret peccator remissa sibi esse peccata, falsum crederet & fideret, quia in illo priori, quo ita credit & fidit, peccata non

nondum sunt remissa, sed in sequenti instanti remittenda; ergo implicat per hujusmodi fidei seu fiduciæ actum justificari peccatorem.

XXIII. 2. Si fides sola, quæ in hoc consistit, vt quis certò sibi persuadeat, credat se justum esse, & per Christi merita sibi remissa peccata, semper & infallibiliter justificet, (vt ajunt Aduersarii) sequitur quòd omnes, quicunq; fidem illam seu fiduciã habuerint, sint justi. Sed tam Caluinistæ quàm Lutherani asserunt se fidem hanc habere; ergo tam Caluinistæ in sententia Lutheranorum, quàm Lutherani in sententia Caluinistarum sunt justi. quare ergo tam Lutherani Caluinistas, quàm contra, habent pro hæreticis? dicent Lutherani. quia Caluinistæ habent innumeros alios errores, ob quos meritò damnantur. Sed contra, quid hoc nocet? nam si proprio judicio Lutheranorum illam fidem, quæ sola justificat, & quam habeant Lutherani, habeant etiam Caluinistæ, licet aliis erroribus & innumeris peccatis scateant, tamen justi fient per illam, aut si non fiunt per illam justi, sola illa non justificat. Si enim innumera grauia peccata non obstent, quo minus per solam fidem à Lutheranis requisitam justi fiant, non videtur etiam obstare, quo minus cum erroribus, per solam fidem, justitiam eandem consequantur.

tur. Ex qua doctrina quantum non sequitur absurdum? videlicet non teneri quenquam necessitate medii credere aliquod esse dogma necessarium ad salutem, nisi hoc quod fides hujusmodi haberi debeat, quantumcunq; enim circa reliqua quis erret, modò credat, absq; aliquo alio, justus erit. Quid ergo Lutherani Caluinistas, & contra se inuicem vt hæreticos execrantur, si cum eadem fide justi fiant?

3. Ille actus, qui tollit Sacramenta, orationem, aliaq; media ad salutem à Christo instituta, non potest justificare; sed actus ille fidei justificantis, quem ponunt Lutherani omnia supra dicta tollit; ergo non potest justificare. XXIV.

Major est certa, minor probatur, quia illo instanti, quod talem perfectum actum fidei consequitur, peccator credit plenè sibi esse remissa peccata, vel non credit. si non credit remissa; ergo non habuit requisitam fidem, & consequenter neq; justitiam. si verò credit remissa, & porrò juxta illum sunt omnino remissa, Deum tanquam peccator orare non poterit. nam quâ fronte *dicere audebit. Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?* quomodo cum Publicano clamabit: *DEus propitius esto mihi peccatori*, cùm certò credat & sciat, se nullum amplius habere peccatum?

catum? Cur confeſsionem auricularem Lutherani vſurpant? Cur â falſo ſacerdote annuntiari ſibi petunt remiſsionem peccatorum, cum certò ſciant per actum fidei jam ante ſibi remiſsa eſſe peccata? res exemplo declaratur: Lutheranus heri commiſso adulterio, hodie per actum fidei & requiſitæ fiduciæ merita Chriſti apprehendat, & graue illud peccatum ſibi credat infallibiliter remiſsum. quâ neceſsitate vel fronte Deum rogare poterit, adulterium ſibi dimitti? nunquid merito audiet: ſtolide ſi firmam fidem atq; fiduciam habuiſti, quid petis remitti, quod jam ante tibi remiſsum eſt? ſi eam non habuiſti, quid petis remitti, quod ſine illa nullo modo poteſt remitti.

XXV. Deinde ſi Lutherani poſt elicitum talem fidei actum, adhuc Deum orarent ſibi remitti peccata, infidelitatis actum committerent: quod ſic probo; tam certo credere debent Lutherani per hujusmodi fidem ſe juſtos fieri; quàm credere debent Chriſtum natum, pro nobis paſsum & mortuum, cùm aſſerant vtrumq; æquè ex ſcripturis probari. Sed qui oraret, vt Chriſtus tandem naſceretur, moreretur &c: committeret actum infidelitatis, quia judicaret necdum natum vel mortuum Chriſtum, quod fidei repugnat; ergo etiam qui Deum oraret dimitti ſibi peccata, ſimiliter infide-

lis

lis haberi deberet, quia judicaret peccata nondum esse dimissa, quod Lutheranorum doctrinæ repugnat.

3. In nullo loco scripturæ, quam pro fide justificante Lutherani adducunt (vt videre est supra parag: 2.) vlla mentio fit illius vltimi actus, quem tanquam animam in fide justificante Brochmannus supra citatus requirit, vt singula consideranti clarissimè patet. Cùm ergo in nullo tali loco habeatur, illam solam fidem justificantem esse, per quem credit peccator merita Christi sibi applicata, imò potius actus ille vbiq; excludatur, & tantùm mentio fiat primi & secundi actus á Brochmanno positi, clarissimum est hæc omnia â Lutheranis esse merè conficta. Neq; enim vllum locum ostendere possunt, vbi fides justificans sumatur pro illa speciali fide, quâ quis sibi persuadet, se â peccatis justificatum esse; Non potest ergo fides justificans in eo actu consistere.



DE

DE MERITO BONORUM OPERUM DEMONSTRATIO 12.

Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia Justum asserit bonis Operibus nihil mereri; quibus dignam Mercedem â summo Judice reddendam esse vera primitiua & Apostolica Ecclesia semper credidit.

CAPUT I.

Sensus primitiuæ Ecclesiæ proponitur.

I. Uis Ecclesiæ primitiuæ fuerit Sensus clarissimè ex eorum S.S. Patrum Sententiis patet, qui Scriptorum Monumentis in ipsâ primitiuâ Ecclesiâ celebres, tam suam quàm totius Ecclesiæ Mentem Posteris testatam reliquerunt ac inprimis.

Anno 80. *Clemens Romanus* Epist: 4. *Bonis Operibus hæres efficitur ejus â quo in corruptione regeneratus est.*

Anno 100. *Ignatius ad* Mariam Cassaboliten: *Hortor ut labori tuo incrementa adiicias. Præsent*

namq;

namq; Dolor modicus, multa autem quæ hinc exspectatur merces.

Hermas l. 4. ſimilit: 5. *Si præter ea quæ mandauit Dominus aliquid Boni adjeceris majorem tibi dignitatem conquires apud Deum.* *Anno 130.*

Justinus Martyr Orat: ad Antonin: Pium: *Nos immortales duntaxat eos fieri scimus, qui sanctè per Virtutem ad Imitationem Dei viuunt: torqueri autem Igne æterno eos qui injustè absq; resipiscentiâ ætatem transigunt, credemus.* *Anno 150.*

Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat: *Deus omnibus omnia distribuit pro meritis, cùm justa sit dispensatio & œconomia.* Et in Parænetico: *Ne pigeat vos laborasse, licet vobis si velitis pretiosissimam Salutem emere proprio Thesauro, Charitate & Fide Vitæ.* *Anno 200.*

Tertullianus l. 2. contra Marcion: c. 6. *Positum hominem sub judicio Dei, oportebit, justum illud efficere de Arbitrii sui meritis, liberi scilicet. Cæterum nec boni nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inuentus non voluntate.* *Anno 200.*

Et in Scorpiaco c. 6. *Quomodo multæ mansiones apud Patrem si non pro varietate meritorum?*

Hippolytus Orat: de conſummat: Mundi: *Omnes, inquit, Dominus pro dignitate remunerabor, omnibus pro cujusq; labore mercedem præstabo, omnibus pro suo certamine Præmia rependam.* *Anno 220.*

Origenes

Anno 240. *Origenes Tract*: 32. in Matth: *Qui profitentur quidem Fidem in Jesu: non autem præparant se bonis Operibus ad Salutem, aßimulantur decem Virginibus fatuis.*

Anno 250. *Cyprianus de* Vnit: Ecclesiæ. *Justitiæ opus est, vt promereri quis poßit Deum Judicem, Præceptis ejus & Monitis obtemperandum est, vt accipiant merita nostra mercedem.*

Anno 260. *Zeno Veronensis* Inuitat: 5. ad Fontem. *Quantum quis crediderit & operatus fuerit, tantum Beatitudinis habebit.*

Anno. 270. *Victorinus Pitaboriensis* in Verba Apocal: *Non enim inuenio Opera tua &c: Non enim satis est Arborem Misericordiæ, & Fructum non habere: sicut nec satis est Christianum dici & Christum in opere non habere.*

Anno 370. *Lactantius in Epist*: Diuinarum Institut: c. 17. *Incorruptibiles sibi Thesauros bonis Operibus acquirat, vt poßit Deo judice pro Virtutis suæ meritis, vel Coronam Fidei vel Præmium Immortalitatis adipisci.*

Anno 320. *Eusebius Cæsariensis* Ecclesiast: hist. l. 1. c. 4.

Anno 340. *Antonius Eremita* Epist: 1.

Anno 350. *Hilarius in Matthæum* can: 5. 6. 7. 28. & alibi sæpè.

Anno 370. *Ambrosius l. 1. de Officiis* c. 15. *Nonne euidens est meritorum aut præmia aut supplicia post mortem remanere.*

Anno 370. *Basilius Magnus* homil: 12. in Princip: Proverb: *Omnes Angelicam Vitam ambulantes*

lantes Mercatores sumus, per Opera mandatorum nobis Possessionem cælestium negotiantes. & *alibi* sæpissimè.

Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi. 1. *Si parum laboraueris parum accipies: si multum operaberis multa te merces manet.* *Anno 370.*

Gregorius Nanzianzenus Orat: 28. & 40. *Anno 380.*

Gregor: Nyssenus hom: 8. in Ecclesiast: & alibi.

Hieronymus l. 2. contra Jouinianum c. 1. & 15. & aliis innumeris in locis clarè & disertè. *Anno 390.*

Johan: Chrysosthomus homil: 5. in Gen: & homil: 25. & aliis plurimis in locis sæpissimè id affirmat. *Anno 400.*

Augustinus id ipsum inculcat assiduè lib: de Fide & Operibus c. 14. & aliis penè innumerabilibus in locis. *Anno 400.*

II. Quibus addi possunt omnes illi Patres, quos superiore demonstratione de Fide justificante produximus. Vt innumeros alios sequentium Sæculorum omittam, qui nihil magis intenderunt, quàm vt ostenderent Opera justorum bona mercedem aliquam justissimè mereri & necessaria esse ad Salutem. Ex quibus manifestè patet Doctrinam Lutheranam cum Doctrinâ veteris Ecclesiæ primitiuæ nullomodo conuenire. Atq; ideo cùm Ecclesia vera non potuerit in tam grauibus Fidei Articulis in quibus totus Cardo salutis nostræ vertitur, errare; necessariò sequitur Ecclesiā

Lutheranam, cujq Doctrina Veteri ex oppo-sito aduersatur, erroneam & falsam esse.

CAPVT II.

Exponuntur Catholicorum & Aduersariorum Sententiæ.

DIfficultatem illam inter nos & Aduersarios maximè controuersam vt ordinatè pertractemus, primò Sententia Catholicorum, & ejus Fundamentum exponendum est. Deinde, quid sentiant Aduersarii producemus. ac tandem eorum objectiones refutabimus.

§ I.

Doctrina Catholicorum explicatur & confirmatur.

SUppono hominem justificatum Deo esse gratum, amicum, & ab omni contagione mundum ac liberum; quod nobiscum fateri debent Aduersarii.

III. Hoc posito affirmamus Hominem tali modo justum & in Statu Gratiæ & Amicitiæ Diuinæ existentem, cum gratiâ facere quædam Opera, quæ intercedente diuinâ acceptatione, & promisione Vitam æternam dignè mereantur, ea facientibus vt mercedem, & Coronam intuitu bonorum Operum impertiendam.

Quæ Doctrina tam claris Scripturæ Testimoniis probatur, vt eidem obsistere non nisi pertinaciæ censeri posit.

Nam

Nam 1. Christus Matth. 5. v. 12. Mercedem justorum in cœlis copiosam asserit futuram; & eam quidem pro labore nostro dandam tanquam in Vineâ sudantibus Denarium. Matth. 20. v. 8. Si ergo merces justè pro labore detur; labori inesse meritum censendum est. Nec valet Exceptio Aduersariorum; Vitam æternam quidem intuitu bonorum Operum dari; non tamen ex merito vel dignitate Operum: sed ex merâ solaq; Dei liberalitate. Inde enim sequeretur quantumcunq; imperfecta Opera æqualem gloriæ mercedem habitura, cum aliis quamvis perfectissimis. Nam cùm promissio de omnibus sit æqualis, deberet pro omnibus esse eadem Merces, jam autem cùm sit inæqualis merces, non habebit illam tantùm â liberalitate Dei: sed etiam â majore vel minori condignitate operis, quod in se perfectius vel imperfectius est, juxta illud Psal. 61. v. 13. *Tu reddes vnicuiq; juxta opera sua.* 1. Cor 3 v. 8. *Vnusquisq; propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* Apoc. 22 v. 11. *Merces mea mecum est reddere vnicuiq; secundum Opera sua.* Matth. 16. v. 27. *Filius hominis reddet vnicuiq; secundum Opera ejus* & alibi sæpè. Ex quibus conficitur, quòd cùm merces secundùm proportionem Operum reddatur; Operibus hoc etiam inesse, vt mercedem vel majorem vel minorem ac-

 cipiant.

cipiant. Et penitus insulsum est; quod replicat Brochmannus; videlicet: aliud esse judicare secundùm Opera; aliud dare Vitam æternam propter Opera: quia particula *secundùm* non proportionem sed qualitatem significat: interim tamen fatetur in Vitâ æternâ Præmia pro laborum disparitate disparia futura. Quâ in re sibi contradicit: Nam si præmia futura sint disparia secundùm laboris disparitatem, clarum est per Particulam *secundùm* significari non tantùm qualitatem operum, sed etiam primariò proportionem. Cùm ergo judicaturus sit DEus proportionem operum & juxta illa, Præmia daturus; necessariò sequitur, hanc disparitatem Præmiorum non soli liberalitati, sed ex promissione disparitati operum adscribendam esse.

IV. 2. Et vt clarissima Res foret, caussam ob quam tribuitur æterna Vita, Christus operibus adscribit Matth: 25. v. 34. *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum: esuriui enim & dedistis mihi manducare &c: item v. 21. quia super pauca fuisti fidelis supra multa te constituam.* Et Apoc: 7. v. 14. *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, ideo sunt ante Thronum Dei.* In quibus tres illæ particulæ caussales: *Enim, quia, ideo* manifestè significant labores to-

leratos;

leratos; seu Bona Opera, causas esse acquisitæ Retributionis.

Imò non solùm opera Præmii æterni causam esse: sed his etiam Vitam æternam â Deo ex justitiâ donandam, Scripturæ clarissimè testantur; 2. Thessal: 10. v. 6. *Justum est apud Deum retribuere vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum.* 1 Timoth: 4. *Reposita est mihi Corona justitiæ.* Hebr: 6. v. 10. *Non est injustus DEus vt obliuiscatur operis vestri.* Addo his promisisse Deum justis Vitam æternam tanquam currentibus *Brauium.* 1. Corinth: 9. v. 24. tanquam certantibus *Coronam* ipso jure debitam. Jacob. 1. v. 12. Apoc. 12. v. 11. imò tanquam *mutuum* Prouerb. 19. v. 17. tanquam *depositum* 2. Timoth. 1. v. 12. Hæc autem non reddere juxta promissionem est injuriam inferre: tenetur ergo ex justitiâ DEus Operibus reddere mercedem. Quæ omnia Scripturæ clarissima Testimonia conatur eludere Brochmannus affirmando nullam hac in Re inter justum & Deum intercedere posse justitiam. De quâ quid sentiendum sit §. sequenti explicabimus. V.

4. Christus innumeris in locis sic promisit Vitam æternam, vt hæc promissio ab operib9 dependeat, & ei qui opera adimpleuerit jus promissã mercedẽ exigendi competat, juxta

illud Matth. 19 v. 17. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata* & v. 29. *Omnis qui reliquerit Domum vel Fratres aut Sorores &c. propter nomen meum centuplum accipiet & vitam æternam poßidebit.* 1. Timoth. 4. *Pietas ad omnia vtilis, habens promißionem hujus & futuræ vitæ.*

VII. 5. Testantur apertè Scripturæ plurimæ Opera Justorum compensatione vitæ æternæ digna esse. Sap: 3. v. 5. *DEus tentauit eos & inuenit eos dignos se.* 2. Thessal. 1. v. 5. *Vt digni habeamini Regno Dei pro quo & patimini.* Item Lucæ 20. v. 25. Apoc. 3. v. 4. Cùm ergo dignitas in justis inueniri debeat, non potest esse alia quàm Operum. Opera verò si dignitatem in se habeant, necessariò debent & habere meritum.

Quæ omnia licet meridianâ luce clariora conatur Brochmannus simplice sed inconsideratâ negatione refutare. Concedit quidem promisisse Deum Vitam æternam piè viventibus. Fatetur etiam mercedem promisisse bonis operibus & promissis suis stare velle; adeò vt justus de Coronâ Vitæ certus esse possit: negat tamen Deum Operibus, æternæ vitæ promisisse mercedem ideo, quia ipsa opera tantæ sunt dignitatis & perfectionis, vt Vitam æternam mereri apta sint. Quod probat vnico S. Pauli dicto: ad Roman. 6. v. 23. *Gratia Dei vita æterna in Christo.*

Verum

Verùm nemo non cœcus aut pertinacissimus hanc objectionem palpabit esse penitùs inanem. Nam si Vita æterna datur intuitu bonorum operum, seu propter bona Opera (vt supra demonstravimus & ipse fatetur) certè datur ex merito bonorum Operum: Synonima enim sunt; nec video quibus verbis hæc dignitas Operum clariùs explicari possit. Deinde si datur iis, qui digni sunt, & solùm digni sunt propter bona opera: certè datur illis ex merito & dignitate bonorum Operum. Accedit quòd non solùm detur illis vt *merces:* sed etiam vt *Corona Justitiæ;* at Corona Justitiæ non datur ex merâ liberalitate vel indulgentiâ, alioquin non Justitiæ, sed esset Corona liberalitatis. Ad illud dictum Pauli quod attinet, spectat hoc ad Judæos & Gentiles, contra quos scripta fuit hæc Epistola, quia nimium Operibus Legis & Naturæ præfidebant, inculcanda illis erat Necessitas Gratiæ Christi (vt fusè explicuimus in demonstratione de Fide justificante) dicit ergo Apostolus, *Vitam æternam esse Gratiam seu ex Gratiâ Dei*, quia merita, quibus redditur vita æterna, manant ex gratiâ quasi semine & radice, gratiâ inquam indignis collatâ, vnde & ipsa vocari possunt & re ipsâ sunt gratia. Ideo S. Augustinus primam Gratiam vocat Gratiam, Vitam autem æternam Gratiam vocat pro

VIII.

Gratiâ. *Et DEus cùm coronat nostra Merita, quid aliud coronat, quàm sua dona?* ait ex S. Augustino Cælestinus Papa ad Episcopos Galliæ c. 12. & Concil: Trident: Sess: 6. c. 16.

Ex dictis ergo constat inuictam & certissimam esse Ecclesiæ Catholicæ Doctrinam, Opera justorum esse vitæ æternæ meritoria, innumeris S. Scripturæ & omnium Patrum Testimoniis comprobatam.

§. 2.

Doctrina Lutheranorum explicatur & rejicitur.

IX. FAtentur quidem Aduersarii Scripturæ Testimoniis conuicti Vitam æternam bonorum Operum mercedem esse & intuitu eorum dari juxta supra dicta.

Negant tamen eam reddi ex merito & dignitate ipsorum operum: sed ex merâ & solâ Dei promissione, liberalitate & indulgentiâ, atq; adeò bona Opera nullum habere meritum, rationem assignant: quia ad rationem meriti tria requirunt; quæ hic non inueniuntur.

1. Vt aliquid propriè dicatur meritum, necesse est vt opus hoc quo aliquid

meremur

meremur, totum noſtrum ſit, non alienum. Sed opera juſtorum non ſunt tota noſtra, cùm ſint ex merâ gratiâ. Ergo non poteſt ex iis eſſe meritum.

Ad quod reſpondeo; ſolum per hoc probari, juſtos ſepoſitâ acceptatione & promiſsione Dei, nihil ex juſtitiâ mereri poſſe, non autem quod vtroq; ſuppoſito, non poſsint exhibere aliquid æquale, per quod jus acquirant ad nouum Præmium, ſeu mercedem â Deo accipiendam. Sicut in humanis licet Seruus, ſeu Mancipium, totum ſit ſui Domini, vt & res ejus omnes; ſi tamen Dominus cum Seruo paciſcatur, vt hic de ſuo labore certam duntaxat Pecuniæ ſummam Domino lucretur, reliquam verò quamuis ex ipſis rebus Domini, ſibi acquirat; tunc non ſolùm Dominus ex juſtitiâ propriè dictâ eam partem Seruo relinquere tenetur: ſed & mancipium pecuniâ ſibi acquiſitâ non minùs cum Domino, quàm cum aliis, verum Juſtitiæ Contractum inire, ſeq; ipſum redimere tandem â Seruitute poteſt. Ita quoq; licet propter Opera noſtra etiam juſtiſsima nulla nobis â Deo Merces debeatur, quia omnia noſtra ipſius ſunt, ex eo tamen quòd illa DEus acceptet & mercedem illis repromiſerit; tenetur DEus hanc operi-

bus

bus mercedem reddere. Atq; ita cùm Merces propter Dei promiſsionem debita ſit meritis; non gratis datur, vt Apoſtolus teſtatur Rom. 4. v. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Ergo merces illa datur operanti ex juſtitiâ propter operum merita, quorum dignitatem & proportionem juſtitia intueri debet, quia aliàs juſtitia non eſſet. Vnde quando dicunt Aduerſarii in Opere bono, quod cum gratiâ Dei facimus, nihil eſſe noſtrum, quod non ſit Dei, dicendum eſt è contra: in bono opere, quod eodem juuante facimus, etiam nihil eſſe Dei quod non ſit noſtrum; adeò vt totum opus bonum faciat Deus; & totum liberè operans faciat homo, juxta quod ei ſolutio debetur. Licet enim Dei ſint, ſunt tamen etiam noſtra, quia liberè ea facimus, & Deus nos eorum Dominos fecit. Si ergo ad Dei Gloriam & cultum ea facimus & referimus, quoddam bonum (ſcilicet cultum) Deo damus; quem ipſe acceptat, & pro quo, ipſe viciſsim nobis mercedem promittit, & ſoluit.

X. 2. Requiri ajunt, ad Meritum vt Opus, quod præſtatur ſit indebitum, ſeu tale vt id facientes, præſtemus plus quàm debeamus, non facientes non peccemus, juxta illud Luc. 17. v. 10. *Cum feceritis omnia quæ præ-*

cepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Ergo faciendo solùm ea quæ præcepta sunt, nullum possunt ea opera habere meritum.

Respondeo quod attinet ad locum scripturæ Luc. 17. eum clarè infra explicabimus. Cæterum quamuis Deo innumeris Titulis obligati & toti ejus simus, vtpote sanguinis & Vitæ pretio ejus empti, ideoq; per ejus gratiam, ceu pecuniam tantùm possimus operari; de facto tamen, cùm liberrimus sit, nobiscum spontaneam conuentionem iniit, & se ipsum obligauit, vt operibus nostris suâ gratiâ perfectis debitam mercedem redderet, vnde opera ejus gratiâ quodammodò formata, & animata; digna facta sunt, vt juxta promissionem Dei mercedem debitam accipiant: quâ in re humanum procedendi modum imitatus est. Nam dum per Operarios Opus aliquod curamus 1. de pretio conuenitur, & pro certitudine datur arrha. Ita Deus cum Fidelibus de pretio conuenit. *Ego ero merces tua magna nimis.* Gen. 15. v. 1. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Matth. 19. v. 17. Arrham dedit: *Signati estis Spiritu Promissionis sancto, qui est Pignus hæreditatis.* Eph. 1. v. 13. 2. Confectum opus conspicitur & examinatur; ita Deus vniuscujusq; opus quale sit, per ignem diuini judicii probabit; vt cujus opus

manserit, mercedem accipiat, 1. Corinth. 3. v. 13. 3. Deniq; si dignum sit opus, merces juxta conuentionem redditur: ita DEus juxta Johannis 2. v. 8. *Videte vosmet ipsos, ne perdatis quæ operati estis: sed vt mercedem plenam accipiatis.* Viso deniq; opere digno, mercedem plenam tribuit: *Ecce, inquit, venio citò & merces mea mecum est, reddere vnicuiq; secundùm Opera sua.* Apoc. 22. v. 12. quod alibi innumeris in locis repetit. Ex quâ probatione ex Scripturis solidè deductâ manifestè patet, Deum vi promissionis suæ, non ex liberalitate, operibus nostris mercedem ex justitiâ debere: quamvis hanc promissionem ex liberalitate fecerit; adeò vt liberalitatis fuerit promittere, & de pretio nobiscum conuenire; ad quod nullo modo tenebatur; justitiæ autem sit promissa soluere, ad quæ se obligauit; dum pro operibus, quæ compererit esse digna pretium se daturum ipsemet promisit. Dat ergo pretium non tantùm quia promisit, sed quia opera in se digna inuenit, ratione quorum promissionem suam soluere & explere possit & debeat.

XI. Replicat Brochmannus: Si opera adeò sunt perfecta, vt ob perfectionem & dignitatem suam vitæ æternæ retributionem mereantur, quid opus est ista liberali Dei Promissione & gratuitâ conuentione? quod enim datur ex liberali promissione & con-

tentione, repugnat cum eo quod datur ob operum dignitatem & perfectionem juxta illud Apostoli Rom: 11. v. 6. *Si autem gratia jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia.*

Respondeo 1. Apostolum hic agere de operibus, viribus, naturæ factis, per quæ nihil promeremur; non autem intelligit de iis quæ per gratiam fiunt, ad rem ergo respondeo 2. Operibus justorum cum gratiâ Dei factis licet in se sint dignissima & præmio & mercede, tamen Deum non obligatum esse ex justitiâ, vllam reddere mercedem; atq; ideo præcisè ratione illorum, nos non habere jus vllum petendi â Deo solutionem; quia *gratiâ Dei sumus id, quod sumus*, & omnia Dei sunt. Sicut mancipium aliquod, quod cum pecuniis Domini propriâ industriâ negotiatur, & plurimum lucratur; licet illud opus ejus dignum sit mercede & præmio, nihil tamen Dominus tenetur ei dare: quia omnia sunt Domini à quo pro hac industriá nihil ei est promisum. Si autem aliquid promisisset Dominus, id illi ex justitiâ dare teneretur, vt dictum est supra num: 9. non tantùm quia promisit, sed quia talis fuit industria in se quæ compensationẽ mereatur; quæ si non fuisset talis; nihil potuisset exigere, quantumvis factâ promissione, Ita nobiscum agit Deus, licet Opera

nostra

nostra per Dei Gratiam, ex libero arbitrio nostro facta, dignissima sint compensatione; nihil teneretur tamen illis Deus reddere, si nihil promisisset; quia autem promisit, tenetur; atq; ita nullo modo repugnat, aliquid dari propter promissionem, & aliquid dari propter dignitatem operis; quod vrgebat Brochmannus, cùm propter vtrumq; simul dari debeat.

XII. 3. Requirunt Aduersarii ad Meritum, vt inter opus & ejus præmium justa proportio sit & æqualitas. Atqui inter opera justorum, & vitam æternam nulla proportio est; juxta illud Apostoli Roman. 8. v. 18 *Non sunt condignæ passiones hujus Temporis ad futuram Gloriam. Ergo non potest, operibus inesse meritum. Ad quod*

Respondeo fatendo 1. verissimum esse opera nostra siue maxima, siue durissima, & longissima sint, ita considerata nullam habere proportionem cum Vitâ æternâ juxta Apostolum, adeò vt ita neq; Christi Passio vllo modo condigna sit Gloriâ suâ. Fateor 2. neq; opera nostra prout â nobis manant, esse digna tanto Præmio, quia diuina Gratia penitus nituntur. quibus concessis, nihilominus tamen dico & Respondeo 1. posse aliquod opus dupliciter esse *condignum præmio*. 1. Vt ejus valor sit absolutè tantus, quantus præmii; qualis condignitas, & æqualitas

qualitas reperitur in iis quæ ſtrictæ & rigoroſæ juſtitiæ, ſeu commutatiuæ, ſeu vindicatiuæ ſubjacent, in his enim pretium non debet excedere valorem Rei v. g. emptæ; nec pœna, peccatum. & tali modo fatemur etiam, meritum non eſſe condignum præmio. 2. juxta aliquam tantùm proportionem, quam ipſum habet cum præmio in hiſce Circumſtantiis, quâ ratione longè poteſt valorem operum excedere: vt ſi princeps in aliquâ ludicrâ concertatione proponat ingens præmium Victori: Opus victoris debet eſſe condignum præmio, etſi aliàs ſecundùm ſe, longè minoris ſit valoris. Et ita fit cum vitâ æternâ, quæ præmium eſt maximum nobis in hac vitâ concertantibus â Deo propoſitum. Et quia hæc opera ſunt 1. cum gratia quæ eſt ſemen gloriæ; fit vt, ſicut ſemen ſatis proportionatum eſt ad Arborem, ita etiam ſufficiens proportio ſit gratiæ ad Gloriam, juxta Apoſt. 2. Corinth. 4. v. 17. *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Si operatur, vt certè aſſerit Apoſtolus, non operatur phyſicè, ſed meritoriè, ergo ſufficiens eſt proportio ad merendum, & quia 2. opera juſtorum ſunt opera naturalia Filiorum Dei & Cohæredum, imò membrorum Chriſti, & Filios aliud Præmium non deceat quàm hære-

ditas Paterna; fit, vt justi ad hæreditatem Dei, sufficientem proportionem habeant. Et quia Filius non ejicitur è paternâ domo, sed manet quàm diu viuit: fit etiam, cùm Anima justi viuat in æternum, vt debeatur ei hæreditas totâ æternitate durans.

Ex quibus deduco & respondeo 2. negando absolutè minorem superioris syllogismi ab Aduersariis propositi, videlicet inter opera justorum & vitam æternam nullam proportionem esse. quia non tantùm est proportio, sed etiam est operum nostrorum ex dignificatione gratiæ habitualis cum præmio condignitas, adeò vt etiamsi DEus non voluisset illud dare, tamen ea præmium promererentur. non tamen inde sequitur, quòd sepositâ promissione simpliciter Deus præmium teneatur dare; quia hac in re fere se habet sicut mercator, qui non tenetur acceptare pretium æquale pro suis mercibus, si nolit eas vendere. supposito autem quòd jam contractum fecerit, & se pretium acceptaturum promiserit; tenetur eas tradere. Ita Deus, quamuis opera nostra cùm gratiâ habituali dignissima sint vt vitam æternam pro illis tribuat; non teneretur tamen eam dare, nisi hæc opera pro tantâ mercede acceptasset, & eam se daturum promisisset. vnde patet, quanta sit inter præmium, & opera â gratia dignificata, non solùm proportio, sed etiam condignitas.

Ad quæ luce meridianâ clariora nihil habet, quod replicet Brochmannus, nisi Christum jubere, vt Sancti, etiam vbi omnia, quæ ipsis mandata sunt, laboriosè fecerunt, fateantur se Seruos inutiles esse. Luc. 17. v. 10. Esse autem Seruum inutilem, & Seruum esse qui vitam æternam mereatur, opposita censeri. Quo Argumento cùm mirè glorietur, breuiter illo loco explicato, demonstrandum est quantopere fallatur. XIII.

Respondeo ergo 1. Sensum Christi in hoc loco Lucæ esse istum; nos Servos inutiles esse, etiamsi omnia præcepta exequamur; quia nisi Deus liberali pacto nobiscum conuenire voluisset, nullum jus ad exigendam mercedem haberemus ex justitiâ; quia quantumuis opera nostra forent bona, non teneretur ea DEus compensare; non quòd opera non essent in se digna compensatione, sed quia cùm ea omnia Deo debeantur, non obligaretur ad ea compensanda, nisi se compensaturum promisisset. Et eum verum esse sensum declarat hic ipse Christus exemplo Serui, qui omnia Seruitia suá debet Domino; videlicet si nullum aliud cum Domino Pactũ iniit, secus si iniisset, juxta ea, quæ supra diximus num: 9. Ita S. Augustinus serm: 3. de Verbo Domini. Alius Verborum horum sensus esse potest, quẽ adducit Ambrosius l. 8. in Lucam.

Seruos nos inutiles esse quatenus naturæ viribus operamur absq; Dei Gratiâ; quia licet sic faciamus omnia quæ præcepta sunt, nihil tamen promeremur. Secus si per Gratiam Dei laboremus & Christo renascamur. Tunc enim Serui sumus vtiles juxta illud Apostoli 2. Timoth. 2. v. 22. *Si quis emundauerit sese ab istis, erit Vas in honorem sanctificatum & vtile Domino.* Cùm ergo tam in hoc loco quàm multis aliis Scripturæ, justi vocentur Serui vtiles, & Spiritus Sanctus per Scripturam contradicere sibi nequeat, necessariò dicendum est, sensum Christi apud Lucam supra-citatum, eum esse, quem ante diximus. Et cùm ipsi Aduersarii asserant, justis sine vllo labore deberi vitam æternam, tanquam legitimis hæredibus hæreditatem, manifestum est in eorum Confessione, justos esse Seruos vtiles, neq; enim Filius, quàm diu se benè gerit Seruus inutilis ad hæreditatem capessendam dici potest. Patet igitur quàm vanè de hoc loco Brochmannus glorietur. Hæc itaq; dicta sufficiant de primâ ratione ob quam aduersarii nullum Operibus meritum inesse docent, quod satis jam probauimus adesse.

XIII. 2. Ratio ob quam Opera justorum Vitæ æternæ meritoria esse negant, ista est: Quia Corona Vitæ æternæ quæ datur sanctis non Operum meritis, sed diuinæ Misericor-

ricordiæ in solidum adscribitur, ita vt clarè vocetur *Gratia Dei, vita æterna* Rom: 6. v. 23. & Psal. 103. *Qui coronat te in misericordia & miserationibus*, ergo nihil operibus adscribendum est. Quæ objectio licet ex præcedentibus & maximè quæ diximus num: 10. facillimè refutari possit, & refutata sit.

Respondeo tamen 1. Si Loca ista strictè velint vrgere Aduersarii, pariter evincemus, neq; baptismum, neq; Fidem quam tantopere vrgent, vllo modo ad justicationem & Salutem esse necessaria, imò nec vtilia. Nam si omnia ex merâ misericordiâ concedantur â Deo, & quæ taliter conceduntur, meritum nullum habeant, etiam nullam vtilitatem, ista omnia habere possunt.

Respondeo 2. Locum illum Psal. 102. *Qui coronat Te in misericordia* &c: aliosq; plures, nullam vim habere si rectè explicentur. Nam sicut hîc vocatur *Corona misericordiæ*, ita alibi apellatur *Corona justitiæ*. Et cùm Scripturæ sibi contradicere nequeant, conciliandum est vtrumq;. Quando ergo Vitam æternam vocat Apostolus *Justitiæ Coronam*; clare asserit eam ex meritis & propter merita conferri, ordine Justitiæ seruato, & vnicuiq; pro quantitate meritorum, majorem, aut minorem portionem tribui. Hinc S. Agustinus: *Non est injustus*, inquit,

inquit, *DEus qui justos fraudet mercede suâ.* Cùm autem ipsa merita quibus *Corona Justitiæ* debetur, ex Dei Gratiâ Vim suam habeant, & ea gratia ex Misericordia Dei tribuatur, fit vt hæc Corona etiam *Corona Misericordiæ* vocetur, non quidem respectu ipsorum meritorum (illis enim debetur ex Justitiâ) sed respectu operantium, quibus ipsa quoq; merita ex misericorde & liberali promissione sunt concessa. Exemplo rem declaro: Princeps aliquis certamen ludicrum instituit, & præmia maxima promittit optimè se in hoc gerentibus, quæ etiam certamine finito Victoribus largitur. Hæc Præmia dicuntur Præmia liberalitatis Principis, quia princeps ea liberaliter promisit & distribuit. Eadem etiam dicuntur Præmia laboris victorum; quia Victores per labores suos ea sunt promeriti; ita vt Princeps supposita promissione suâ fuerit obligatus, ea Victoribus largiri. Simili modo se habet Corona Misericordiæ & Justitiæ. Quæ res cùm clara sit non est quod ei immoremur.

XV. Ex quibus patet etiam solutio Pauli Roman: 6. v. 23. *Stipendia Peccati Mors, Gratia autem Dei vita æterna*, eo enim sensu vocat hîc Apostolus *Gratiam* Vitam æternam, quo supra diximus vocari *Coronam misericordiæ*; ex eo videlicet, quod

ex meri-

ex meritis per gratiam & misericordiam acquisitis, tribuatur. Quod autem vrgent Aduersarii Apostolum ideo non dixisse, *Stipendium bonorum Operum Vita æterna*, sicut ante dixerat *Stipendium peccati mors*, vt ostenderet non eodem modo reddi Mortem quo redditur Vita, hanc scilicet ex merâ gratiâ: illam ex merito malorum operum; nihil omnino probat. Nam cùm rectè dicere potuisset: *Stipendium Justitiæ Vita æterna*, vt asserit S. Augustinus, voluit tamen dicere; *Gratia est Vita æterna*, idq; duplici de causa 1. Quia scribebat Gentilibus & Judæis, quibus (quia nimium de suis operibus præsumebant) gratiam magis oportebat inculcare. 2. Quia non eodem modo Vita æterna stipendium est justitiæ; quo Mors est Stipendium Peccati. Peccato enim non gratis, sed quasi Stipendium omnino debitum redditur mors, & damnatio. Justitiæ verò meritis non ita redditur Vita æterna; sed tantùm quatenus ex Gratiâ ceu Semine & Radice manant, eaq; penitus suffulciuntur. Est igitur Vita æterna tam Stipendium justitiæ, quàm Mors Peccati: sed paulò diuersâ ratione; videlicet, quòd Mors sit Stipendium Peccati sine Gratiâ. Vita æterna verò sit Stipendium justitiæ ex gratiâ & promissione

De utroq; enim eodem modo sequitur Apostolus Rom. 2. v. 6. *Reddet vnicuiq; secundùm Opera sua: iis quidem qui secundùm patientiam boni operis, Gloriam & Honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam; iis autem qui sunt ex contentione & qui non acquiescunt Veritati ira & indignatio*, quibus verbis simili modo Vitam æternam futuram scribit Stipendium Justitiæ, quo mors erat Stipendium Peccati. Solutis ergo Aduersariorum Argumentis manet Catholicæ Ecclesiæ de meritis bonorum operum Doctrina contra omnes Hæreseωs oppugnationes inuicta.

CAPVT III.

Bonorum Operum ad Salutem Necessitas probatur.

STabilito Operum bonorum merito sequitur vt & eorum necessitas ad salutem demonstretur; ad quod ostendendum est breuissimè, quid Aduersarii & quid nos sentiamus.

XVI. Dicunt Aduersarii Teste Brochmanno de bonis operibus cap. 1. sect. 3. Bona opera esse quidem necessaria necessitate mandati, Cultûs, & Obsequii Deo debiti, bonæ & tranquillæ Conscientiæ, & officii Charitatis proximo præstandi; tamen illam propositionem *bona Opera ad Salutem sunt necessaria*

cessaria periculosam esse, & omnino falsam, 1. quia est, Assertio Pseudo-Apostolorum qui præter fidem exigebant opera tanquam necessaria ad Salutem Act. 15. v. 1. 2. 3. 4. 2. quia hæc propositio manifestè pugnat cum Scripturâ Rom. 4 v. 6. *Dauid dicit beatitudinem Hominis, cui DEus accepto fert justitiam sine operibus.* Et Eph. 2. v. 8. 9. *Gratiâ enim estis saluati per Fidem; & hoc non ex vobis, DEi enim Donum est, ne quis glorietur.* 3. Deniq; si esset verum, sine operibus neminem saluari posse, vera Euangelii Consolatio eriperetur his, qui in fine vitæ pœnitudine ducuntur, & ad Deum conuertuntur, illis enim interuentu subitaneæ mortis eripitur commoditas bonorum operum, quod probatur Exemplo Latronis Luc. 23. v. 43.

Sed Sententia ista, juxta ipsamet Principia Aduersariorum non tantùm est omnino futilis: sed planè contradictoria, quod sic demonstro. 1. Asserit Brochmannus pluri- XVII.
mis in locis impossibile esse homini etiam justo & diuinâ Gratiâ adjuto seruare Legem, quod si ita sit, quomodo bona opera erunt necessaria, necessitate mandati, quod mandatum impossibile est seruatu? Stultum profectò est, asserere necessitatem ejus rei, quæ omnino est impossibilis; ac si Deus diceret, cupio vt ad Cælum omnes veni-

ant, at volo vt omnes eo volent alis, nunquid omnes volare tenerentur? imò stolidum illud mandatum esse nemo non assereret, Deumq; non intendere saluare homines sed damnare. Quomodo ergo opera necessaria sunt necessitate mandati, si sit impossibile mandatum hoc seruare?

2. Asserit Brochmannus cæteriq; Lutherani, omnia opera justorum, etiam quæ optima censentur esse imperfectissima, instar panni menstruati labe & maculis infecta. Quod si ita est, vt esse ipsi asserunt, quomodo per hujusmodi tantis sordibus inquinata opera Cultus & Obsequium præstari Deo, Conscientia tranquillari, vel proximo Charitas exhiberi poterit? Deinde quomodo juxta sua Principia dicere ipsi possunt, supradictis modis opera bona esse necessaria, cùm juxta eos nulla omnino bona opera esse, vel saltem prodesse possint? Quomodo ergo si bona opera præstari nequeant, ea necessaria erunt modis supradictis? Apparet igitur Fucum eos tantùm facere, quia videlicet, cùm in Scripturis clarè operum necessitas asseratur, â quibus illi maximè sunt alieni, aliquas necessitates prætendunt, vt videantur Scripturis satisfacere.

XVIII. Scripturæ verò & Ratio, quam adducunt, vt ostendant opera non esse absolutè ad Salutem necessaria, nihil omnino habent

bent ponderis si rectè explicentur. Na n. 1. quod ait Paulus Rom: 4. v. 6. conferri justitiam absq; operibus, intelligendum est, justitiam dari non ex Virtute aut merito propriorum operum, sed ex merâ gratiâ, vt sæpè explicuimus, tam in istâ, quàm antecedenti demonstratione, quo modo etiam explicandum est illud. Eph. 2. v. 8. & 9. Quoad Locum Actorum 15. v. 1. 2. 3. omnino nihil ad rem nostram facit, quia ibi clarè agitur de Circumcisione aliisq; Operibus Mosaicis, quæ nihil amplius prodesse Apostoli definierunt.

Doctrina ergo vera & Catholica est, illis omnibus qui reconciliationi gratuitò factæ, superuiuunt; bona Opera absolutè necessaria esse ad Salutem. cùm enim illi teneantur obseruare Legem, hoc est, benè operari, ac gratiam & Salutem reconciliationis perBaptismum autPotestatem Sacerdotalem acquisitam non amittere; fit, vt cum Diabolo, Carne & Mundo aliisq; hostibus certare debeant; qui conflictus cùm sit difficilis, ideoq; Christus dixerit Matth: 11. v. 12. *Regnum Cælorũ vim patitur & violenti rapiunt illud*, fit, cùm tanta vis inferatur justis, vt Vita æterna illis certantibus tanquam Brauium & Corona â Deo consignetur. Neq; tamẽ ideo negamus aliquos sine lege seruatâ, & sine bono Opere aliquo saluari, qui in fine credentes

& dolentis per Baptiſmum vel Poteſtatem illam Joh. 20. expreſsam (*quorum remiſeritis Peccata* &c:) Chriſto verè reconciliati ſtatim extinguuntur; ſiue illi ſint Infantes, ſiue etiam adulti pio Latroni ſimiles Luc. *23.* v. 43. Quia Salus illis non vt Brauium ſeu Corona: ſed tantùm vt Gratia ſeu Hæreditas obtingit.

XIX. Et hanc veram & certiſsimam Doctrinam eſſe probant omnia antiquorum Patrum & totius veræ Eccleſiæ primitiuæ errare neſciæ clariſsima Teſtimonia cap. 1. in hunc Finem â nobis adducta. Probant 2. infinita Scripturæ Loca clariſsima è quibus hæc pauca ſufficiet adferre.

1. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeßio fit ad Salutem.* Rom: 10. v. 10 Vbi Apoſtolus non ſolùm Fidem, ſed etiam Profeſsionem Fidei, (quæ vtiq; heroicum eſt fortitudinis & pietatis opus) *ad Salutem* abſolutè neceſsariam clariſsimè affirmat. quod telum vt euitet Brochmannus, Textum non intorquet tantùm, ſed penitus immutat. Ait enim 1. Ex Hunnio, non debere legi: *Confeßio fit ad Salutem:* ſed *Confeßio fit Salutis.* 2. Ait, ex Illyricano quodam, fieri *Confeßionem ad Salutem* non quidem conſtituendam aut promerendam: ſed

ad eam publicè coram hominibus declarandam quasi diceret: *de Salute* Verum vtrumq; penitus ineptè. Nam Antithesis Apostoli in vtroq; exigit paritatem. Sicut enim *Corde creditur non de Justitiâ, sed ad justitiam: sic ore confessio fit, non de Salute, vel Salutis: sed ad Salutem.* Et præterea versionem Aduersariorum, Apostolo repugnare, clarè patet ex voce *enim* quæ præcedentium dat causam, cum nempè dixerit: *Si confitearis in ore tuo JEsum Dominum & in Corde tuo credideris saluus fies*, cujus sui dicti Apostolus mox causam reddens subdit: *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad Salutem*, inde rectè sequitur: *Si corde credideris & ore confitearis saluus eris*, patet ergo tam in antecedente quàm in consequente non solùm Fidei sed ejusdem etiam professioni tribui, ipsamq; æquè ac Fidem saluare, & necessariam esse.

2. *Si non dimiseritis hominibus nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Matth. 6. v. 14.

3 *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Matth. 19. v 17. 18.

4. *Rectè respondisti, hoc fac & viues.* Luc. 10. v. 25 Legem dilectionis inculcabat Christus jurisperito.

Si hæc

Si hæc ſcitis beati eritis ſi feceritis ea. Joh. 13. v. 17.

Cum metu & tremore veſtram Salutem cooperamini. Phil. 2. v. 12.

Vos amici meï eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Joh. 15. v. 14.

Si enim ſecundùm Carnem vixeritis moriemini, ſi autem ſecundùm Spiritum facta Carnis mortificaveritis, viuetis. Rom: 8. v. 13.

Si ſuſtinebimus & conregnabimus, ſi negauerimus & ille negabit nos. 2. Timoth. 2. v. 11. & aliis innumeris in Locis. Quæ opera non tantùm neceſsitate mandati, præſentiæ, charitatis erga proximum &c: ſed etiam propter intrinſecam eorum efficaciam & operationem eſſe neceſſaria, conſtabit ex iis, quæ ſuperiore demonſtratione diximus. Cùm enim ibidem probauerimus opera coefficere Salutem; & hîc oſtenderimus, opera neceſſaria eſſe ad Salutem, manifeſtè ſequitur opera neceſſariò debere intrinſecè cooperari ad Salutem. Omitto alia Spiritus Sancti Elogia, quibus adſtruitur bonorum Operum neceſſitas, & docetur ſolam Fidem non ſufficere. Id ipſum clarè probant: *Non omnis qui*

dicit

dicit mihi Domine Domine intrabit in Regnum Cælorum: sed qui facit Voluntatem Patris mei qui in Cælis est, ipse intrabit in Regnum Cælorum Matth: 7. v. 21. *Quid proderit Fratres mei, si Fidem quis dicat se habere, Opera autem non habeat? nunquid poterit Fides saluare eum?* Jacob. 2. v. 14. Nunquid ergo necessariò opera cooperari debent ad Salutem.

CAPUT IV.

Soluitur Objectio communis Aduersariorum De Meritis & Satisfactione Christi.

SOlent Aduersarii Catholicos Operibus suis bonis meritum attribuentes graui calumniá onerare, quasi affirmarent Christum non pro omnibus peccatis nostris esse passum neq; plenè satisfecisse; aut certè injuriam illi facere, salutem suis operibus tribuendo, quam ipse Christus plenè & abundè nobis per mortem ac passionem suam est promeritus. Vnde contra nos sic argumentantur: Vel Christus abundè per mortem suam pro nobis satisfecit vel non. Si non; manifestè Scripturis omnibus Catholici aduersantur, quæ innumeris in Locis hanc plenariam Christi Satisfacti- XX.

onem

onem diserte attestantur. Si satisfecerit; malè & omninò frustrà Catholici affirmant Opera nostra bona absolutè necessaria esse ad Salutem.

XXI. Ad quam grauissimam, vt ipsi asserunt, Instantiam dupliciter respondeo. Ac 1. Argumentum sic retorqueo: Si Christus pro omnibus & singulis hominibus, pro quibusuis etiam peccatis, plenè & abundè satisfecerit, & omnimodam Salutem sit promeritus, vt certum est: cur ergo non omnes Homines Turcæ, Judæi, Hæretici, Gentiles salui fiunt? Respondent ipsi: Licet pro omnibus abundè satisfactum sit & omnibus Christus promeruerit Salutem, non tamen inde sequi omnes saluari oportere. Necesse enim est, vt per media â Deo ordinata Passionis ac Meritorum Christi voluntariè participes se faciant. Medium autem illud est, *sola Fides*, per quam omnia sibi Merita Christi applicare, & Passionem ac Mortem ejus, vtilem sibi facere necesse est. Per solam e-nim Fidem, Christi meritorum ac Remissionis Peccatorum omnium, participes efficimur.

XXII. Si ita est: sic inferre possem: Ergo non omnem ac plenariam Salutem operata nobis sunt sola Christi Merita, aut certè si operata sint; ergo Fides illa non est necessaria. Sed

vlte-

vlteriùs sic vrgeo: Si ergo solis Christi Meritis Fide apprehensis, & sibi applicatis, Salutem omnem suam seriò attribuunt, eamq; sic abundè sufficere ad Salutem credunt; vt quid ergo necessarius est baptismus? certè si per Christi merita fide nobis applicata, omnia omnino peccata nobis remittantur, nihil supererit, quod per Baptismum remitti possit, & consequenter Baptismus nullo modo erit necessarius. Et è contra, si per Baptismum in Paruulis Originale; in adultis omnia etiam alia *Peccata* remittantur, (vt est certum) manifestè sequitur solam Fidem Christi Merita sibi applicantem ad Salutem non sufficere: neq; Christum ita Salutem nobis operatum esse, vt non sint etiam alia ad illam necessaria ex nostrâ parte media. Præterea cur nunc Brochmannus, aliiq; Lutherani, vt supra dictum est, in homine justo bona Opera requirunt, sine quibus eum tanquam Arborem inutilem exscindendum & in ignem mittendum esse asserunt? Si Christi Merita per Fidem & Baptismum applicata sufficiant in adultis, ad Salutem, cur tamen sine operibus exscindentur & in ignem æternum mittentur? hic fateantur necesse est, vel Deum neq; syncerè neq; justè nobiscum agere; vel certè se falsissima docere.

XXIII. Verùm ne dicant Aduersarii per istos eorum errores effugium quærere nos velle,

quo minus

quo minus respondeamus objectioni anteà propositæ videlicet; cur, si credamus Christum abundè satisfecisse pro nobis, in super adhuc dicamus ex nostra parte Orationes, sacrificia Missæ, jejunia, eleemosynas aliaq; bona Opera ad Salutem esse necessaria. Quid Catholici sentiant & quam hujus doctrinæ rationem assignent breuiter & clarè explicandum est.

Respondeo ergo 2. & coram vniuersô Mundo *protestor ac profiteor* veram & constantem Ecclesiæ Catholicæ, omniumq; Catholicorum Doctrinam ex Scripturis & Apostolis hucusq; sine interruptione deductam & nobis traditam hanc semper fuisse & etiam num esse; Christum solum Redemptorem nostrum & nullum alium, Operibus suis, Passione & amarissimâ morte plenè, perfectè, & abundè satisfecisse pro peccato originali, & actuali, omniq; alio possibili patrato aut patrando; pro omnibus etiam hominibus, natis aut nascituris; adeò, vt hæc satisfactio non solùm pro his omnibus sufficiens, sed etiam abundans & longissimè excedens sit, adeoq; ipsum solum, & non nos homines salutem nostram operatos esse, vel operari posse. Quod ergo per opera nostra bona affirmamus, remissionem peccatorum nos etiam certò impetrare posse, & de facto impetrare; non

non inde fit, nec ita, quasi de facto & modo tantum eam ipsimet nos, & non Christus ante promeruerit, (ipse enim, vt sæpè dictum est, illam dudum ante in Ligno Crucis impetrauit & promeruit) sed quòd nunc primò illa Christi Merita, diramq; Passionem per Opera bona tanquam media ad hoc à Deo ordinata nobis applicemus, ejusq; mortis nos participes faciamus. Atq; ita si quis vult saluus fieri, necesse est, vt veram Fidem habeat, non quod per veram illam Fidem denouo Peccatorum remissionem, & salutem æternam impetret, ac mereatur, (hanc enim Christus jam dudum antea nobis est promeritus,) sed quòd ejus remissionis à Christo dudum impetratæ nos participes efficiamus. Christus quoq; pro Peccato originali abundè satisfecit: tamen vt ejus satisfactionis participes efficiamur, necessarius est Baptismus, non vt aliquid novi per Baptismum nobis impetremus aut mereamur, quod Christus ante non impetrauit aut est meritus: sed quia per Baptismum Christi mortem & impetratam in Cruce Remissionem applicare nobis debeamus. Christus quidem pro peccatis omnibus etiam post Baptismum perpetratis luculenter satisfecit: nihilo tamen minùs, si ab iis quæ post Baptismum sunt commissa, nos velimus expurgatos; pœnitentia est necessaria,

per quam demum Christi meritorum participes efficimur. Illustro rem exemplo: In Foro Vratislauiensi luculentus Fons scaturiat, qui tam copiosam aquam omnibus qui in Ciuitate sunt, præbere posit, vt eam necesse non sit emere, aut alium Fontem effodere. Vt tamen Ciuis quispiam eâ gaudeat, debet adhibere media, quibus eam seu per vascula, seu per Canalem in domum suam ad quotidianos vsus inferat. Fons ille, merita sunt Christi; Vascula vel Canales Fides, Baptismus, & Pœnitentia. & quemadmodum per ista, meritorum Christi efficimur participes, non promerendo nouum aliquid quod antea Christus promeritus non sit: Eâdem omninò ratione, per alia bona opera, Eleemosynam, Orationem, Missæ Sacrificium, Patientiam aliaq; plurima etiam Remissionem peccatorum impetramus, non noui quidpiam quod Christus antea promeritus non sit, impetrando, sed ejus merita per hæc opera nobis saltem applicando, ad eorum remissionem peccatorum, quibus remittendis, media hæc seu opera proportionata & ordinata fuerint. Et hoc quidem modo Christum abundè pro nobis satisfecisse dicimus, satisfactionem autem illam per opera nostra nobis applicari, affirmamus. Manet ergo & æternum manebit verum.

1. Non solùm Christi Satisfactionem ad Sa-

ad Salutem esse necessariam: sed præterea etiam nostra Opera requiri per Dei Gratiam facta, vt ea nobis applicetur.

2. Nullam per hanc Doctrinam Christo fieri injuriam, imò potiùs honorem exhiberi, quòd per opera gratiâ ipsius facta, sicut ipsemet mandauit, ita merita ipsius & satisfactionem nobis applicemus. Merita enim nostra seu Operum nostrorum, cùm omnem suam dignitatem â meritis Christi habeant; fit, vt in laudem & honorem Christi ea omnia redundent. Ipse enim vitis est, nos palmites. Joh. 15. v. 4. Quis ergo dicat aliquid de gloriâ Vitis detrahi, si palmites ipsius multum fructum adferant? imò verò quo fertiliores sunt palmites, eò magis vitis est laudanda â quâ totum succum & fertilitatem habent. Quicquid ergo laudis est in meritis nostris, hoc totum Christo est adscribendum, eoq; magis est laudandus, quippe qui palmites sumus Christo tanquam Viti fertilissimæ inserti.



CONCLUSIO ad Lectores Wratislauienses



*Tate super Vias & videte & interrogate de Semitis antiquis, quæ sit
Jerem. 6.v. 16. Via bona, & ambulate in eâ, & inuenietis Requiem Animabus vestris.* Sic ad vos, amici Lectores, quicunq; vestrarum Salutem Animarum adamatis, inclamat per Jeremiam Prophetam Veritas æterna DEi. Cur ergo abjectâ Fide & Religione Majorum vestrorum â Christo & Apostolis traditâ nouos Ritûs & noua dogmata recipitis?
1. Timoth. 3 Vna est *Columna & Firmamentum Veritatis* Ecclesia Catholica, & ne in dubium vocari posset, quænam illa sit, Idæam ejus dedimus quæ primis Apostolorum & immediatè succedentium Seculis Sanctorum floruit, quam cùm veram & infallibilem Ecclesiam fuisse, non inuiti affirmetis, fateamini quoq; est necesse, si ab eâ vel latum quidem Vnguem recedatis, â verâ vos Ecclesiâ recedere, & nullo modo Vestigiis Majorum inhærere. Nunc autem cum per 12. Demonstrationes perspicuè ostenderim, quantum â Sententiâ & Doctrinâ veteris Ecclesiæ distetis, clarum est vos â Majorum Vestigiis & verâ Ecclesiâ deflectere. Nam cùm vna
Ephes. 4. tantùm possit esse Veritas, *vna fides, vnum Baptisma, vnus DEus & Dominus omnium,*

conse-

consequens est Religionem vestram Lutheranam, & omnes alias Confessiones Fidei, præter vnam Catholicam & Apostolicam esse falsas, & auctore maligno introductas. Nulli ergo Salutem æternam consequi possibile est, qui fidem hanc vnicam non habuerit, quantumuis laudabilem Vitam duxerit, Virtutibus omnibus moralibus ornatus.

Nec vos in errorem ducat (per Salutem vestram vos Animarum rogo) quòd adhuc aliqua nimirum primaria Fidei Capita vos credere, & ideo cum Ecclesiâ Apostolicâ consentire vos putetis, existimantes sufficere ad Salutem, si in Christum credatis & ipsum pro peccatis nostris mortuum; quamuis multa alia v. g. quæ ad Sacramenta, ad Sacrificium Ecclesiæ, & similes Christianæ Fidei Articulos spectant, non credatis.

Deplorandus enim Error iste est, qui nimis credulas vestras Mentes ad interitum deducit.

1. Quia sic omnes pœne Hæreticorum Sectæ, quas vos ipsi maximè damnatis, saluarentur. Christum enim omnes credunt (alioquin non essent Christiani, nec Hæretici sed Apostatæ) eumq; pro peccatis mortuum fatentur. Baptismum pleræq; retinent, & reliquos ferè omnes Fidei Articu-

los, quos ipsi vos pro capitalibus habetis, credunt. Salui itaq; essent Montanistæ, Nouatiani, Donatistæ, Sabelliani, Arriani, Macedoniani, Aëriani, Eutychiani, Monothelitæ & similes Fidei Christianæ, Pestes, non minùs â verâ Ecclesiâ, quam â Luthero ejusq; sequacibus damnatæ, quos nullo modo saluari posse luculenter Apostolus declarat; dum *hæreticum Hominem, post unam vel alteram correptionem vitari jubet.*

Tit. 2. Quia vobis vox Apostoli Jacobi nota est: *Quicunq; totam Legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Cujus Rei Ratio est manifesta, quia Legislatorem ipsum, qui totam Legem tulit aspernatur & contemnit. Ita qui vnum Fidei Articulum pertinaciter repudiat, licet reliqua retineat, totius Religionis reus fit, totamq; fidem perdit. Prima enim supremaq; Fidei, Veritas est, eadem quæ omnia Fidei Capita reuelauit & per Eccle-

1. Timoth. 3 siam Sponsam suam (*quæ est Columna & Firmamentum Veritatis*) nobis proposuit credenda: qui ergo obstinatè vel vnum Articulum rejecerit, Ecclesiæ Testimonio volens acquiescere, eo ipso primæ supremæq; Veritatis, quæ per Ecclesiam ceu per Interpretem Præconemq; suum loquitur, Auctoritatem rejicere censetur ac proinde totam

totam diuinam Fidem, quæ necessaria est ad Salutem rejicit & amittit.

3. Quia licet Capita quædam Fidei primaria, vt ante diximus, credatis: certum tamen est, ea vos non credere diuina Fide, quæ soli diuinæ Auctoritati modo nobis infallibili innititur. Nam aliàs omnia eodem modo proposita, crederetis: sed humanâ tantùm fide creditis, quia videlicet priuato vestro judicio, ita credendum esse judicatis. Certissimum enim est, sicut vera justitia se extendit ad omnia mandata; ita vera Fides, ad omnia, quæ diuinitus reuelata sunt & tradita, extendere se debet; adeò vt illa omnia vel expressè credamus, vel parati simus credere, quæ congruo modo, vel immediatè per Christum aut Apostolos, vel per veram Christi Ecclesiam credenda nobis fuerint proposita.

At verò *Ecclesiam judicem esse Controuersiarum Fidei; Verbum DEi traditum non minus, quàm scriptum obseruandum esse; Panem & Vinum consecratum in Corpus & Sanguinem Christi transsubstantiari; & transsubstantiata extra Vsum etiam permanere; sub vnâ Specie communicare licitum fuisse, & etiamnum esse; extra veram Ecclesiam Catholicam Romanam, non esse veros Sacerdotes; inuocari posse Sanctos; dari Purgatorium; solam Fidem non justificare, & Bona Opera justo-*

justorum meritum habere, congruo modo per Christum & Apostolos tradita & accepta, Ecclesia primitiua vera & Apostolica semper credidit, & huc usq; per continuam Successionem semper credita, nobis etiam proposuit credenda, vt in Superioribus Demonstrationibus clarissimè ostendimus. Ergo sequitur euidenter, non minus ad ista omnia, quàm ad ea, quæ vos præcipua Capita Religionis appellatis; Fidem vestram se extendere oportere, atq; adeò vos omnia supra dicta, prout in Ecclesiâ Catholicâ Romanâ creduntur, & traduntur, pro veris Fidei Articulis credere debere.

Interrogate ergo de Semitis antiquis, quæ sit Via bona, & videte quorum operâ, pietate & industriâ, hæc tam præclara tam augusta Templa, quæ Ciuitatem hanc pulcherrimam exornant ædificata; tot in iis Aræ tot Imagines locatæ; tot sacræ Vestes, quibus nunc Pseudo-Sacerdotes vestri tanquam Exuuiis alienis exornantur, sint curatæ. Et 1. vos inspectis his interrogo: Majores illi vestri, qui hæc omnia curârunt, eandemne vobiscum Fidem habuerunt an diuersam? eandem certè non potuerunt habuisse, cùm Fidei vestræ quam nunc habetis ante Lutherum, hoc est ante

centum

centum & triginta Annos, fuerit incognita. Ergo si fuerit diuersa; rursum quæro; cùm vna tantùm vera posſit esse Fides, ecquam judicatis esse veram, Majorum ne vestrorum án modernam vestram? Si Majorum Vestrorum; vestram condemnatis, & vos in Erroribus ac Tenebris versari, atq; adeò neq; saluos posse fieri profitemini. Sin contra vestram affirmetis veram; & veterem, quam tot Seculis Majores vestri coluerunt, & fuso Sanguine sæpe sunt testati, vt falsam condemnatis; perspicuum est per mille ducentos ac plures Annos veram Christi Ecclesiam concidisse, euersum fuisse Christi Regnum; euacuatas promisſiones de Ecclesiâ firmatas; aduersus eam præualuisse Portas inferorum; tot sæculis Euangelium frustra prædicatum, frustra creditum, frustra tot Gentes â Paganismo conuersas, frustra Baptismum & alia Sacramenta administrata, frustra suscepta jejunia & Carnis macerationes; frustra obita tot Martyria & tot millium Sanguinem pro Christi confesſione fusum. Ergo perierunt tot S.S. Patres, tot Martyrum, tot Confesſorum Myriades, tot DEO devotæ Animæ, Sanctitate, Miraculis, Prophetiæ *Spiritu* illustres, omnes denique Majores

vestri, à quibus vos descenditis, quorum Sanguis & Viscera vos estis, æternis flammis æternum cruciandæ, traditæ, & damnatæ sunt. Omnes enim illi essentialiter diuersam à vobis fidem ac Religionem habuerunt, vt per duodecim Demonstrationes declarauimus. Nam vt Exemplo vno rem demonstrem, innumeris aliis omissis: Fides necessaria ad justificationem, juxta Doctrinam vestram, est illa, quâ Homo firmiter credit se esse justum coram Deo, propter Christi Satisfactionem, quæ ipsi per hanc fidem apprehensa applicetur & imputetur. Quæ Fides cùm ante Lutherum fuerit, ignota, ipso etiam Luthero confitente & gloriante, quòd veram justificationis Rationem Veteribus ignotam mundo patefecerit, nec ejus ulli Veteres Mentionem faciant; imò specialem illam Fidem, qua quis certo se credit esse justum, omnes vt meram præsumptiontm damnent. Licet enim sit credendum, ex parte sua pro nobis Christum plenissimè fecisse satis, nobis tamen non constare potest, vtrum omnia ea fecerimus, quæ ex parte nostrâ requiruntur, vt hujus Satisfactionis participes efficiamur. Certũ est & evidens Majores vestros hac fide caruisse, & consequenter justificari nunquam potuisse. necesse ergo

est,

est, damnatos illos omnes æternum esse flammis æternis cruciandos. Bone DEus quàm hoc incredibile, & blasphemum! quam Orbis vniuersi & Sæculorum Judicio contrarium!

Frustrà respondebitis eos omnes excusatos per ignorantiam fuisse: frustra, inquam; nam sine fide vera, sine Christi justitiâ, sine Redemptionis Christi Participatione &c: nemo saluus esse potest: nec vllâ ignorantiâ efficitur, vt absq; illis quispiam Salutem consequatur. Hæc autem cùm in solâ Religione vestrâ credi affirmatis, nunquam verò sic credita in veteri Ecclesia â vestris Majoribus fuisse; nullum erit hic Effugium, quin impia Religionem vestram continere dogmata, aut certè Majores vestros omnes nunquam saluari potuisse, sed æternùm damnatos esse fateamini, & credatis. Hoc si falsum est, & horrendum cogitatu, qui fieri potest, vt Religionem vestram, ex qua tam atrocia clarè deducuntur, non aduertatis esse falsam, aut saltem de ea non dubitetis? Si dubitatis; cur non operam Veritati cognoscendæ datis, ex quâ tota vestra Salus est suspensa? quod vt faciatis rectiùs, iterum admoneo, & vos humiliter obtestor.

Inter-

Interrogate de Semitis antiquis, quæ sit Via bona? & videte an Ecclesia primitiua, eamq; secuti Majores vestri in hac Vrbe Sanctos in Cælis gloriosos non invocauerint, eorumq; Imagines non coluerint? Non meæ tantum Demonstrationes hoc ostendent, sed & ipsa Templa omnia in hac Urbe Deo in Sanctorum honorem dedicata; Imagines innumeræ, quibus adhuc omnes in Templis exornantur Aræ; & Inscriptiones, quibus Antiquitas ad Cælitum Venerationem parietes depinxit, euidenter hoc loquentur, & Majorum vestrorum in Sanctos Venerationem demonstrabunt. Quid? ideone Idololatras fuisse judicabitis? Si ita, cur eos condemnatis quos totus Orbis Christianus, si aliàs piè sancteq; vixerint, pronuntiat saluatos esse? Si non faciatis eos Idololatriæ reos, cur eam culpam nobis nunc impingitis, qui hac in re Vestigiis Majorum inhæremus? & ita (si placet) per singulas meas Demonstrationes ambulare Mente ne grauemini, inuenietis vos ab antiquis Viis, hoc est â Verbo Dei tradito, ab Apostolis, & omnibus Ecclesiæ primitiuæ ac Apostolicæ Membris; â totâ deniq; Ecclesiâ verâ deflexisse; in horum Vestigiis hactenus non ambulâsse, *& ideo non inuenire Requiem Animabus vestris.*

Depo-

Deponite ergo per Salutem vestram, vos obtestor, deponite anticipatas opiniones quasdam, quibus vt plurimum tenemini, de Idololatriâ, Superstitionibus & Abusibus Ecclesiæ Catholicæ, & hac in re falli vos posse cogitate. An enim non videtur incredibile doctissimos Sanctissimosque Viros, quales plurimos, imò innumeros Ecclesia semper habuit, hanc Idololatriam, si quæ sit, vel non vidisse, vel visam non solùm non abjecisse, sed sedulò retinuisse, & coluisse? Mahumetanorum & Monomachorum hæc calumnia est; nec fuit vnquam Hæreticorum Secta, (etiam in Ecclesiâ primitiuâ, quam non errasse vos ipsi affirmatis) quæ infestis Animis ab Ecclesiâ verâ non dissederit, & graues ei Errores non imposuerit. Hoc enim prætextu vti debent, vt jure ab Ecclesiâ recessisse videantur. Deniq; si Salutem vestram adamatis, Lumen â Deo assiduò flagitate, vt videre & cognoscere possitis, quæ vera sit Religio Fidesq;; & sepositâ omni passione conceptoq; præjudicio paratos vos exhibete ad eam amplectendam. Fidem enim Donum Dei esse non ignoratis, & Vocem Domini esse scitis: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus eum traxerit*, adeò vt nemo sine Patris æterni Illustratione per veram Fidem ad Christum peruenire possit; hunc Joan. 6.

Tractum

Tractum ac Illuminationem impetrare prę-
cibus aſsiduis ſatagite, & ex intimis me-
dullis animi, cum Prophetâ exclamate!
*Emitte Lucem tuam & Veritatem tuam, illa
me deducant & adducant in Montem ſanctum
tuum & in Tabernacula tua. Notam fac mi-
hi Viam in quâ ambulem, quia ad te leuaui
Joan. 6. Animam meam. Eripe me de Inimicis Salu-
tis meæ, Domine ad te confugi, doce me fa-
cere Voluntatem tuam, quia DEus meus es
tu.* Addite alia, quæ Salutis deſiderium
& feruor diuini Spiritûs dictabit. Orati-
oni Eleemoſynas aſsociate, vt illud audire
Pſal. 12. mereamini, quod olim pius ille Centurio
Cornelius: *N. N. Orationes tuæ & Eleemo-
Pſal. 42. ſynæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu
Dei, & nunc mitte Viros in Joppen, & ac-
Pſal. 142. cerſi Simonem quendam, qui cognominatur
Petrus, hic tibi dicet, quid te oporteat fa-
cere.* Hoc voueo, animitùs, hoc precor,
hoc te (ô Veritas æterna!) votis omnibus
ſuppliciisq; precum obſecro, quæ lux vera,
Lux æterna es, tenebras Errorum diſcute,
â pectoribus mortalium, quos ſanguine
tuo redemiſti. Non pereat tam pretioſum
opus tuum, quod tanto tibi ſtetit, quod
laudes tibi referet æternas agnitâ Veritate.
Reduc Oues quondam tuas ad Ouile tuum,
vt in eo ſalutari Doctrinæ tuæ, & mirabili-

mu Sa-

um Sacramentorum pabulo refectæ, Plagis antiquis Diaboli sanentur, & vegetentur ad æternam Vitam, in qua nobiscum, post momentum hujus Vitæ, gloriæ tuæ participes effectæ te laudent & glorificent in sempiternum, Amen.





Index rerum memorabilium in hac prima parte contentarum.

Canoni-

C.

D.

Eucha-

Inuin-

Et

Sacri-





INSTYTUT
OSSOLINSKIEGO.

DEMONSTRATIONES CATHOLICÆ

Quibus
Ostenditur
Lutheranam Ecclesiam
non esse veram Apostolicam Ecclesiam:
quia in Essentialibus Fidei Articulis
â vera Primitiva Ecclesia
dissentit.

AVCTORE
R. P. IVLIO CÆSARE
COTVRIO SOC: JESV WRATISLAVIÆ THEOLOG: MORAL: ET CONTROVERS: PROFESSORE.

PARS ALTERA.



2. Thess: 2. ℣. 15.
State & tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.

NISSÆ
Typis IOHANNIS SCHVBART,
Anno 1642.

INDEX

Demonstrationum, quæ in hac altera Parte continentur.

XI.



DEDI-



Reverend^{mo}: ac Perilluſtri Domino Domino

PETRO GEBAVER,

â Dűrgay, SS. Theologiæ Doctori, Cathedralis Eccleſiæ S. Ioannis, Wratislaviæ Archidiacono. Prælato, Canonico, Seniori, Adminiſtratori, Protonotario Apoſtolico &c.

DOMINO COLENDISSIMO.

GRATITUDINEM QUONdam alatam finxere Poëtæ, Reverendiſſime Prælate, vt ad refundendas Mecænatibus gratias, pernicibus alis volandum oſtenderent; & nullas interijci moras debere, quin ſtatim ſe debiti nexu mens ingenua liberare nitatur. Nihil enim ingenuum animum magis commendat, quam cum, & beneficium acceptum agnoſcit, & gratas beneficio vices, referre laborat. Verùm quod non nunquam

nunquam evenire videmus, vt se librare conantem ad summa fastigia mentem, pedibus alligata pauperies, ad ima, veluti pondere, deprimat; Ita mihi quoq; nunc contigit, qvem debitas gratias Tibi referre volentem; partim tenuitas propria; partim occasio mihi semper noverca cohibuit, & nequidqvam satagentem erumpere, invitum, qvasi saxo, depreßit. Donec tandem fœtus hic parvus lucem aspicere gestiens, mihi se commodùm obtulit, qui ad Tuas manus volaret, peteretq; supplicibus votis, vt tali eum dexterâ & mente suscipias, quali beneficium Auctori suo conferre dignatus es. Et licet is modò status sit temporum, vt tenuis iste Libellus circumstrepentium hostium lingvis & calamis vndiq; laceßitus, patrocinio Tuo, potius egere censendus sit, quam vt referendis gratiis munus esse poßit accommodum; nihilominus divini numinis memor, qvod sæpè preces mortalium, &, in gratitudinis vices acceptat, & easdem etiam patrocinio suo propugnat; non hæsit ambiguus, quin tanquam gratitudinis munus, Patrono suo se sisteret; & tanquam Patrocinij indigus, ab eodem Tutelam reposceret. Qvod igitur à Te potißimum defendi voluerit; hoc meriti Tui est; qvod autem à me Tibi offerri debu-

debuerit , obligationis est meæ. Quantum enim Virtutis, Eruditionis,, Prudentiæ, ac Liberalitatis Tuæ, de Religione, de Templis, de Aris, de Musis, de Patria, totaq; Provincia, deq; bonis omnibus meritum sit ; non est quod exiguâ pagellâ complecti laborem ; testatur id universa Silesia, & idem ad posteros annalium monumenta producent : Scimus namq; ingentem animum Tuum, cum jam vix excessisset ephebos, his angustis natalis soli limitibus non potuisse constringi ; sed externas atq; longinquas circumspexisse Provincias, ut Artium bonarum commercia quæreret, & commeatum Sapientiæ dives, ea referret in Patriam, quæ in emolumentum commune Silesiæ, luculento fœnore effunderet. Romam igitur terrarum principem Vrbem petisti, vt ex hac Orbis Christiani clarissima luce, lucem acciperes quâ præluceres Germaniæ, & Lux ipsa Silesiæ fores. Stadium Philosophici ci cursus ibidem emensus, in vastum Theologiæ mare te conijcis, perq; illud tam difficile pelagus, adeò prosperâ navigatione dirigis puppim, vt ad portum appulso celeuma Tibi acclamârit Perusium, ac Te Româ vocatum Vrbs ista suo sinu complexa, Doctorali Lauro coronarit Victorem, At cum Tibi non

sola-

sola poliuisset Eruditio mentem, sed etiam Tuo in ore sibi domicilium Suada locaßet; in omnem aleam felix, ibi dicendi tyrocinium inchoas, vbi alij finiunt. Tanta enim jam tunc Tua fuit dicendi Majestas, tanta lingvæ facundia, vt cum Helvetios, vetustißimam Gentem, & Principum satellitio fidam multos per annos in splendore dignitatis Romanæ, Germanâ Eloquentiâ instituisses atq; formasses; Ipsemet etiam PAVLVS V. *Pontifex Maximus, & Purpurati Senatus Eminentißimi Principes, audire Te Romanè perorantem voluerint, auditum laudare debuerint, & ingenuè agnoscere Oratorem Te esse, qui æquare poßit Germaniam, Romæ. Vnde non immeritò fuit ejusdem Pontificis, in Te summo cum honore profusa benignitas. Namq; in Sacro Inquisitionis Concilio, Te imprimis Pœnitentiarij, vt vocant, decoravit Officio; & opimum Placentinæ Ecclesiæ Tibi Sacerdotium contulit. Sed dum alijs places, non placuit Tibi Placentia; & qvod insanâ prope ambitione, alij anhelant, Tu solus repudias, neq; permittis, hac escâ Tibi adhamari Italiam, qvi in Salutem & ornamentum Germaniæ genitus eras. Quocirca jam amplo satis Eruditionis atq; facundiæ commeatu*

meatu

meatu instructus, dum ex illâ terrarum Orbis speculâ Româ, in longinquam Germaniam conÿcis Oculos, amplexus Tibi parantem, & quem invita dimiserat, revocantem benignè, vides Silesiam Tuam. Ideoq; nec ratus longiores moras trahendas, cum Tua virtus inescari non posset delitÿs blandientis Italiæ, reditum paras: quem Tibi gloriosißimum fecit, eadem PAVLI V. *Pontificis Maximi, ex merito Tuo summè propensa benignitas, quid enim ille? quod vix ulli, vel admodum paucis præstitisse compertum est. Animi Tui præclarißimas dotes ad Rudolphum II. Invictissimum Cæsarem, testibus litteris comitari dignatus est; Vt dum Virtutes Tuas Principi tanto præsens commendare non posset, id scripto suæ mentis interprete faceret absens; tantò perenniùs, quantò verbis temerè in aëra emißis, & fluxis, ea quæ stylo formantur, antestant. Quod gravißimum supremi Catholicæ Ecclesiæ Principis, & Christi in terris Vicarÿ Testimonium, non attinet verbis attollere: Satis hoc unum ad gloriam Tuam summam censendum est, ab Orbis Oraculo, Te fuisse laudatum, & summo Terrarum Monarchæ fuisse laudatum, cui displicere non potuit, quem*

tam

tam laudata Virtus ornavit. Hoc igitur encomio publico felix, congestas animo dotes è divite cornu tandem effundis in charissimam Silesiam Tuam. Quid enim enarrem præstantem oris facundiam, quâ ex Metropolitanæ D. Ioannis Ecclesiæ pulpito tribus integris lustris ad Concionem dicendo, extirpasti flagitia, inseruisti Virtutes, revocasti à fidei erroribus devios, mentibus detersisti caliginem, & lumine Veritatis illustrasti, retinuisti labentes, & dubios stabilivisti, Deniq; non vniversam tantum Silesiam, Eloquij Tui gratissimus sonus iste pervasit, sed & exteras etiam clarissimas Urbes fructu, non impare recreavit: Sæpiùs qvidem FERDINANDUS II. Augustissimus Cæsar, audire Te voluit, sed tamen cum id sæpius non pateretur occasio, in corona Germaniæ Procerum bis tantum auditum, perpetuo prosecutus encomio est. Quid dicam de Legationibus Tuis, qvibus præcipuis Orbis Christiani Provincijs, atq; Principibus, Tua Virtus innotuit? Romam imprimis appello, quæ in arduis maximisq; negotijs, & à Venerabili Capitulo semel, & iterum à Ioanne Antistite, pro Synodi Confirmatione Legatum amplexa est: Et toties per Industriam, Prudentiamq;

tiamq; Tuam, rebus ex animi voto confectis, laudatum remisit. Ipsi Silesiæ status ac Principes, quibus perspecta fuit sagacitas Tua, iteratâ vice Te potissimum elegerunt, qvi coram Imperatore Romano, in splendore totius Germaniæ, hoc est, in Augustissimis Imperij Comitijs, de salute Patriæ, & emolumentis Silesiæ publicis ageres: quam eandem ob causam, â Statibus Catbolicorum etiam semel delectus fuisti. Quid? qvod non solum Venerabile Capitulum, sed alias etiam ipsemet Invictissimus Cæsar, Industriâ & Prudentiâ Tuâ voluerit uti, cum Te ad Serenissimum Poloniæ Regem, & Proceres Regni legavit, & ea Sagacitati Tuæ commisit, quæ confici potuissent, ab alio nemine, nisi quem comitata fuisset, Virtus & felicitas Tua. In his omnibus enim illa est semper Prudentiam Tuam secuta Fortuna, vt quod de fortissimo Ionatha, David: Sagitta Ionathæ nunquam reversa est retrorsum, hoc de Legationibus Tuis asseri possit, nunquam repulsis, nunquam frustraneis; sed semper ad finem ex voto perductis & assecutis optata, semper ambarum partium plausu, & approbatione laudatis. attonuit enim omnes Authoritas Tua Prudentia cepit, facundia flexit, animi genero-

stas fregit, Hæc à me non oratoriè dici, sed Virtuti Tuæ meritò dari, non ambiget qui voluerit cogitatione pervolvere, quibus illa Pontificis Maximi, Cæsarum, Regum, & aliorum Germaniæ Principum, qui Te Legatum viderunt, cohonestata testimonijs fuerit, quibus omnium dilaudata præconijs, decorata muneribus & dignitatibus, facta conspicua. Omitto amplissima munia & officia Tua, augusta Sacerdotia, Prælaturas, Archidiaconi munus, & Administratoris indefatigabiles curas, & alia plura quibus insenescis feliciter, taceo magnitudinem Animi & Constantiam Tuam, qua Venerabilis Capituli Tui sæpe fuisti, & etiamnum es, Murus & Columen. Plura de zelo Tuo, deq; saluberrimis per universam Silesiam, Ecclesiarum visitationib9, per Te institutis, peractisq; feliciter commemoranda nunc forent, nisi memor essem, Epistolam, non Orationem me texere, & ea scirem esse nunc tempora, quibus sine adulationis suspicione, neq; Virtus laudari, neq; dici Veritas possit. Unum hoc satis est proposito meo, per Compendium ostendisse Germaniæ, talem esse dignitatem Tuam, Virtutem & meritum, ut meus iste Libellus Tuo Patrocinio tutus, non habeat, quod la-

tratus

tiatus circumstrepentium hostium metuat.

Porrò quod me ad hunc Tibi dedicandum Laborem, Obligatio mea compulerit, ignorare non poterit, quisquis animi magnitudinem Tui; cum admiranda liberalitate conjunctam, mente pervoluerit & spectaverit oculis, hoc potissimum tempore, quo profligatâ, è Provinciis pace, Pietate Iustitiaq; proscriptis, & non æraria publica tantum, sed & facultates privatas, non tam exhauriente, quam deprædante militari licentiâ, & solitudinem vastitatemq; inducente, Domibus, Oppidis, Agris, Urbibus, Templis & Aris: Nihilominus inter hæc omnia, & insuper inter privatas Tuas calamitates, atq; ruinas, Animi præstantia Tui maximè enituit: Dum non, ut alij quidam, qui in paucos secuturæ Vitæ dies solliciti, Opes conglomerant, & patrum ingenuâ parsimoniâ congerunt aurum, prodigos, aut forsan ignotos locupletaturi Nepotes: Sed in æternitatem futuram Oculos providentiæ Tuæ collimans, Dispergis & donas pauperibus, ut Iustitia Tua maneat in sæculum sæculi. *Domum enim VVratislaviæ amplam & commodam, ingenti ære coemptam, Musis*

paupe-

Pauperibus dedicas, in qua Disciplinis honestissimis Liberalium Artium, in emolumentum Silesiæ, & incrementum Religionis Catholicæ educari, & institui Iuvenes ære Tuo & sumptibus cupis, quos fortuna destituit, & paupertas innoxios pressit. Quocirca his quoque dignam animi magnitudine Tui Dotem pollicitus, simul inter superos immortalem Tibi Stationem adornas: & Nominis quoq; nunquam interituram, memoriam, ad seram potestatem transmittis. Dum enim isti parietes stabunt, dum Tectum, dum trabes, , dum erunt in Domo, qui Tuâ liberalitate fruentur seri Nepotes, Silesiæ germina, (erunt autem DEO propitiante æternùm) GEBAUERIANAM munificentiam, Lingvis calamisq; cantantibus, semper honos, nomenq; Tuum, laudesq; manebunt. His igitur cum Silesias Musas, meq; simul cum illis liberalitate Tua fruentem obstrinxeris: Accipe, Reverendissime Prælate, ex Domo Tuâ profectum munusculum, non tam grati animi tesseram, quam obsequij debitum. Tuum enim est, quidquid Artium bonarum hic cuditur. Tui sumus Domestici, qvotquot Domum Tuam incolimus:

Patere

Patere igitur à Familia Tua Tibi offerri, quod Domeſtico Tibi jure debetur. Si iſtud tueri dignaberis, Tua Iura tueberis: in quo rerum omnium imitabere Patrem, qui quos procreat: etiam ipſe defendit. Noſtrum interim erit Clementiſſimum DEUM ſupplicibus votis rogare, ut Tuam illam Venerandam canitiem, non tam annis quam Virtutibus nobilem, ad Gloriam tuam, ad augmentum Religionis Catholicæ, bonorum ſolatium, malorum terrorem, ad gaudium commune Muſarum, ad ornamentum Venerabilis Capituli, deniq; ad emolumentum univerſæ Sileſiæ quam diutiſſimè ſalvam & incolumem ſervet. Quod ego imprimis medullitus voveo & precor. VVratislaviæ ex Domo S. Agnetis, VIII. Kal. Novemb: Anno M. DC. XLII.

Reverendmæ ac Perilluſt: D. Væ

Servus in Chriſto.

JULIUS CÆSAR COTURIUS Societatis Ieſu.

APPROBATIO.

EGO GREGORIUS SCHELITZIVS. SOC^{tis}: Jeſu per Bohemiam Præpoſitus Provincialis, Poteſtate ad id mihi factâ, ab Admodum R. P. N. Mutio Vitelleſco, Præpoſito Generali. Facultatem concedo, ut Liber qui inſcribitur: *Demonſtrationes Catholicæ, quibus oſtenditur Eccleſiam Lutheranam non eſſe Apoſtolicam &c. Pars Altera,* â P: IVLIO CÆSARE COTVRIO eiusdem Societatis Jeſu Sacerdote conſcriptus

ſcriptus, & à quatuor Patribus Theo-
logis, ejusdem Societatis Jeſu, lectus
& approbatus, Typo mandetur, in quo-
rum fidem has litteras manu meâ ſub-
ſcriptas, Sigilloq; Officij munitas dedi.
Pragæ 12. Octob. Anno 1641.

Gregorius Schelitzius.







INTRODVCTIO ad DEMONSTRATIONES CATHOLICAS,

in quâ

Explicatur ratio, ob quam in confirmandis fundamentis fidei, SS. Patrum auctoritas adducitur, & quanti ea sit momenti ad conuellendas Aduersariorum Sectas demonstratur.




NOn ignoro, Christiane lector, multos inueniri, qui lectis Demonstrationibus parte priori euulgatis, meum scribendi institutum improbent, & methodum in ijs obseruatam cauillentur, quasi, videlicet, vniuersam Religionis Catholicæ doctrinam, ex solâ SS. Patrum authoritate, quam fallibilem & humanam dicunt, contendam stabilire: & eorum 1.

rum testimonia tanquam infallibilis veritatis oracula, posthabitis S. Scripturæ certissimis effatis, pro fundamento fidei Romanæ, Catholicæ, & Apostolicæ constituam.

Quod cùm absit ab intentione meâ quàm longissimè, & institutum meum scribendi, vel non rectè percipiant hujusmodi; vel certè percipere non velint; aut penitùs dissimulent: existimaui pretium operæ futurum, totius hujus methodi, & instituti rationem perpaucis explanare, vt omnibus constare manifestè possit, quem in finem, & quâ ratione SS. Patrum testimonijs, & authoritatibus hîc vtar; & soliditas argumenti, quod in singulis demonstrationibus à Patrum authoritate, & testimonijs formatur, omnibus euidenter pateat.

2. Certum est, dissensiones omnes, quas nunc innumeras in materiâ Religionis videmus, & deploramus; ex erroneâ, & sinistrâ sacrorum Codicũ intelligentiâ produci. Cùm enim ille sacer textus *sit firmamentum, & columna veritatis*, & Veritas in indiuisibili consistat, fieri non potest, vt innumeræ, sibi aduersæ, & repugnantes Bibliorum explicationes, veræ omnes sint, ac genuinæ: ergò si vna tantum vera sit, omnes reliquas esse falsas, erroneas necesse est. hinc dissensiones, & rixæ; hinc hæreses, & à veritate miserrimæ secessiones,



Nam dum singulæ Religiones, imò singuli in qualibet Religione, veram ac genuinam Scipturarum intelligentiam, & consequenter exactum controuersiarum fidei judicium sibi vendicant: Dùm singuli alios malitiosæ cæcitatis, aut ignorantiæ condemnant, quod claram in sacris literis explicatam veritatem non aspiciant; Fit, vt quilibet aliorum dogmata examinandi, recipiendi, vel aspernandi; Constitutiones, ritus, disciplinam, ac ordinem reformandi, abolendi, vel inuertendi sibi tribuant Authoritatem; quia videlicet ipsi soli Orthodoxam fidem, & vnicam salutis viam, in verà Ecclesià, juxta rectam ac genuinam Scripturarum intelligentiam se tenere arbitrantur.

Cujus judicij futilitatem licet in Lutheranis Caluinistæ, in his è contra Lutherani, in vtriusq; Anabaptistæ & Sociniani, & ita singuli in alijs facilè conspiciant, rideant, & aspernentur; omnes tamen in seipsis agnoscere recusant, & præconceptis opinionibus mordicus adhærentes, nec non Romanæ Catholicæ Ecclesiæ contradicendi Spiritu quodam stimulati, id quod maximè in quæstione est, pro confesso sumunt, & supponunt: se nempè solos Verbum DEI scriptum legitimè explicare, & intelligere, alios omnes grauissimè errare, vel cæcutire.

3. Si verò quis illos penitiùs interroget, vndè illis certum sit, se verum ac genuinum sensum habere Scripturarum? respondent primò quidam: id nullum latere posse, qui noscat literas, eò quod Scripturarum sensus adeò clarus, & apertus sit, vt cuiq; legenti, etiam puero, patere possit. Sed si ita habet, cur Lutherani, Caluinistæ, Sociniani, Anabaptistæ, Schusteriani, cæteriq; sacrum textum non eodem modo explicant, & sensum eundem colligunt? profectò si hominum viginti bonis oculis, equus quispiam clarè, & sine impedimentis opponatur, omnes illum videre, & vt verum equum, sine vllâ controuersiâ, aut dissensione poterunt agnoscere. Ita quoq; si Scriptura adeò clara sit, vt ab omnibus intelligi sensus ejus possit. Cur eam non eodem modo omnes noscunt, & intelli-
4. gunt? quocirca dicunt alij 2. quendam spiritum in singulis priuatum esse, quem qui habent, illos solos verum ac genuinum Scripturarum sensum penetrare.

Hunc autem Spiritum apud se solos esse, Lutherani asserunt. Sed quâ fide id affirmare possunt? negabunt id profectò Caluinistæ, cæteriq; omnes, qui se ab intelligentiâ Scripturarum exclusos nolunt. Et dicant Lutherani, qui omnia sua ex scripturis dogmata manifestè demonstrari volunt.

lunt. Vbi vel vno apice in Scriptura ſolis Lutheranis illum ſpiritum promiſſum, & conceſſum, alijs verò omnibus denegatum eſſe demonſtrare poſſint? ſi non poſſunt, vt certum eſt, cur haberi ſibi fidem volunt, tanquam ſi Scripturarum interpretes ipſi veri, & ſoli ſint, & omnes alij quàm longiſſimè à genuino ſenſu deuient?

Quod vt euadant, dicunt alij tertiò: Scripturas per ſcripturas explicandas eſſe, vt 5.
quod vno in loco proponitur obſcurè, hoc idem S. Spiritus alibi verbis meridiano ſole clarioribus exponat, ſed contra; nunquid idem adjumentum; eundemq; textum habent omnes alij, tàm Caluiniſtæ, quàm Sociniani, cæteriq; non minus ingenio pollentes, & in literis verſati? Cur ergò non omnes eodem modo explicant, & ex claris ſcripturarum locis ſententias obſcuriores exponendo eundẽ ſenſum hauriunt? Reſpondebit forſitan Brochmannus aliquis, quia per orationem, diligentem meditationem, aliáſq; pias animi diſpoſitiones, ad rem tàm ſacram, ac ſanctam ſe non omnes æqualiter accingunt. Sed, riſum teneatis amici, inquient Caluiniſtæ. Ergonè omnem pietatem, orationem, piam meditationem, cæteráſq; animi diſpoſitiones ita ſibi aſſumpſerunt ſoli Lutherani, vt nihil alijs reliquerint? nunquid eadem

dem omnia, forsan etiam longè sanctiora possunt adhibere media, vel etiam adhibent de facto Caluinistæ, cæteriq; omnes, quibus intelligentia scripturarũ cordi est?

6. Ex his igitur omnibus manifestum est, totam, & solam dissensionis, & controuersiarum, quibus omnes ab Ecclesiâ Catholicâ alieni digladiantur, causam esse, quod singuli noui quidpiam inuenire gestiant, & impatientes censurarum, suo ingenio, & judicio præfidant, & contemnant alienum; nullam regulam, nisi è proprio cerebro formatam, sequi velint; Argumenta per fas & nefas ex Scripturis pessimè detortis, vndiq; conquirant; non vt veritatem firment; sed vt sua tantum dogmata ex obscuro, & passionato cerebro procusa, sacro quodam pallio conuoluant, & simplici plebeculæ imponant; Deniq; quia spiritu superbiæ tumescunt, ideò contendunt, tantum nè victi videantur.

7. At longè disparem Scripturæ interpretandi rationem tenent omnes Ecclesiæ veræ, & Catholicæ Doctores, & obedientes filij: Hi enim cum ingenio, memoriâ, judicio, sanctitate, diligentiâ, eruditione, sacrarum literarum, & linguarum peritiâ, non dico pares tantum, sed & omnibus, qui vnquam ab Ecclesiâ Romana secesserunt, longè sint superiores (vt ex innumeris eo-

rum

rum voluminibus, & scriptis subtilissimis, & deniq; totius terrarum orbis testimonio manifestum est) in materiâ tamen Religionis, ac articulis fidei essentialibus, nec non verâ, genuináq; scripturarum intelligentiâ, suo ingenio ac proprio judicio non fidunt, non ignari se falli, ac errare posse; Sed veræ Christi Ecclesiæ, ac Sponsæ se subijciunt; ejus Doctrinam, & sententiam sequuntur: penes quam cùm certam esse credant Authoritatem, & ab assistente S. Spiritu infallibilem Scripturæ interpretandi potestatem; fit, vt & ipsi eidem explicationi inhærentes errare nequeant; vnanimiter conueniant; cunctam de veritate dubitationem excludant; & alios omnes ab Ecclesiæ veræ sententiâ, & explicatione recedentes, pro erronibus, deceptis, illusis, etiam rebellibus, ac cæcis habeant. Hinc tanta inter Catholicos in fidei articulis, & scripturarum intelligentia concordia, ac vnio animorum reperitur, quantam inter ejus aduersarios inuenire est, discordiam, & dissensionem.

Sed dicent Aduersarii, etiam se, veræ 8.
Ecclesiæ, & Christi Sponsæ authoritatem, & explicationem sequi. Nam dum ipsimet sacræ Scripturæ tenaciter adhærent, consequenter etiam veram Ecclesiam sequuntur, quæ in vero scripturarum sensu

nunquam falli, vel errare poteſt, nec à ſcripturis vſpiam recedit; atq; ita tàm certi de vero ſenſu ipſi eſſe poſſunt, quàm Catholici, qui Eccleſiam ſequuntur.

Verùm ſupponunt, quod in quæſtione eſt, videlicet ſe genuinum, ac verum ſenſum habere ſcripturarum, de quo vel maximè diſputatur, ipſis hoc ajentibus, aliis verò cunctis id negantibus. Cùm enim Lutherani, inde Catholici in ſcripturarum interpretatione quam maximè diſſideant, alio modo controuerſia tota dirimenda eſt, videlicet, vt aliqua ſtatuatur infallibilis Idæa, quæ fatente vtrâq; parte diſſidente, in fidei ſubſtantiâ non errauit, cum quâ tàm Catholica, quàm Lutherana ſcripturarum explicatio componi, & conferri poſſit; vndè fiet, vt quæ cum tali Idæâ maximè conueniet, ea verior & certior explicatio ſcripturarum cenſeatur. Sicuti, ſi varij pictores Cæſaris imagine coloribus expreſſa inter ſeſe decertarent, eccujus inter omnes perfectiſſimè Cæſaris effigiem exprimeret? ad litem illam componendam omnium judicio neceſſe foret, ſingulas imagines cum ipſo Prototypo conferre, vt quæ maximè cum eo conueniat, palmam ſimilitudinis reportet. Ita Catholicos inter Lutheranos, ſectarioſq; reliquos, aliquid ſtatuendum, & vtriúſq; partis aſſenſu certum, & infallibile,

bile,cum quo & doctrinam suam,& quam pro vera tenent, scripturarum interpretationem omnes conferant, & componant. Idæa autem talis esse debet; doctrina & interpretatio,quam in scripturas Ecclesia primitiua dedit. Cùm enim tàm Catholicorum, quàm Aduersariorum omnium judicio certum, & exploratum sit, Apostolicam seu primitiuam Ecclesiam in Essentialibus fidei articulis, & qui ad illam pertinet scripturarum genuino sensu proferendo, non errâsse; certum quoq;, & exploratum esse debet, eam explicationem, & sensum, qui nunc cum illo veteri ac primitiuo maximè consentiens,imò idē est, verū ac genuinū scripturarū sensum,omnes verò cæteros erroneos,ac falsos esse. Nunc autē, cùm Catholici probem⁹,eodē modo nos intelligere scripturas,quo eas vera primitiua & Apostolica Ecclesia intellexit, & explicuit; conficimus Ecclesiæ Catholicæ modernæ certum, & infallibilem in scripturis intelligendis esse sensum; Lutheranorum vero, ac omnium aliorum ab Ecclesiâ hac Catholicâ dissentientium explicationem penitùs erroneam, ac falsam.

9.

Modus autem, quo nostrum cum Ecclesiâ primitiuâ, & Apostolicâ vnanimem consensum probamus, & ostendimus, tàm certus, & exploratus est, quàm ille, quo 10.
certò,

certò, & infallibiliter inducimur, vt credamus Euangelium Matthæi, vel Ioannis fuisse verè per Matthæum & Ioannem antiquitùs conscriptum, & vt Verbum Dei ab omnibus receptum. Nam sicuti posteriùs illud certò scimus, per omnes omnium retrò sæculorum Patres, qui hæc scripta Euangelica, pro genuinis eorum Auctorum scriptis, & vero Dei Verbo semper habuerunt, & ab Ecclesiâ totâ primitiuâ, seu Christianitate vniuersâ, pro talibus semper habita, & credita fuisse certis, & consentientibus testimonijs confirmant; ita quoq; per eorundē Sanctorum Patrū continuata testimonia, & scripta, pro certo, & infallibiliter agnoscimus, & credimus, totam primitiuam, & Apostolicam Ecclesiam sacras omnes scripturas sic semp intellexisse, & explicuisse, vti eas modo ītelligit, & explicat Ecclesia Catholica Romana; & cōsequenter vnū, eūdémq; esse primitiuæ, & modernæ Catholicæ Ecclesiæ sensū, & doctrinam.

II. Quod, vt omnibus omninò conspicuum, & manifestum esset, ipsos Patres nominamus, & eorum de singulis controuersijs, ex Autographis desumpta, ad verbum testimonia producimus; non quidem, vt doctrinæ, quam in scriptis suis tradunt Patres, fidem habeamus, tanquam ab ijs sine scripturarum authoritate procusæ; sed ut credant

credant omnes Ecclesiam primitiuam, quæ etiam juxta Aduersarios, in Substantialibus non errauit, semper ita sensisse, & docuisse; sicut in scriptis suis eam sensisse, & docuisse tradunt, & testantur omnes Sancti Patres, & alii Ecclesiæ primitiuæ Coëtanei, qui magna pars Ecclesiæ fuerunt. Si enim in humanis credimus, & certò scimus Iulium Cæsarem gessisse bella, fuisse dictatorem, Pompejum debellâsse, aliásq; historias gentiles, quia hęc, & similia quàm plura posteritati Libris plurimis testata reliquerunt Liuius, Plutarchus, & alij Authores, quibus fidē derogare nonnisi dementia censeri potest: ita quoq; in diuinis certi esse possumus, & debemus, Ecclesiam primitiuam docuisse, & sensisse dari Purgatorium; Licitum esse Sanctos inuocare, eosq; de facto inuocâsse; sacrificâsse DEO incruentam hostiam; seruâsse jejunium quadragesimale; imagines Christi, & Sanctorum, nec non sacras Reliquias veneratam esse &c. quæ omnia nobis esse certa debent, quia testes omni exceptione majores, videlicet omnes Sancti Patres diuino Spiritu plenissimi, nobis scriptis voluminibus, innumerisq; libris testatum reliquerunt, ea omnia fide diuinâ credenda esse; tanquam ex sacris literis, & Apostolicâ doctrinâ, & traditione in Ecclesiâ primitiuâ

semper

ſemper credita, & docta; quibus minorem adhibere fidem, quam Liuio, & aliis hiſtoricis profanis non niſi furioſi, & extremè dementis eſſe poteſt.

Ex illo autem, quod omnes Sancti Patres teſtentur Eccleſiam primitiuam Sanctos inuocâſſe, merita bonorum agnouiſſe, docuiſſe per fidem ſolam non juſtificari hominem, &c. manifeſtum eſt, eam non intellexiſſe ſcripturas in eo ſenſu, quo nunc eam Lutherani, Sectariiq; cæteri intelligunt, & explicant, aſſerentes ex ſcripturis horum omnium falſitatem demonſtrari poſſe. Et cùm Eccleſia primitiua in Scripturarum explicatione, circa hos eſſentiales fidei Articulos, ex Aduerſariorum omnium confeſſione non errauerit, vt ante dictum eſt; neceſſariò ſequi debet omnes Aduerſarios ab explicatione Eccleſiæ primitiuæ recedentes falli, & errare.

12. Et hæc ratio eſt, in vtroq; hoc opuſculo methodi à me ſeruatæ. Adduxi enim Patres, non vt cuiquam perſuadere coner, ſingulorum Patrum doctrinæ, vt Patrum, & Doctorum priuatorum eſt, ſtandum eſſe; ſed vt oſtendam Patres omnes, qui ſimul copulatiuè ſumpti, non poterant errare, dare teſtimonium primitiuæ Eccleſiæ doctrinam, vnam, eandemq; eſſe cum ea, quam acceptam, modò per continuam ſucceſſio-

nem,

nem, credit, & docet moderna Ecclesia Romana. Quod Argumentum à patrum testimoniis desumptum, cùm mirè premat Aduersarios, & eorum doctrinæ nouitatem omnium oculis clarissimè proponat, conantur quibus possunt viribus Authoritatem eleuare, & his rejectis argumenti eneruare firmitatem. Quocirca, quæ contra Patres in singulis Demonstrationibus allegatos vniuersim adferunt, vel adferre possunt, quam poterimus, breuissimè refellenda judicauimus, vt clarè constet omnibus, effugia ab illis frustra quæri, & dum solem Veritatis fugiunt, totos in tenebris versari.

OBIECTIO PRIMA.

PRimò itaq; obijciunt. Author Demonstrationum non omnes, sed aliquos tantum, & illos quidem paucos, pro testibus Doctrinæ primitiuæ citat, ex paucorum testimoniis, qui errare potuerunt, malè infert omnes Patres, seu totam Ecclesiam primitiuam ita docuisse. Licet enim quidam Patres Pontificios errores approbauerint, non rectè tamen ex his inferre potest; omnes, seu totam Ecclesiam in ijsdem conspirâsse. Non enim defuerunt nonnulli Patres, qui sese opposuerunt, atq; adeò contraria scripserunt. 13.

Sed



Sed respondeo præmissis pro claritate paucis, verum quidem esse, nonnullos ex Patribus interdum ab aliis dissensisse, & opiniones fouisse singulares; falsum tamen est, illos in Substantialibus fidei articulis, quibus salutis fundamentum penitùs euerti, vel ethnica idololatria stabiliri posset, pertinaciter vnquam dissensisse. Quis enim credat Orthodoxos hos Doctores, & Ecclesiæ primitiuæ bases, sic inter sese repugnâsse, vt quidam essentialia religionis dogmata conuellere niterentur; quidam sententiam Orthodoxam propugnarent, aliisq; in re grauissimâ salutis se opponerent, & tamen vtriq; sese inuicem pro Symmistis, ac veris Ecclesiæ Orthodoxæ filiis, & Iesu Christi seruis fidelibus agnoscerent? ipsa profectò praxis Ecclesiæ perpetua contrarium demonstrat. Quotiescunq; enim quispiam insurgeret, qui fundamentalem aliquem errorem disseminare niteretur, quo substantialis fidei articulus conuelli poterat, non tantum ipsi doctrinam Orthodoxam constantissimè retinuerunt, & eandem animosè propugnârunt, sed magnâ etiam alacritate, & zelo corruptelas omnes detexerunt, & quâ calamis, quâ linguis, nec non conciliis coactis impugnarunt; Ita contra Nouatianos, Arrianos, Donatistas, Pelagianos, aliosq; factum esse ne-

mo

mo ignorat. Quomodo ergò, si quispiam Orthodoxorum Patrum errorem fidei fundamentum conuellentem docuisset, Patres alii non animaduertendo, vel certè conniuendo, aut tacendo tolerâssent? Si quidam Inuocationem Sanctorum, Imaginum, ac Reliquiarum venerationem, & alia hujusmodi pro immani idololatriâ, & Pagana superstitione habuissent; alij verò pro re piâ, Sanctâ, & Orthodoxâ defendissent, quomodo hi illos, & illi hos, pro Doctoribus Orthodoxis agnoscere, & venerari potuissent? Ideò profectò tot legimus hæreticos ab Ecclesiæ primitiuæ Patribus damnatos, quia à Doctrinâ Orthodoxâ recesserunt. Quæ censura etiam in ipsos Patres incidisset, si quidam in fidei substantiâ aliter atq; aliter docuissent. Nec 14.
refert, quod ajunt Aduersarij, hæreticos primæuos non damnatos passim ab omnibus Patribus fuisse, sed à quibusdam duntaxat, aliis, vt ipsi ajunt, silentio injustam eorum oppressionem confitentibus. Licet enim non omnes Patres ex professo sese omnibus hæreticis in particulari opposuerint, nisi tamen omnes in eorum damnationem consensissent, non defuissent multi spiritu diuino pleni, qui injustè damnatos protexissent, & oppressæ veritati suppetias tulissent, neq; in re fundamenta Religionis

nis Orthodoxa conuellente Veritatis oppressionem adeò injustam suo silentio confirmâssent Res exemplo declaretur: Iouinianum, Aërium, Vigilantium, &c. Epiphanius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & alij Patrum Sanctorũ excommunicârunt, & in numerum hæreticorum retulerunt, quia videlicet peccata venialia, orationem pro Defunctis, cultum Reliquiarum, meritum Virginitatis, Iejuniorũ &c. oppugnârunt; Si quis prædictos hos hæreticos in ijs punctis rectè sentire, & Patres eos damnantes errare judicâsset (vti volunt Aduersarij) nullo sanè modo tacuisset, & veram Euangelij Doctrinam in illis opprimi fuisset passus. Iam verò vel vnicum ex illis omnibus, qui adhæc vsq; tempora Patrum nomine fuerunt honorati, producant Aduersarij, si possint, qui dictos Patres propter hanc damnationem reprehenderit, aut damnatos ab hac injuriâ, calamo vel linguâ vindicauerit? quem cùm nominare nullum possint, indicio manifesto esse debet, non ab Hieronymo, Augustino, & aliis perpaucis, sed ab omnibus illius, & sequentium æuorum Orthodoxis Patribus prædictorum hæreticorum doctrinam penitùs damnatam, & proscriptam esse.

15. Ex quibus facile perspectu est; Licet non omnes, sed paucos tantum aliquando

Patres,

Patres, in Orthodoxæ Doctrinæ, è primitiuâ Ecclesiâ desumptæ confirmationem adferam; omnium tamen instar paucos illos esse, cùm in substantialibus Orthodoxæ fidei articulis tradendis null⁹ vnquam Sanctorum Patrum, ac Doctorum illis sese opposuerit, ac proindè doctrinam eorum omnes cæteri silentio suo confirmârint, & contraria sentientes, ac docentes acriter & constanter, vbi occasio data fuit, impugnârint.

OBIECTIO SECUNDA.

OBijciunt Secundò. Præ manibus quidem scripta paucorum Patrum esse, 16.
multò fuisse plures, quorum non exstent lucubrationes, qui proinde quid senserint, & docuerint, ignoratur. Atq; ideò ex paucorum Scriptis Pontificiam doctrinam approbantibus, totius Ecclesiæ primitiuæ sensum colligi non posse.

Sed respondeo, Objectionem istam eodem modo soluendam esse, quo superiorem soluimus. Et licet non omnium, sed paucorum Scripta pro doctrina nostra producamus, quia non omnia supersunt; tamen credibilenè cuiquam videatur, omnes illos Sanctissimos viros, & Ecclesiæ primi-

tiuæ columnas, quorum Scripta nunc supersunt, in omnibus Religionis veræ fundamentis penitùs errâsse, & ita quidem, vt nullus inter ipsos fuerit, qui veram, ac genuinam Ecclesiæ sui temporis doctrinam intellexerit, aut fideliter literis mandauerit? Et cùm passim Aduersarij linguis, & calamis affirment, in modernâ Ecclesiâ Romanâ doctrinam impiam, blasphemam, hæreticam, omnibus Scripturis repugnantem tradi; Superstitiones Ethnicas; cultum idololatricum; ritus Iudaicos, & Mahumetanos; incantationes Magicas doceri, & seruari, necessariò etiam dicere debebunt, eadem à viris illis sanctissimis esse docta, cùm omnem suam doctrinam, omnes ritus, & cæremonias, moderna Ecclesia Romana à Sanctis illis Ecclesiæ primitiuæ viris, per Successionem continuam acceperit, & mutuata sit. Cogentur ergò fateri Aduersarij, viros illos omnes sanctos, & ipsorummet confessione, veros Apostolicæ Ecclesiæ Doctores, quorum Scripta præ manibus habemus, impios, blasphemos, hæreticos, Scripturis Euangelicis contrarios, superstitiosos, idololatricos, Magos,
17. Iudæos, & Gentiles extitisse. Quâ blasphemiâ quid magis impium excogitari potest? si passim, & sine dubitatione credimus, quæ de Romanorum, Græcorum, & aliarum

Nationum

Nationum gestis, posteritati historicorum profana monumenta reliquerunt, licet, qui eadem Scriptis consignârint, fuerint perpauci; cur fidem derogabimus longè pluribus Scriptoribus, & ijs quidem viris sanctis, diuino Spiritu repletis, qui doctrinam sui temporis Ecclesiæ, tot præclaris Scriptis, tàm certis, tàm consentientibus, in posteritatem transmiserunt? Et verò, si quis pertinaciter negaret Aduersariis circa Annum Christum quadringentesimum fuisse baptizatos paruulos, formulam baptismi, quæ nunc in vsu est, aut diem Dominicam fuisse obseruatam, & alia hujusmodi; nonnè ex Patribus illo sæculo viuentibus Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Chrysostomo, & alijs eorum coætaneis testimonia proferrent? Sed si quis replicaret; ex paucis illis malè colligi totius Ecclesiæ sententiam, cùm Patres multò plures inuenire sit, qui nihil ijs de rebus scripto posteritati reliquerunt: quis ejusmodi effugium non judicaret cerebri violati, & corrupti esse? ita videlicet in allatâ objectione respondent, & effugere conantur Aduersarij, dùm primitiuæ Ecclesiæ Patrum Scripta, quæ extant monumenta in medium proferimus, quibus omnes luculentissimè posteris testantur Doctrinam in Ecclesiâ primitiuâ traditam, quam ipsimet tunc viuentes hau-

 serunt,

ſerunt, docuerunt, & propugârunt, eandem omninò eſſe cum illâ, quam à plurimis ſeculis, quaſi per manus ſibi traditam, & acceptam Catholica Eccleſia Romana nunc habet, credit, & propugnat: ad quod, vt dixi, teſtandum, dementis eſt omninò requirere teſtimonia eorum omnium, qui primitùs vixerunt, & quorum Scripta non ſuperſunt. ſed ea tantum proferre ſufficit, quæ in reſiduis, & conſeruatis à Vetuſtate monumentis de facto reperiri poſſunt, præſertim cùm nulla teſtimonia contraria, eadem euertant.

OBIECTIO TERTIA.

18. OBijciunt Tertiò Patres errare potuiſſe; imò de facto pleroſq; grauiter erraſſe, atq; ideò non poſſe teſtimonium infallibile, & doctrinam certam ex eorum Scriptis, & monumentis accipi.

Reſpondeo: vel de ſingulis Patribus in particulari, vel de omnibus ſimul, & copulatiuè ſumptis agitur. Si de primo; fateor ſingulos Patres in particulari errare potuiſſe, & nonnunquam etiam aliquos erraſſe; ita tamen, vt errata eorum non hæreſes, ſed humani errores eſſent. 1. Quia ſuos ipſi errores nunquam pertinaciter defende-

fenderunt; ſed Eccleſiæ judicio ſemper omnem doctrinam ſuam ſubjecerunt 2. Quia multa nondum erant ab Eccleſia deciſa, ideoq; errores eorum dum eos ſcriberent, non detegebantur, & non cenſebantur errores eſſe, alioquin ipſi eos correxiſſent, vel ejecti ab Eccleſia fuiſſent, ideò, dùm aliqui ſuos errores aduerterunt, ſtatim eoſdem, quà verbis, quà ſcriptis reuocârunt, vt de S. Auguſtino notum eſt.

Si de ſecundo agitur, videlicet Patres 19.
omnes ſimul collectiuè ſumptus errare potuiſſe, Dico: Si conſiderentur omnes ſimul ſumpti Patres, tanquam purè aliquis hominum doctorum cœtus, probabile eſt omnes ſimul ſumptos errare quidem poſſe. Verùm quia omnes ſimul ſumpti, quando de re aliquâ ſubſtantiali fidei, ſententiam ſuam ferunt, tunc Eccleſiam vniuerſam, tanquam ejus gubernatores, & præcipua membra repræſentant, certum eſt, omnes ſimul ſumptos errare nunquam poſſe: illis enim promittitur à Chriſto apud Matth: c. 28. verſ: 20. *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſq; ad conſummationem ſæculi*, & apud Ioan: cap 14. v. 18. *Non relinquam vos orphanos.* Et cap: 16. verſ: 13. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Quæ promiſſiones cum Apoſtolis, eorumq; Succeſſoribus ſint factæ, Epiſcopis videlicet,

Conciliis, omnibusq; Sanctis Patribus, quibus ex officio incumbebat populos instruere, & docere, certum est eos simul sumptos errare nunquam potuisse. Si enim errare potuissent, manifestè sequitur, Ecclesiam Christi, *quæ columna, & firmamentum veritatis est*, tàm quâ visibilis, quàm quâ inuisibilis est, penitùs errare, & deficere potuisse, quod nè ipsi quidem Aduersarij concedent. Sequela verò probatur euidenter: Nam si omnes simul Episcopi, & Patres, qui populum docebant, errassent, etiam cæteri omnes fideles, qui docebantur ijsdem erroribus obnoxij fuissent: ergò Pastores omnes, & illis subjectæ oues fuissent in errores substantiales lapsi, omnes à verâ Ecclesiâ excidissent, & consequenter tota vera Ecclesia, quæ ex Pastoribus, & ouibus constat, funditùs perijsset. Ratio au-
20. tem cur in particulari Patres singuli, non autem omnes simul potuerint errare, est, quia Christus non vni, vel alteri in particulari, sed omnibus simul sumptis, suam assistentiam infallibilem promisit. Vndè liquet, quando in re substantiali fidei ab vnanimi consensu Patrum desumitur argumentum, certum, & infallibile censendum illud esse. Quod cùm in singulis demonstrationibus clarè faciamus, certum esse debet modernam Ecclesiæ Catholicæ doctri-

doctrinam, quæ in omnibus doctrinæ Patrum veterum consentit, veram, & infallibilem doctrinam esse.

OBIECTIO QUARTA.

OBijciunt Quartò. Romanam Ecclesiam, quæ modò est, in plurimis à doctrinâ Patrum primitiuæ Ecclesiæ deflectere, ac proindè idem planè de Ecclesiâ Catholicâ Romanâ dici posse, quod de Lutheranâ nunc pronuntiamus. 21.

Respondeo, vel hoc de substantialibus fidei Articulis, & dogmatibus intelligunt Aduersarij, vel de illis, quæ cæremonialia tantum, & essentialia non sunt

Si de primis sermo est, assignent ipsi vel vnicum essentiale dogma, quod pro essentiali tenent Lutherani, in quo ab antiquorum Patrum, et Ecclesiæ primitiuæ doctrinâ recedamus. Cum autem in æternum nullum vnquam tale assignare possint, manifestæ falsitatis arguuntur. Si verò de ijs dogmatibus agatur, quæ fidei substantiam ipso etiam judicio Aduersariorum, non ingrediuntur, nihil agunt contra nos. Quia tota Ecclesiæ veræ certitudo, & veritas ex dogmatibus ejus essentialibus agnoscitur (vt ipsi fatentur Aduersarij) ergò cùm probemus

bemus in omnibus essentialibus Ecclesiam nostram cum verâ primitiuâ conuenire, etiam probamus illam cum Ecclesiâ primitiuâ penitùs eandem esse, licet etiam aliqua cæremonialia haberet, quæ non habuit primitiua, cùm tamen vix vllam alicujus momenti cæremoniam reperire sit in Ecclesiâ Romanâ, quam hæc, per traditiones à primitiuâ non acceperit; vt innumeris SS. Patrum testimoniis de singulis ritibus ostendit Iudocus Coccius, & ex illo Iacobus Cottonus, aliiq;, qui quæstionem illam tractauerunt. Et licet quidam particulares ritus nunc seruentur, qui antiquitus non fuerunt vsurpati; tales tamen ipsi docent Aduersarij, et nominatim Brochmannus de Libert: Christianâ, cap: 1. sect: 2. Ecclesiam semper habuisse potestatem constituendi, si ejusmodi sint, *vt decoro, ordini, ædificationi, & DEI gloriæ majori seruiant;* si hoc de suis ritibus affirment Lutherani, cur id de suis non majori jure sentiat Ecclesia Romana?

OBIECTIO QUINTA.

22. OBijciunt Quintò: Lutheranos quoq; Doctores posse SS. Patrum testimonia producere, quib⁹ et sua dogmata confirment,.

firment, & Ecclesiæ Lutheranæ consensum cum primitiua Apostolica demonstrent.

Respondeo: Si Lutherani sua dogmata ex Patrum Authoritate confirmare nitantur; vel id facient ex vnanimi omnium Orthodoxorum Patrum consensu, vel tantum ex particularium paucorum Doctrinâ. Si primum contendant (quod ad probationem fidei necessarium est) nunquam id facere poterunt in illis, quibus à Romanâ Ecclesiâ dissentiunt.

Nam nec vnicum quidem Dogma reperire est inter Catholicos, & Lutheranos controuersum, quod probare possunt Lutherani ab omnibus Patribus vnanimiter traditum, & doctum fuisse. Quâ enim veritate demonstrare poterunt ab omnibus Patribus reprobatum esse Purgatorium, & Sanctorum Inuocationem? Omne bonis operibus derogatum meritum; Eucharistiam non esse sub vna specie sumendam; & alia inter nos, & illos modò controuersa? cum autem ex vnanimi omnium Patrum consensu hæc probemus; certum est Lutheranos, qui nobis contraria nunc docent, de ijsdem, suam ex Patrum testimoniis doctrinam non posse confirmare, nisi Patres omnes mendacij, & contradictionis reos agant: falsum ergò est, Lutheranos tàm benè, quàm Catholicos sua dog-

23. mata ex Patribus probare posse. Si verò de secundo agant, & aliquos subindè Patres pro doctrinæ suæ confirmatione proferant; nihil contra nos proficiunt Nam ea particularia testimonia sunt talia, quæ vel vtrumq; sensum patiantur, ideoq; tàm à Catholicis assumi possint, quàm ab ipsis Lutheranis; in quorum explicatione videndum est, quid alijs in locis à se scriptis ea de re ipsi Patres senserint, quod si fiat; certissimò inueniemus Patrum hujusmodi sententias, Lutheranis nullo modo patrocinari, sed cum doctrinâ hodiernæ Ecclesiæ Romanæ dextrè explicatas, optimè conuenire. Vel certè quosdam Patrum errores proferent, qui ab vniuersâ Ecclesiâ primitiuâ fuerunt damnati; & ita fatemur Lutheranos pleraq; sua dogmata confirmare posse testimoniis, & authoritate primorum hæreticorum, qui Ecclesiam primitiuam lacerârunt, & ideò ab illa meritò (ipsâ etiam confessione Lutheranorum) fuerunt tanquam hæretici, & rebelles condemnati. quorum testimonijs si se tueri velint Aduersarij, videant quo præsidio doctrinam suam roborent. Nihil enim ex ijs aliud probare poterunt, quàm doctrinam suam conuenire cum hæreticorum
24. veterum doctrinâ. Lutherani ergò vt dici, & haberi possint, doctrinam suam authoritate

ritate confirmare, ad duo præstanda necessariò obligantur. Primò, demonstrare debent aliquod dogma suum, quod inter illos, & Catholicos, est controuersum, (V. G. non licere Sanctos inuocare) ab omnibus omninò Patribus Ecclesiæ primitiuæ, quorum de hoc extant Scripta, fuisse traditum, & doctum. Secundò ostendere tenentur, & assignare vnum quempiam Ecclesiæ primitiuæ Patrem sanctum, & verè Orthodoxum ab Ecclesiâ totâ semper habitum, ab eaq; nunquam condemnatum, qui simul omnes omninò controuersos fidei Articulos, & Dogmata sic crediderit, & docuerit, prout nunc eos credunt & docent Lutherani. Cùm autem neutrum vllo modo præstare possint, vtrumq; autem præstent euidentissimè Catholici, manifestè sequitur nullo modo Lutheranos, sed solos Catholicos Romanos, cum antiquâ primitiuâ Apostolicâ, & omnium doctrinâ Patrum, in Articulis fidei substantialibus consentire.

OBIECTIO SEXTA.

OBijciunt Sextò: Cùm Sacra Scriptura Dei Verbum infallibile contineat, & omnibus humanis Scriptis etiam simul sumptis, infinito interuallo sit verior, & cer- 25.

& certior, manifestum est, ex hac solâ fide Controuersias debere judicari; neq; ab hac ad Patrum authoritatem vnquam appellari posse, id enim esset à certis ad incerta, à claris ad obscura, â firmis ad infirma prouocare. Nam Patres licet sapientes, & docti fuerint, homines tamen fuisse constat, & errare potuisse. Neq; etiamsi omnes inter se consenserint, ideò audiendi sunt, quia inter se consentiunt, sed quia consentiunt Verbo DEI, ideoq; eorum Scripta tantum sunt eatenus recipienda, quatenus cum Dei Verbo conueniunt, à quo cum ea recedere contingit, nobis quoq; jure meritissimo ab illis recedendum est.

Ita videlicet suis passim ingerunt Aduersarij, vbi contra se manifestam Patrum omnium, & totius Ecclesiæ primitiuæ Authoritatē effugere non possunt. Sed quàm vana sint, & futilia, licet cum plausu multorum accipiantur, ex responsis facilè patebit.

26. Respondeo itaq; in hac tota objectione falsum ab Aduersariis supponi; & Catholicis doctrinam impiam per calumniam affingi. Supponunt enim Sacris literis, Patrum Authoritatem à Catholicis præferri, ita videlicet, vt si quando hinc Sacræ Scripturæ, indè Patrum sententiam probè compertam, & exploratum habeant, Catholici Pa-

ci Patrum dicta Scripturæ ſententijs præponant, et potiora ducant; Scripturam rejiciant, & Patrum Sententias amplexentur. Quod falſiſſimum eſſe, ex omnium Catholicorum Scriptis manifeſtè patet. Fatemur enim, & *coram vniuerſo mundo proteſtamur: purum, & infallibile DEI Verbum Sacrâ Scripturâ contineri, ejuſq; Authoritatem, quorumuis hominum, Patrum, ac Doctorum quantâcunq; eruditione & ſapientiâ præpolleant, Authoritati, immenſo interuallo præferendam eſſe.* Ad quid igitur, inquient Aduerſarij, de fauente ſibi Patrum Authoritate tantoperè Catholici plaudunt, & triumphant? Reſpondeo, duplici de cauſa Patrum Sententias, & Authoritatem à nobis allegari.

I. eſt. quando quæſtio eſt, quid Eccleſia Apoſtolica primitiua (quæ certa veræ Eccleſiæ Idæa eſt, & quam omnium confeſſione certum eſt, nunquam in ſubſtantiâ fidei erráſſe) de quibuſdam eſſentialibus fidei Articulis modò controuerſis, diuinâ fide crediderit, et ſenſerit; quid credendum & ſentiendum eſſe Fideles tunc exiſtentes docuerit: teſtes appellamus primos illos Patres, Apoſtolorum immediatos Succeſſores, illiſq; Coætaneos, qui primitiuam Eccleſiam magna ex parte tunc conſtituebant, tanquam viua ejus membra; eamq; 27.

tanquam

tanquam Duces, & Antesignani gubernabant: testes, inquam, eos in contentionem euocamus, vt edisserant, & explicent, quænam mens tunc Ecclesiæ totius primitiuæ fuerit, circa hos, vel illos fidei Articulos, de quibus cum Aduersarijs controuertimus. an videlicet Ecclesia Apostolica Sanctos inuocauerit; agnouerit Traditiones; Purgatorium; Merita bonorum operum; & incruentum Missæ Sacrificium; an Eucharistiam sub vna specie tradiderit; non soli fidei attribuerit Iustificationem, & alios eiusmodi, de quibus nunc inter nos, & Aduersarios certatur. Quæ omnia, quomodo in Ecclesia Apostolica primitiua docta fuerint, cùm sciri nullo modo certiori possint, quàm per eos testes omni exceptione majores, qui tunc in pura Apostolica Ecclesia vixerunt, fit, vt vnanimi eorum testimonio nobis de vera Apostolicæ Ecclesiæ Doctrina constet. ex quo testimonio Catholici tale formamus Argumentum.

28. Quicquid Ecclesia primitiua Apostolica in fidei substantia credidit, & docuit; id tanquam verum, & infallibe certa fide est tenendum.

Sed Ecclesia primitiua Apostolica credidit, et docuit, Traditiones obseruandas esse; Sanctos inuocari posse; dari Purgarium, et cætera paulò ante memorata.

Ergò,

Ergò. Hæc omnia, vt vera & infallibilia certâ fide sunt tenenda.

Major Propositio est certa, quam nullus Aduersariorum negat. Minorem de singulis Articulis vtroq; hoc tractatu probamus per enumerationem, pro singulis producendo Patrum Ecclesiæ primitiuæ testimonia, & vnanimem consensum.

Ergò quod ex geminis his propositionibus concluditur, est certum.

II. causa est, vt quando in rebus de fide controuersis, hinc Catholici, indè Lutherani, alijq; dissidentes Aduersarij, pro 29.
Doctrinæ suæ adeò diuersæ fundamento Sacram Scripturam allegant; & in fauorem suum interpretantur; tunc ad componendam litem affirmamus longè, certiùs, & æquiùs standum esse vnanimi Patrum omnium, & primitiuæ, quæ non errauit, Ecclesiæ, consensui, & interpretationi, quàm priuatorum, quorundam hominum explicationi; qui nec secum, nec inter se conueniunt. Atq; ita cùm ex Patrum Scriptis nobis innotuerit, & constet, quomodo veteres illi Patres omnes, & consequenter tota Ecclesia primitiua Apostolica Scripturam sacram, quæ ad discutiendas res his temporibus de fide controuersas allegatur, interpretata sit; Hanc totius Ecclesiæ sententiam, & interpretationem, ex Scriptis

Patrum,

Patrum, & vnanimi eorum explicatione
haustam, & deductam, quibuslibet recen-
tiorum, hodie de ijs Scripturæ sensibus, ex
cerebro suo contendentium, diuersis, &
repugnantibus opinionibus, & interpreta-
tionibus longè potiorem, & certiorem af-
firmamus. Quâ ratione fit, vt Apostolicæ
Ecclesiæ, & Patrum vnanimem consen-
sum, & Authoritatem consensui Prophe-
tarum, & Apostolorum, ac Sacræ Scriptu-
ræ nullo modo opponamus: Sed tantum
hodiernis illis nouis, & nunquam ante au-
ditis, ac ex passionato cerebro procusis o-
pinionibus, & explicationibus Sectario-
rum; judicium totius veteris Ecclesiæ; &
virorum, ipsius etiam aduersæ partis con-
fessione, sanctissimorum, & genuini scri-
pturarum textus, ac idiomatis peritissimo-
rum, vnanimes explicationes, & Authori-
30. tatem præferamus. Quod quàm æquum
sit, & rectæ rationi consentaneum, imò
planè necessarium, facilè patebit, si quis a-
nimo perpendat, inter tot, tamq; dissonas
scripturarum explicationes, necessariò Iu-
dicem requiri; qui Controuersias decidat,
certúmq; ac infallibilem scripturarum
sensum explicet. Non poteſt autem ipsa-
met Scriptura (vt volunt Aduersarij) talis
esse judex. Cùm enim scriptura tantum
contineat regulam veritatis simplicem, &
gene-

generalem, non applicatam, & restrictam ad exempla, ad speciem, ad indiuidua; hoc est; non exprimat nominatim, hicnè, an ille; Lutherus, an alius rectè sentiat; hæcnè propositio *Corpus Christi est cum pane, est vbiq;*; an verò illa: *Corpus Christi non est cum pane, non est vbiq;*: cùm sententia Scripturæ congruat, cùm vtraq; pars dissidentium eam pro se stare judicet, necessarius est Iudex alius, cujus officium sit, exprimere quid rectè secundùm Scripturam doceatur. Sicut enim in Republicâ benè constitutâ præter legem scriptam requiritur Iudex, qui controuersias singulas cognoscat, & dijudicet; ita etiam in Ecclesiâ, vtpotè rectissimè institutâ, præter sacram Scripturam Iudex aliquis requiritur, qui quando vtraq; pars dissentientium contendit Verbum DEI à se stare (quo quid frequentiùs?) vtra doctrinam suam ex sacra Scriptura, vero, & genuino sensu intellecta, meliùs demonstrauerit, exprimat, & clarè pronuntiet. Cùm enim multa sint, quæ non apertè in Scripturis exprimuntur (vt apparet ex tàm diuersis circa Religionis vnicam materiam opinionibus) quàm foret alienum à rectâ ratione, si quando Iudex requiritur, qui componat litigantes, pro Iudice Lex supponeretur? quando sententia Iudicis efflagitatur, adferrentur

Syllogiſmi litigantium? quando litis, per ſententiam Iudicis, deciſio expectatur, in medium proferretur lex, de cujus genuino ſenſu litigatur, & ille Iudex appellaretur, qui non poteſt præſtare id, quod à Iudice requiritur; vt ſcilicet cognoſcat cauſam, & ſententiam pronunciet, ſed alio adhuc judice indigeat?

31. Et quæro ex Lutherano quopiam: quando tu, vel Luther⁹ ipſe, vel alius quiſquam aſſecla, locũ aliquem Scripturæ explicat, & certũ ejus ſenſum, ſe tenere judicat, annè omnes alij huic interpretationi ſic ſtare debeant, vt in conſciẽtiâ ſuâ cõuincantur, nec ad aliũ judicẽ prouocare opus ſit, aut poſſint? Si ita; cur ergò tàm diuerſæ, tàm diſſentientes circa vnicũ, & eundẽ Scripturæ locum inter vos ſententiæ? & quæ ratio dabitur cur hujus potius, quàm alterius interpretationi ſtare debeam, cùm tàm hic, quàm ille ſe verum Scripturæ ſenſum tenere aſſerat? Si non; ergò neceſſariò quærendus alius eſt Iudex, qui ſententiam infallibiliter pronunciet, & cujus deciſioni quis in conſcientia ſecurè, & ſine vlteriori prouocatione ſtare poſſit, ac debeat. Aliàs nullus vnquam de genuino Scripturæ ſenſu certus, ac ſecurus eſſe poterit.

32. Talem autem Iudicem, ſolam veram Eccleſiam eſſe profitemur, & aſſerimus. & nè in

nè in dubium, ac contentionem vocent Aduerſarij, quænam illa vera ſit Eccleſia, cùm quiſq; ſuam, veram eſſe dicat: Eccleſiam accipimus, quæ omnium confeſſione vera fuit, & in ſubſtantialibus fidei non errauit, videlicet *Apoſtolicam primitiuam*, quæ per Sanctos Patres Spiritu diuino plenos, & Doctores ſuos, genuinum Scripturarum ſenſum edidit, & interpretata eſt: quæ interpretatio, cùm ab illa, vt ab ineffabili oraculo prolata ſit, certa, & infallibilis cenſeri debet, omnes verò aliæ ab illa diſſentientes, erroneæ, & falſæ. Si enim illa certa, & infallibilis non eſſet; Eccleſia Apoſtolica in ſubſtantialibus fidei erraſſet. Nunc autem, cùm Catholici probemus eodem modo nunc Romanam Eccleſiam Scripturas intelligere, prout eas interpretata eſt, & intellexit primitiua Apoſtolica Eccleſia, lis omnis omninò judicata eſt, & probatum Doctrinam Eccleſiæ primitiuæ Apoſtolicæ penitùs eandem eſſe, adeoq; æquè infallibilem, ac certam.

Hinc ergò patet quàm inaniter ad Scri- 33.
pturas Aduerſarii prouocare ſoleant; licet enim Scripturam ſolam, ſupremum, & authenticum in terris Iudicem controuerſiarum eſſe ſtatuant, ſingulis tamen, & omnibus vtcunq; doctis relinquunt poteſtatem, de controuerſis quæſtionibus, de Senten-

tijs, rationibus, & argumentis ab alijs sui similibus Doctoribus probatis, judicandi, improbandi, & statuendi, prout propria conscientia illorum cum Scripturis conuenire, vel ab ijs dissentire judicauerit, adeò vt illa ad sacram Scripturam prouocatio nihil aliud sit, quàm ad propriam conscientiam, vel (vt illi ajunt) ad proprium, & priuatum vniuscujúsq; spiritum prouocatio, totq; controuersiarum, & genuinæ Scripturarum explicationis judices constituantur, quot de illa inueniuntur litigatores, tot magistri, quot discipuli, quorum vnusquisq; suum proprium judicium omnium judicijs aliorum anteponit, & Dei Verbum esse jactat, quidquid in suâ conscientiâ, & à priuato suo spiritu sacræ Scripturæ consentaneum esse arbitratur.

34. Nunc judicet prudens Lector, an hoc sit controuersias componere, & non potius animas exasperare? an hoc sit Ecclesiam pacare, & non potius turbare? hæreses minuere, & non potius augere? Vna itaq; est profectò omnium ratio, vna omnium dissensionum occasio, quod tàm Lutherani, quàm Caluinistæ, tàm Anabaptistæ, quàm Sociniani, cæteriq; omnes tàm inter se inuicem, quàm contra hodiernam Ecclesiam Romanam digladientur, quia scilicet opiniones suas in Sacris literis fundari, aut ex illis

illis infallibili consequentiâ deduci posse, omni alieno judicio rejecto, in conscientiâ suâ judicant. Ex quo fonte quanta pernicies in humanum genus deriuetur, nec calamo satis exprimi, nec lachrymis deplorari potest.

Ad incommodum ergò tantum euitandum, omni homini salutem suam seriò cupienti, & in tantâ varietate certam, & veram Religionem inuestiganti, necessarium imprimis illud esse judicamus, quod per omnes hasce demonstrationes deducere, & omnium oculis exhibere fuimus conati. Scilicet 1. vt certò credat extra veram Ecclesiam, quæcúnq; & vbicúnq; illa sit, omninò neminem saluari posse; in quâ non solum interno animi affectu, sed etiam externâ sacrorum communione, & fidei confessione viuendum, & moriendum sit. 35.


Hanc autem Ecclesiam, medio à nobis præscripto quærendam, & agnoscendam esse; vt videlicet, cùm agnoscant cujuscúnq; Sectæ, & Religionis Christiani, Ecclesiam quæ primis quingentis à tempore Apostolorum, annis floruit, in nullo substanstiali fidei articulo errâsse; & consequenter, veram Ecclesiam fuisse; certum etiam, & indubitatum sit, eam quoq; Ecclesiam veram esse, & in nullo substantiali fidei articulo errare, quæ modò in omnibus 36.

essentialibus cum illa veteri, & Apostolica Ecclesia consentit. Hanc autem cùm per singulas Demonstrationes perspicuè probemus, solam Ecclesiam Romanam esse; facilè in cognitionem veniet, vt agnoscat Ecclesiam Romanam solam esse veram, et extra hanc nullum penitùs saluari posse. Quod cum gratiâ Diuinâ ductus seriò agnouerit, nihil obstabit, quò minus vitatis instar diræ pestis omnibus hæreticorum factionibus, cum timore salutem operetur, et piorum vestigijs majorum, qui in hac Ecclesiâ Romanâ beatè hinc migrârunt, inhærendo, virtutem, ac sanctimoniam eorundem æmuletur; vt tandem decurso vitæ hujus stadio, cum ipsis æternæ felicitatis metam consequatur.





De



De NVMERO SACRAMENTORVM.

DEMONSTRATIO I.

Quâ ostenditur Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia reijcit septenarium Sacramentorum numerum, quem tota primitiua Eccesia credidit & docuit.

CAPUT I.

Septenarius Sacramentorum numerus Apostolicis temporibus in Ecclesiâ primitiuâ fuit obseruatus. I.

SEptenarium Sacramentorum in Ecclesiâ verâ numerum non esse nouum, nec humanum inuentum, probat vnanimis, & vetustissimus Ecclesiæ primitiuæ consen-

consensus, ab ipsis Apostolorum temporibus, ad nos vsq; continuò deriuatus; quem demonstrant testimonia nunc adferenda SS. PP.um, & Conciliorum, à quibus licet disertis verbis non asseratur, singula vocari Sacramenta, (quod non est necessarium) rem ipsam tamen clarissimè demonstrant, idest, Cæremonias gratiam dantes, esse testantur. Et quoniam Aduersarij communiter agnoscunt duo Sacramenta, Baptismum, & Eucharistiam, nihil judicauimus de illis probandum esse; quocirca pro quinq; aliis videlicet, *Confirmatione*, *Pœnitentiâ*, *Extremâ Vnctione*, *Ordine*, *&* *Matrimonio*, testimonia producemus.

2. CONFIRMATIO.

Anno 80. CLemens Romanus Epistola 4. *Cum autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformis Spiritus gratiâ ab Episcopo confirmatus, quia aliter esse perfectus Christianus nequaquam poterit; vt à B. Petro accepimus, & cæteri Sancti Apostoli præcipiente Domino docuerunt.*

Item Constit: Apost: lib. 3. c. 17. *Datur Baptismus in mortem Filij DEI; aqua adhibetur pro sepultura, Oleum pro Spiritu sancto; Vnguentum est Confirmatio professionis.*

Quod etiam asserit, & docet Lib. 7. c. 23. Dio-

Dionysius Areopagita, Eccl: Hierarch: p. 3 de Confirmatione sic loquitur: *Illa perficiens vnctio ita facit perfectum fragrantiâ suauissimi odoris insignem; quippe Diuinæ generationis sacrosancta perfectio Diuino Spiritui, quæ fuerint perfecta conjunget; &c: Item cap: 4. clarius.* A. 100.

Hyginus apud Iuonem, lib. 1. & Gratian: de Consecrat: Distinctio: 4. *In Catechismo, & in Baptismo, & in Confirmatione, vnus Patrinus fieri potest.* A. 140.

Tertullianus de Resur: carnis, c. 8. *Caro vngitur, vt caro consecretur: Caro signatur, vt & anima muniatur; Caro manus impositione adumbratur; vt & anima spiritu illuminetur.* A. 200.

Vrbanus primus Epistola ad vniuersos. *Omnes fideles per manûs Episcoporum impositionem, Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.* A. 220.

Origenes Homil: 8. in Leuit: *Sic ergo conuersis à peccato, purificatio quidem per illa omnia datur, quæ superiùs diximus: donum autem gratiæ spiritus, per olei imaginem designatur, vt non solum purgationem consequi possit is, qui conuertitur à peccato, sed & Spiritu Sancto repleri.* A. 230.

Fabianus Epist: 2. *Ipsius Sancti Chrismatis confectio, per singulos annos in Cœnâ Domini est* A. 237.

ni est agenda, & de anno in annum renouanda, & fidelibus tradenda. Quia nouum Sacramentum est per singulos annos, & jam dicto die innouandum.

A. 250. Cyprianus Epist: 12. de Baptismo, & Confirmatione loquens: *Tunc demùm inquit, planè sanctificari, & filij DEI esse possunt, si Sacramento vtroq; nascantur.*

Et iterum, de Vnctione Chrismatis: *Sanctificatis elementis jam non propria natura præbet effectum, sed virtus diuina potentiùs operatur, & adest veritas signo, & Spiritus Sacramento, &c: hoc enim oleo cum spiritualibus nequitiis colluctamur.*

A. 305. Eusebius Papa, Epist: 3. *Manus impositionis Sacramentum magnâ veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus: nec tempore Apostolorum ab aliis, quàm ipsis Apostolis legitur, aut scitur esse peractum: neque ab aliis, quâm ab illis, qui Apostolorum tenent locum, vnquam perfici potest, aut fieri debet.*

A. 311. Melchiades ad Episcopos Hispaniæ: *Quæsistis, vtrum majus esset Sacramentum, manus impositio Episcoporum, aut Baptismus: Scitote, vtrumq; magnum esse Sacramentum. Ita conjuncta sunt hæc duo Sacramenta, vt ab inuicē, nisi morte præueniente, nullatenus possint segregari. Nam vnum præueniente morte saluare sine altero potest; aliud autem non potest: &c.*

Con-

Constantinus Imperator, in Priuilegio Rom: Eccl. describit ritum, modum, & verba, quibus confirmatus fuit à S. Syluestro. A. 320.

Concilium Eliberinum, Arelatense primum A. 325. Synodus Nicæna, Arelat. 2. mandauit expresse hoc Sacramentum suscipi ad excipiendam gratiam Spiritus sancti. A. 320.

Pacianus Serm: de Baptismo, Confirmationē Chrismatis Sacramentū appellat. A. 360.

Synodus Laodicensis Can: 47. amplam ejus mentionem facit.

Optatus Mileuitanus l. 7. contra Donatistas.

Ambrosius lib. 3. de Sacramentis, Confirmationem inter Sacramenta nominat. Idem facit lib. 6 c. 2. A. 370.

Cyrillus Hierosol. Catechesi: 3. mystagogicâ. A. 380.

Gregorius Nazianzenus, Orat: 40. quæ est in S. Baptisma.

Epiphanius Hæresi 21.

Damasus Epist: 4 de Chorepiscopis.

Prudentius lib: 1. contra Symmachum.

Hieronymus Dialogo aduersus Luciferianos, c. 4. A. 390.

Chrysostomus ad cap: 8. Act: Apost:

Augustinus lib: 2. contra literas Petiliani, cap. 104. *In hoc inquit, vnguento Sacramentum Chrismatis vult interpretari, quod quidem* A. 400.

quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.

POENITENTIA.

3. DVobus potissimùm modis ex testimoniis veterum intelligi potest, quæ fuerit eâ de re Ecclesiæ primitiuæ sententia.

Primò enim Patres non rarò, cùm vera Sacramenta enumerant, Pœnitentiam illis adjungunt. Deinde etiam sæpè cum Baptismo Pœnitentiam conferunt, ac docent in vtroque Sacramento Deum esse, qui potissimum operatur. Quod in primis testatur:

Anno 80. Clemens Romanus, Constit: Apost: l. 2. cap: 13. & cap: 14.

A. 100. Ignatius Epistolâ ad Philadelphienses. Dionysius Areopagita Ep: 8. ad Demophilum.

A. 120. Hermas similitudine 8.

A 160. Iustinus Mart: Dialogo cum Tryphone.

A. 180. Irenæus lib: 1. c. 37.

A 200. Clemens Alexandrinus de Adolescente lapso.

A. 200. Tertullianus lib: de Pœnitentia c. 2. 4. & 7.

A. 218. Calixtus Epist: 2.

A. 230. Origenes Homil: 1. in Hieremiam.

A. 250. Cyprianus Epist: 52. ad Antonium, & Ep. 54. & de lapsis, Basi-

Basilius Magnus Serm: de Pœnitentiâ. *A.370.*

Pacianus Epist: 1. ad Sympronianum Nouatianum.

Ambrosius innumeris locis, vt & Hieronymus sæpissimè

Deniq; Augustinus de Adulterinis conjugiis l. 1. c. 26.

Eadem est causa Baptismi, & reconciliationis, sine quibus Sacramentis homines credunt se non exire de corpore. *A. 400.*

Et aliis multis in locis in eundem sensum. Omitto breuitatis causâ innumeros pœnè Doctores idem sentientes.

EXTREMA VNCTIO.

PRo Sacramento Extremæ Vnctionis stat etiam primitiua Ecclesia. Nam Primò 4.

Concilium Nicænum primum, Can: 69. Arabico: *Transacto Anno debet Sacerdos benedicere Aquam & Oleum, non sicut fit in Baptismo, neque sicut benedicitur Chrisma, sed sicut Oleum infirmorum.* *A.325.*

Ambrosius in Missali, formulam conferendi hoc Sacramentum describens, *vt susceptione præsentis Olei,* (inquit) *Sancti Spiritus gratia salutaris fuget insidias Aduersariæ potestatis, debilitationē expellat, & plenariam conferat sospitatem, in nomine Domini, &c.* *A.370.*

Hieronymus in vitâ Hilarionis, & in cap: 14. Oseæ. *A.390.*

Chry-

A. 400. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio: *Sacerdotes non solum cùm nos regenerant, sed postea habent potestatem indulgendi peccata. Infirmatur quis*, inquit Apostolus, *in vobis? accersat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo, in nomine Domini, &c.*

Augustinus Serm: 215. de tempore: *Quoties aliqua infirmitas superuenerit, Corpus & Sanguinem Christi, ille qui ægrotat, accipiat, & indè corpusculum suum vngat, & illud quod scriptum est impleatur in eo.*

Infirmatur aliquis, inducat Presbyteros &c. quod quidem aliis multis in locis inculcans, asserit hanc Vnctionem animæ salutem conferre.

A. 406. Innocentius I. Epist: 1. ad Eugubinum c. 8. dicit expressè, & clarè hanc Vnctionem esse Sacramentum à Iacobo explicatum, & ideò non dari ijs, qui non sunt capaces aliorum Sacramentorum Nec vllus vnquam veterum eum reprehendit, quod Vnctionem Infirmorum, Sacramentum esse docuerit.

ORDO.

5. ORdinem Sacramentum esse, ex totius primitiuæ Ecclesiæ testimonijs constat, vt ea omittam innumera, ex quibus

bus hoc manifestè colligi potest, aliquos tantum Patres adducemus, qui expressè affirmârunt Sacramentum esse, & gratiam conferre.

Dionysius Areopagita Ecclesiasticæ Hierarch: cap: 5. de ritu ordinandorum agit, & ostendit eo ritu gratiam conferri, ac proindè Sacramentum esse. Quod testimonium ipse etiam Lutherus admittit lib: de captiuit. Bab: cap: de Ordine. A. 100.

Cyprianus de cardinalibus Christi operibus, Ordinationem Sacramentum vocat, & cum Baptismo confert. A: 250.

Docemur, inquit, *quæ sit Baptismi, & aliorum Sacramentorum stabilitas. Nam Baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ, & semel sanctificatis nulla deinceps manus consecrans præsumit accedere: nemo sacros Ordines Presbyterorum, &c. semel datos iterum renouat &c.*

Leo Magnus Epist: 81. ad Dioscorum c. 1. Ordinationem Sacramentum vocat, & jubet à jejunis dari, & accipi, idq; summa cum deuotione: vbi apertè indicat in eo Sacramento gratiam conferri. Et Epist: 87. ad Episcopos Mauritaniæ, c. 1. de Ordinatione loquens: *Quis*, inquit, *dissimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam?* A. 450.

Hæc ille. Audis hîc nomen Sacramenti? Item

Item S. Gregorius I. lib: 4. Comment: in Lib: Reg: cap. 5. in ipſo initio de Sacramento Ordinis loquens: *Is*, inquit, *qui promouetur, benè foris vngitur, ſi intus virtute Sacramenti roboretur.*

Deniq; inſtar omnium ſit S. Auguſtinus, qui lib: 2. contra Parmenianum, capite 13. clarè aſſerit, Ordinem eſſe Sacramentum, ſic enim ait: *Ipſi explicent, quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, & Sacramentum Ordinati poſſit amitti. Si enim vtrumq; Sacramentum eſt, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur? neutri Sacramento injuria facienda eſt.* Quod multis alijs in locis ſæpè repetit, adeò vt in duobus capitulis plùs quàm decies Ordinatio ab Auguſtino Sacramentum appelletur, cum Baptiſmo conferatur; ac eodē modo dicatur eſſe Sacramentum; imò eâ de veritate neminem dubitare aſſerat. Vndè hic locus inſtar plurimorum eſt. Si enim Auguſtinus non mentitur, omnes eius temporis auctores, imò etiam omnes populi id credebant, quod nos modò credimus.

MATRIMONIVM.

6. MAnifeſtè falluntur Aduerſarij, Chemnitius, & multi ejus ſequaces, dùm dicunt, vel ante Auguſtini, vel Gregorij tempora, Matrimonium nunquam

vocatum

vocatum fuisse Sacramentum, quod sequentibus testimoniis confutamus.

Tertullianus aduersus Valentinianos, cap: 30. *Nam & honorandorum Conjugiorum supernorum gratia dicitur apud illos meditandum, atq; celebrandum semper Sacramentum, comiti, hoc est, fæminæ adhærendo* A. 200.

Idem de Anima, cap: 21.

Lactantius in Epitome diuinarum Institutionum, cap: 8. A 320.

Qui habet conjugium nihil quærat extrinsecus: sed contentus eâ solâ carnem castiget, inuiolati cubilis Sacramenta custodiat &c.

Idem lib: 6. in Lucam, c. 8. *Nec putet aliquis offendiculum esse pietatis, vbi mandatum legis impletur. Si enim relinquit homo Patrem, & Matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vnâ, rectè Sacramentum hoc in Christo seruatur, & Ecclesiâ.*

Augustinus de Nuptiis, & concupiscentia, lib: 1. cap: 10. A. 400.

Quoniam sanè non tantum fæcunditas, cujus fructus in prole est: nec tantum pudicitia, cujus vinculum est fides: verùm etiam quoddam Sacramentum Nuptiarum commendatur fidelibus, &c. & paulò pòst: Hoc custoditur in Christo, & in Ecclesiâ, vt viuens cum viuente in æternum nullo diuortio separetur. Cujus Sacramenti tanta obseruatio est, vt in Ecclesiâ Christi, &c.

Idem de fide, & operibus l. 1. c. 7. *In Ecclesiâ Nuptiarum non modò vinculum, verum etiam Sacramentum ita commendatur, vt non liceat viro vxorem alteri tradere;* & aliis multis in locis.

A 450. Leo I. Epist: 92. ad inquisitiones Rustici, cap: 4. *Vnde enim societas Nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi, & Ecclesiæ Sacramentum, dubium non est eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in quâ docetur nuptiale non fuisse ministerium.*

A 570. Theodoricus Rex, apud Cassiodorum lib: 2. Epist: 10. *Non dissimulari potest salvâ communione, quâ viuitur, vt sollicitatores publicos habeat genialis thori reuerenda societas, & illud humani generis procreabile Sacramentum sceleratâ temeritate prophanetur.*

7. Pauca hæc adduxisse sufficiat Sacramenti Matrimonii è primitiuâ Ecclesiâ testimonia, quibus sufficienter retunditur Aduersariorum temeritas, asserentium nouum Catholicorum esse commentum, inter vera Sacramenta connumerare Matrimonium.

Quod autem primis illis temporibus tàm Matrimonium, quàm alia omnia Sacramenta, non sæpiùs, & expressè Sacramenta fuerint appellata; non alia est ratio, quàm

quàm quod in re clarâ, de qua nemo tunc dubitabat, non habuerint Doctores occasionem ſcribendi. Nam neq; hæc jam adducta teſtimonia pleriq; poſuiſſent, niſi vel interrogati, vel ad majorem reuerentiam inculcandam, coacti fuiſſent hæc teſtimonia dare.

Deniq; his pro omnibus Sacramentis ſtabiliendis, accedat teſtimonium Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ, quæ ab annis ab hinc quingentis floruit. His enim quingentis annis ante Lutherum, ſeptem Sacramenta hæc, tanquam verè, & propriè talia, numerata, & agnita fuiſſe negari, ne quidem ab ipſis Aduerſariis poteſt; vt ex pluribus Doctoribus, & Conciliis conſtat; Quod non dico quaſi ignorem hoc totius Eccleſiæ teſtimonium nihili fieri ab Aduerſarijs; ſed vt omnes intelligant, vel totis illis annis quingentis Eccleſiam vniuerſam in errore grauiſſimo fuiſſe verſatam (quod fieri non poteſt, cùm ſit firmamentum, & columna veritatis, 1. Timoth: 3.) aut certè verum eſſe, quod nos ab eadem Eccleſia de numero ſeptem Sacramentorum accepimus. Hanc autem Eccleſiam, quæ ab Annis quingentis peregrinata in terris eſt, veram fuiſſe Chriſti Eccleſiam, & cum illâ primitiuâ continuatam, vel vno hoc argumento ſatis conuincimus: quia cùm nul- 8.

la alia Ecclesia ab Aduersariis demonstretur, quæ talis his quingentis annis sine interruptione sparsa fuerit; aut hæc nostra vera Ecclesia fuit, aut omninò nulla fuit. Nullam verò fuisse, nunquam affirmabit, qui hæc verba Christi vera crediderit: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Matth. 16.* Quod autem de inuisibili Ecclesia fabulantur nonnulli, satis refutauimus parte 1. Demonstrationum nostrarum in Introductione de Ecclesia.

CAPUT 2.

Confirmatur Sententia Catholica, de septenario numero Sacramentorum.

9. OBseruandum est primò Aduersarios à Catholicis exigere non posse, vt ostendant, vel in Scripturis, vel à Primitiuæ Ecclesiæ Patribus nominatim septem Sacramenta designata fuisse; cùm nec ipsi nomen duorum vel trium ostendere possint.

Scriptura enim, & Patres non scripserunt Catechismum, vt nunc propter varias Sectas necessarium est; sed tantum variis in locis pro occasione nobis ea tradiderunt.

runt. Sed neque alios fidei Articulos numeratos nobis reliquit; nuſquam enim dicit Scriptura, quot ſint. In hoc itaq; numero ſtare debemus Auctoritati Eccleſiæ, quæ tanta eſt, vt ſicut ſine ea non poſſemus ſatis perſpectum habere, quænam ſit ratio, & eſſentia; ſeu materia, & forma Baptiſmi, & Euchariſtiæ; quæ duo omnes vt Sacramenta agnoſcunt, (licet enim dixerit Chriſtus Apoſtolis vt baptizarent *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, itémq; Euchariſtiam ſub eâ formâ tradiderit, *hoc eſt enim Corpus meum*, non tamen ideò ſciremus in ijs ipſis verbis ejuſmodi Sacramentorum formam, & eſſentiam conſiſtere; vel neceſſariò, illa per modum formæ adhibenda, & clarè pronuncianda eſſe, niſi id Eccleſiaſtica traditio docuiſſet) ſic etiam ſine eâ non poſſumus habere Sacramentorum ſeptenarium numerum.

Obſeruandum ſecundò eſt, à nobis Ad- 10.
uerſarios non poſſe repoſcere, vt oſtendamus nomen *Sacramenti in Scripturis*, Confirmationi, vel Ordini &c attributum eſſe. Nam non diſputamus de nomine, ſed de re. Neq; ipſi oſtendere poſſunt, nomen *Sacramenti* Baptiſmo, vel Euchariſtiæ, vnquam in ſacris litteris attributum fuiſſe, ſed ſoli Matrimonio, quod pleriq; tamen negant eſſe Sacramentum. E contra *Sacra-*

menti nomen in Scripturis multis rebus tribuitur, quæ omnium confessione Sacramenta non sunt.

11. Satis ergò erit, si ex Scripturis ostendamus (quod ex Traditione supra demonstrauimus) definitionem Sacramenti conuenire ritibus, non paucioribus, nec pluribus quàm septem; Quod ipsum ex Sacramenti definitione clarissimè demonstrari potest; nam licet in explicanda definitione Sacramenti non conueniant in omnibus Aduersarij nobiscum, in generali tamen definitione quadam conuenimus, videlicet: *Quod Sacramenta sint ritus, seu signa externa, seu sensibilia, quæ ex diuinâ institutione annexam habent promissionem gratiæ justificantis.* His positis probemus hæc quinq; Sacramentis conuenire, omissis Baptismo, & Eucharistiâ, de quibus non est quæstio. Ac inprimis de Confirmatione agâmus.

CONFIRMATIO EST Sacramentum.

12. VT Confirmatio verum Sacramentum dici possit, tria requiruntur. Primò signum sensibile, seu externus ritus. Secundò, Promissio gratiæ. Tertiò, Institutio, seu mandatum Christi.

Ritum externum habemus, Act:8 vers: 15. Estq; manuum impositio. *Tunc imponebant*

bant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Idem habetur Act: 19. v. 6. Quod autem cæremonia hæc fuerit ordinaria, & vsitata, colligitur ex historiâ Simonis Magi, qui, cùm videret per impositionem manuum Apostolorum dari Spiritum sanctum, dixit: *Date mihi & hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.*

Ex quibus deducitur secundum, videlicet effectus, qui erat gratia, seu acceptio Spiritus sancti, qui promissus fuit Ioh: 14. v. 6. vbi promittit Christus Paracletum in omnibus aduersis, & Ioh: 15. v. 26. Qui faciat discipulos fortes in testificatione veritatis. Item cap: 16. v. 8. Lucæ vlt. v. 49. & Act: 1. v. 8. Hæc autem jam baptizatis promittuntur, & quidem, vt ampliori gratiâ Spiritus sancti, fiant in fidei confessione fortes; Qui est proprius effectus Confirmationis. Tertium, quod erat institutio, seu mandatum, deducitur ex facto, seu exemplo Apostolorum. Nunquam enim Apostoli sic ordinariè, & securè baptizatis omnibus imposuissent manus, vt super eos Spiritus sanctus veniret, nisi hoc eis Dominus mandasset. Præsertim cùm non ignorarent non posse vllum hominem instituere cæremoniam, ad quam gratia Spiritus sancti sequeretur. Huic autem manuum

 im-

impositioni conjunctam fuisse vnctionem, & signum Crucis, testatur Ecclesia tota primitiua, vt cap: 1. supra de Confirmationis Sacramento demonstrauimus PP. um testimonijs.

POENITENTIA.

13. POenitentiam quoq; hæc tria continere, ideoq; Sacramentum esse, constat ex Ioh: 20. v. 22. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hic habemus primò ritum externum; nam Dominus non concessit remittendi peccata potestatem, quin signo aliquo externo eam voluerit exerceri, nec ea exerceri potuit, nisi pœnitens visibili aliquo signo, peccata se fateri demonstraret, omnia igitur illa signa Pœnitentiæ, & verba Absolutionis, signa sunt exteriora justificantis gratiæ; cujus promissio demonstratur ex illis verbis: *Remittuntur eis.* Mandatum autem in illis verbis continetur: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, vnde dicit Apostolus 2. Corinth: 5. *Pro Christo legatione fungimur.* Quæ adeò clara sunt, vt ideò ipsemet Lutherus in lib: de capt: Babylon: & Anno 1523. ad Pragenses de instituendis Ministris, & Anno 1534 in lib: de Missâ priuatâ, & Anno 1545. qui fuit penultimus

ultimus vitæ ipsius, Pœnitentiam agnouerit esse Sacramentum, & in Assertionibus contra Louanienses, cujus verba hæc sunt, Assertione 35. *Pœnitentiam cum virtute clauium absoluentium, Sacramentum libenter confitemur; habet enim promissionem, & fidem remissionis propter Christum.* Cur nunc ejus discipuli à Magistri sui doctrinâ recedentes, Pœnitentiam Sacramentum esse negant?

EXTREMA VNCTIO.

OMnia ad Sacramentum requisita, Sacras literas in Extremâ Vnctione ponere, constat ex Iacobi 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ,* vbi assignantur proprii Ministri. *Et orent super eum, vngentes eum oleo.* Vbi ritus, & externa signa cum institutione explicantur. *Et alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Vbi promissio ostenditur, eodem modo quo in Baptismo, Marci vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Promissio autem non solum est corporalis valetudinis, sed etiam gratiæ, seu remissionis peccatorum. Nec generalis, sed particularis, *vngentes eum.* Mandatum verò Christi ex eo colligitur euidenter, quod non sic absolutè tantum effectum promittere auderet

14.

Apostolus, nisi à Domino id accepisset, vt supra diximus in Sacramento Confirmationis. At præter has conditiones nulla restare potest, ad legitimam Sacramenti nouæ legis rationem, ergò Extrema Vnctio tale Sactamentum est.

ORDO.

15. ORdinem nemo ante Lutherum Sacramentum esse negauit. Tota autem primitiua Ecclesia asseruit sacram Scripturam secuta. Ritus enim ejus externus, est manuum impositio 1 Timoth:4. v.14. vbi simul est promissio gratiæ: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cùm impositione manuum Presbyteri,* & 2. Timoth:1. *Admoneo te, vt resuscites gratiam DEI, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* Deniq; institutio, & mandatum. Ephes: 4. *Ipse dedit quosdam Apostolos, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores, &c.*

Et Act: 20. *In quo vos* (inquit Paulus) *Spiritus sanctus posuit Episcopos.* Et præterea non poterat Apostolus scire datam esse Timotheo gratiam per impositionem manuum, nisi didicisset à DEO, gratiam eo signo conferri. Ergò cùm habeat omnia Ordo, quæ ad Sacramentum requiruntur, sequitur, quod verum sit Sacramentum.

MATRI-

MATRIMONIVM.

QVidquid est institutum à Deo, & est rei sacræ Symbolum, & habet promissionem gratiæ sanctificantis, est Sacramentum. Sed tale quippiam est Matrimonium, ergò est Sacramentum. Major certa; minor probatur quo ad primum, quod sit institutum à Deo, Gen 2.v.18. 19 Et in Nouo Testamento Matth: 19 v.6. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, ait Christus, & alibi Paulus. 16.

Quo ad secundum: Habemus nomen ipsum Sacramenti, ex Eph: 5. v.32. *Sacramentum hoc magnum est*, &c: vbi licet in Græco legatur *Mysterium*, non tamen ad Christi, & Ecclesiæ conjunctionem refertur, vt hæretici volunt, sed ad conjunctionem viri, & fœminæ, vt passim Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, & cæteri testantur.

Est præterea hîc ritus, seu signum externum, quod consistit in contractu visibili, inter virum, & fœminam, de quo propriè dicit Apostolus, quod sit magnum Sacramentum.

Deniq; Tertiò: Gratiam ex hoc ipso loco Pauli colligimus annexam, dùm Matrimonium ait magnum esse Sacramentum, in Christo, & Ecclesia. Cùm enim asserat

Apo-

Apoſtolus per conjunctionem matrimo-
nialem inter Chriſtianos, ſignificari con-
16. junctionem Chriſti cum Eccleſiâ, debet ne-
ceſſariò ſignificari conjunctio per gratiam
quæ eſt inter fideles conjugatos. Duplex e-
nim eſt conjunctio Chriſti cum Eccleſiâ, v-
na eſt per naturam humanam, altera eſt per
gratiam.

De Prima dici nequit, eò quod non Ec-
cleſiæ tantum, ſed vniuerſo generi huma-
no per carnem Chriſtus ſit conjunctus.

Ergò de altera dicendum eſt. Quaſi Pau-
lus ſic comparationem hanc formâſſet: ſi-
cut inter fideles conjugatos ſupra contra-
ctum ciuilem, etiam eſt vnio ſpiritualis a-
nimorum viri, & vxoris; ita inter Chri-
ſtum, & Eccleſiam ſupra conformitatem
illam naturæ, quæ omnibus eſt communis,
eſt præterea conjunctio gratiarum, quæ
propria eſt Eccleſiæ. Ergò fatendum eſt,
per matrimonium fidelium, ex ipsâ Chri-
ſti inſtitutione, conjuges ſpiritualiter quoq;
conjungi; atque adeò conferri gratiam.
Oſtenſis ergò hîc omnibus ad Sacramen-
tum requiſitis, ſequitur, vt cum Eccleſiâ v-
niuersâ concludamus Matrimonium ve-
rum Sacramentum eſſe.

17. Ex his ergò dictis omnibus conſtat ſe-
ptem eſſe ritus, ſeu ſacras cæremonias, qui-
bus omnia conueniunt, quæ ad Sacramen-
ti pro-

ti propriè dicti rationem, & essentiam requiruntur; vt proindè verè Sacramenta dici possint, atq; debeant Quod autem plures tales ritus in Ecclesiâ non inueniantur, indè patet, quòd Aduersarij nullum assignare possint. Nam licet nonnulli varios producere nitantur, de omnibus tamen certum est, quod vel in Scripturis non inueniantur, vel à Christo non sint instituti, nec vllam promissionem habeant gratiæ, gratum facientis. Sed nec lotio pedum, Ioh: 13. quam aliqui allegant, Sacramentum esse potest; nam per illa verba: *Nisi lauero te, non habebis partem mecum*, Christus non promittit justificantem gratiam, (vt quidam volunt Aduersarii) sed minatur pœnam ob inobedientiam, vt S. Chrysostomus, Cyrillus, Basilius, aliiq; Patres explicant. Deindè nullum est mandatum, seu institutio hujus Sacramenti frequentandi; alioquin omnes ferè homines peccarent, qui non vtuntur illâ cæremoniâ, quæ neq; in primitiuâ Ecclesiâ semper fuit obseruata. Vt omittam rationes alias, quibus facilè probari potest, neq; Lotionem, neq; aliam vllam sacram cæremoniam, præter supradictas septem, esse Sacramentum. Numerum hunc septenarium confirmat similitudo, quæ inter corporis humani, & Animæ vitam conseruandam intercedit. Ad corpus

corpus enim per se necessaria est generatio, augmentatio, nutritio, remedium contra morbos, & per accidens contra reliquias morbi; Deinde Patres, qui vitam corporalem propagent, & Magistratus qui ordinent. Ita in vitâ spirituali requiruntur generatio, quæ fit per Baptismum. Augmentatio, quæ fit per Confirmationem. Nutritio, per Eucharistiam. Remedium contra morbos, per Pœnitentium. Contra peccatorum reliquias, per Extremam Vnctionem. Per Matrimonium propagantur homines, ad cultum Diuinum deputandi; Per Ordinem verò gubernantur. Ita D. Thomas contra Gentes lib: 4. c. 5. 8.

18. Deniq; præter Scripturarum Auctoritatem, quam adduximus, præter perpetuam ac constantem Ecclesiæ primitiuæ doctrinam, ac Traditionem, septenarium Sacramentorum numerum, ex Aduersariorum inconstantiâ, & dissensione, quam optimè confirmamus. Nam quia à Scripturis, & Traditionibus, hoc est à veritate, deflexerunt, nullam Sectam vnquam inuenire fuit, quæ constantem aliquam doctrinam de Sacramentorum numero teneret. Vt veteres hæreses omittam, tantum horum temporum aliquas producam.

Lutherus in lib. de captiuit: Babylon: initio quandoq; asseruit, si secundum vsum

Scriptu-

Scripturæ sit loquendum, tantum vnum esse Sacramentum Ibidem tamen dicit, neganda esse septem Sacramenta, sed tria pro tempore ponenda; *Baptismum*, *Panem*, & *Pœnitentiam*. In fine dicit, si rigidè volumus loqui, duo tantum esse Sacramenta: *Baptismum*, & *Panem*. In medio libri, cap: de Confirm: ait, se non damnare septem Sacramenta, sed tantum negare, ea ex Scripturis probari posse, quem hac in re duobus ab obitu annis secuti sunt, Anno 48 in Conciliabulo quodam Lipsensi, plures; qui teste *Sleidano, l. 20. Histor:* ideò Lutherani molles appellati sunt. *Melanthon verò in locis Anno 21. & 22 cap: de signis. Jllyricus in Confess: Antuerp: cap: 11. & 18. Chemnitius 2 part: Examinis, de num: Sacram: & Hunnius cap: 4. de Sacramentis:* quamuis alioquin in Confessionem Augustanam, & ejus Apologiam jurati, Duo tamen Sacramenta tantum posuerunt, Baptismum, & Eucharistiam, quos Brochmannus, & VVratislauienses sequuntur. Apologia verò Confessionis Augustanæ Art: 13. quam libro Concordiæ insertam alii Lutherani communiter, & ferè omnes eorum Catechismi, ac libri rituales sequuntur, asserit verè, & propriè *tria esse Sacramenta, Baptismum, Cœnam, & Absolutionem*, Caluinus his etiam ordinem adjungit, sed delet *Absolutionem*,

solutionem; cujus loco *Zvvinglius* ponit etiam Matrimonium. Omitto alias innumeras dissensiones, tàm Lutheranorum inter se inuicem, quam Caluinistarum, & aliarum Sectarum.

Ex quibus deducitur primò, mira omnium inconstantia. Secundò, non posse apud Aduersarios veram esse Ecclesiam; cùm enim juxta omnes Lutheranos veræ Ecclesiæ nota præcipua sit, in Doctrinâ Sacramentorum, consensus, qui inter illos non est; non erit apud illos præcipua nota, & consequenter erit falsa Ecclesia.

Poterit ergò quicunq; cordatus Christianus hanc Aduersariorum inconstantiam, & dissensionem de numero Sacramentorum; cum constantiâ, & perpetuâ, ac nunquam mutatâ, vel interruptâ Catholicorum concordiâ, & confessione comparare; & facilè veritatem eliciet.

CAPUT 3.

Objectiones Aduersariorum refelluntur.

19. BRochmannus, quia numerum illum septenarium Sacramentorum, generaliter conuellere nequit, vtpotè nullâ Scripturâ, vel Traditione munitus, quæ ambo

ambo pro Catholicis pugnant, singula nititur euertere.

Ac inprimis *contra Confirmationem* sic obijcit primò: Ex nullâ Scripturâ probatur Confirmationis Sacramentum, cujus pars essentialis est ille ritus externus, Vnctionis Chrismatis. Qui ritus, cùm sit inuentum humanum, in nullâ Scripturâ fundatum, Sacramentum dici non potest. Respondeo; licet nullibi, ritum hunc Vnctionis expressè scriptum inueniamus, falsum tamen est, inuentum esse merè humanum. Nam cùm Apostoli eo ritu manus imposuerint recepturis Spiritum sanctum, quem illos docuit Christus; & illi imponendo manus, simul etiam vsi Chrismate fuerint, ritus ille Vnctionis non potest dici inuentum humanum, sed institutum diuinum. Quod autem Apostoli fuerint vsi Chrismate, siue quod vnxerint, testantur Apostolorum coætanei, *Clemens*, & *Dionysius* locis cap: 1. citatis, cujus Vnctionis prætereà meminerunt, vetustissimi Patres *Theophilus Antiochenus*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Cornelius*, *Origenes*, & alij plurimi supra allati, cum totâ primitiuâ Ecclesiâ, quæ falli non potuit.

Ergò hæc Vnctio fuit diuina, & instituta à Christo.

Quod autem replicant aliqui, certum

esse, Spiritum sanctum acceptum fuisse à multis sine Chrismate, Act: 2. & 10. fatemur esse verum; negamus tamen, in his locis ministerio Sacramentorum datū fuisse Spiritum Sanctum, sed singulari priuilegio datum à Deo effectum Sacramenti sine Sacramento.

20. *Contra Pœnitentiæ Sacramentum* obijcit illud tritum, & vulgare; nusquam in Scripturis reperiri *dolorem*, qualem ad hoc Sacramentum Catholici requirunt. Non esse virium humanarum, nec liberi arbitrij, sed Spiritus sancti opus. Confessionem quoq; singulorum peccatorum, ait non haberi in Scripturis. Deniq; Satisfactionem, quæ pars est pœnitentiæ, asserit in meritū Christi extremè injuriam esse. Ergò Pœnitentia, qualem ponimus Catholici, non potest esse Sacramentum; euersis enim partibus ejus essentialibus, & fundamentis, totum ædificium ruere necesse est.

Verùm cùm ad has tritas cantilenas respondeamus ex professo, in demonstratione sequenti de Confessione Auriculari, vbi ostendemus illam juris diuini esse, & consequenter sic à Christo institutam; non est quod illis probandis vlteriùs immoremur.

Dico ergò, in Scripturis passim comendari dolorem, qualem requirimus Catholici. Secundò, Confessionem quoq; judicialem

ciale à Christo institutã esse. Tertiò, Satisfactionẽ non asserimus esse partẽ essentialem Sacramenti, sed tantum integralem. Vnde sequitur, nihil esse ad rem, quod contra illam obijcit Brochmannus. Operibus autem Satisfactionis non fieri injuriam Christo, eaq; gratiâ jam informata verè esse meritoria, ac per ea nos posse pro peccatis nostris satisfacere; fusè docuimus in Demonstrationibus de Meritis bonorum operum, & de Impletione legis, ad quas Lectorem beneuolum remitto.

Contra Extremam Vnctionem tale format Argumentum Brochmannus:

Si Extrema Vnctio foret Sacramentum, id potissimùm colligeretur ex Iacob: 5. v. 14. sed indè non colligitur, Ergò. Minorem probat; quia in illo loco tantùm agitur de extraordinariâ, & miraculosâ sanatione, per inunctionem, ergò non de Sacramento, quod omnibus commune, & perspectum esse debet: solis enim sui temporis hominibus, loquitur Apostolus, tunc cum sanitatum gratia vigebat: Nullâ enim particulâ significauit, hunc ritum ad posteros transire, sicut de Baptismo, & Eucharistiâ dicitur. Verùm hîc non agi de miraculosâ sanitate, seu miraculorum dono, multis rationibus conuincitur. Primò: Quia illud extenderetur ad quoslibet cor- 21.

pore miseros, cæcos, claudos, qui non decumbunt, neq; de vitâ periclitantur; donũ enim miraculorum omnibus corporis defectibus commune est; locutus ergò generalius fuisset. At solùm de morbis grauibus, & periculosis, sermonem Apostolo fuisse, testantur ea verba: *Infirmatur quis in vobis.* Secundò non restrinxisset ad Presbyteros, siue Seniores, quos solos jussit ad hoc munus aduocari; qui tamen soli non habebant donum curationum; neq; etiam habebant omnes, sed debuisset dicere Iacobus, vt Prophetæ, vel alij nominatim, qui prædìti dono miraculorum erant, vocarentur. Tertiò, si per miraculum curari debuissent, non præscripsisset materiam, seu oleum Iacobus; qui enim donum miraculorum habet, adhibet quod illi inspirat DEVS; nec aliquibus certis rebus Virtus miraculorum alligatur. Quartò: Verisimilè non est Apostolum jussisse fidelibus, quærere miracula, signa enim sunt infidelium, non fidelium Quintò: Cùm dicat Apostolus: *Oratio fidei saluabit*, si de curatione corporali per donum miraculorum intelligatur, nulli Apostolorum tempore excessissent è viuis, nisi qui Iacobo non obediuissent. neq; illud: *Si in peccatis fuerit, dimittentur ei*, referri potest ad corporalem sanitatem, quia ad animam expresŝè pertinet; & donum

num curationis ad corpus potissimùm refertur. Sextò: Deniq; cùm nihil in totâ hac epistolâ præcedat, aut sequatur, quod non pertineat ad omnes Christianos; nulla omninò est ratio negandi solam hanc periodum de Vnctione sacrâ ad nos omnes pertinere: & licet in Scripturâ non ponatur verbum aliquod expressum, denotans perpetuitatem; non est vllo modo necessarium (nam neq; de Baptismo quidpiam habetur: illud enim: *Ecce ego vobiscum sum:* necessariò non refertur ad Baptismum) sed sufficit, id colligi ex Scripturâ, & Ecclesiæ Traditione vetustissimâ, perpetuoq; vsu.

Contra Ordinis Sacramentum duo obijcit Aduersarius.

Primò: Per Ordinem non conferri gratiam justificantem, aut gratum facientem. 22.
Secundò: Ordinem non posse dici Sacramentum Noui Testamenti, cum & veteri, & nouo fuerit commune. Respondeo ad primum, falsum illud esse; quod vt commodè intelligatur, aduertendum est, Sacramenta quædam ad tollenda mortalia peccata, & justificandum hominem, seu gratiam primam conferendam instituta esse, vt *Baptismus, & Pœnitentia,* quæ proindè *Sacramenta mortuorum appellantur.*

Reliqua Sacramenta sunt viuorum, id est, per se instituta pro justificatis ad justitiæ

augmentum, seu gratiam secundam conferendam. Et hæc subjecto jam antea justificato, verè conferunt augmentum gratiæ, eo modo, quo illud conferunt Baptismus, & Pœnitentia jam antea justificato. Si verò in subjecto gratiam primã non inueniant hæc viuorum Sacramenta, probabile est quod operentur, & eam conferant; modo in suscipiẽte nullus obex justificationis adsit: sed siue illud faciant, siue non; sufficit ad rationem Sacramenti, quod in subjecto jam antea sanctificato, gratiæ augmentum, seu gratiam gratum facientem conferant. Et hoc in Sacramento Ordinis specialiter contingere, testatur Paulus 2. Timoth: 1. v. 6. *Admoneo te, vt suscites gratiam DEI, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.*

Per illam autem gratiam non significari gratiam, vel donum gratis datum. v. g. docendi, vel regendi (vt volunt Aduersarij) sed gratiam gratum facientem; euidenter Apostolus verbis sequentibus declarat v. 7. sic dicens: *Non enim dedit nobis DEUS Spiritum Timoris, sed Virtutis, Dilectionis, & Sobrietatis.* Ergò gratia Timotheo donata in Ordinatione, quam ab illo suscitari vult Apostolus, est Spiritus Timoris, Virtutis, & Dilectionis. Ita omnes Ecclesiæ primitiuæ Patres explicant. Ad secundum quod

quod attinet, respondeo: ex eo, quod Ordo in veteri Testamento non fuerit Sacramentum, non sequi in Nouo etiam non esse. Nullum enim in Veteri Testamento mandatum de Prædicatione, datum legimus. Nullam vllibi concessam, Vinum, & Panem in Sanguinem, & Corpus Christi transmutandi, vel peccatores absoluendi potestatem; neq; certam gratiæ promissionem factam inuenimus. Quæ cùm Ordini Noui Testamenti sint concessa, erit ille Sacramentum, non autem Veteris Testamenti.

Contra Sacramentum Matrimonij tribus 23.
vrget Brochmannus argumentis. Primò; si propterea Matrimonium annumeretur Sacramentis, quia est imago quædam conjunctionis Christi cum Ecclesiâ, temeraria est assertio; Primò, quia capitis, & membrorum, Vitis, & Palmitum arctissima conjunctio adumbrat etiam Christi, & Ecclesiæ conjunctionem. Rom: 12. v 45. 1. Cor: 12. v. 12. Secundò: Conjugium cum ipsâ mundi origine cœpit Gen: 1. & 2. Quâ ergò veri specie Noui Testamenti Sacramentis adnumerari poterit à Christo demùm institutis? Tertiò: Si Matrimonium sit Sacramentum, quo jure Catholici à Matrimonio Sacerdotes arcent?

Respondeo ad primum; nihil illud facere 24.
ad rem; nam licet Vitis, & Palmites Chri-

sti, & Ecclesiæ conjunctionem adumbrent; ideò tamen Sacramentum non est. non enim ex quolibet signo Sacramentum colligitur, sed tantùm ex eo, quod ad hoc institutum à DEO est, & cui annexa est gratia, quæ omnia inueniuntur in Matrimonio: est enim signum conjunctionis Christi cum Ecclesiâ, ad hoc planè institutum, vt ex ejus insolubilitate patet. & propterea habet annexam gratiam, vt ante docuimus. Quæ omnia, Vitis, & Palmes non habent. Nec sunt propriè à Deo instituta; non enim Deus creauit Vitem, & Palmites, vt conjunctionem Christi, & Ecclesiæ significarent, sed ex naturali eorum proprietate ducitur à Scripturâ, similitudo conjunctionis Christi cum Ecclesiâ.

25. *Ad secundum respondeo:* Licet Conjugium ab initio mundi fuerit, non tamen fuit propriè Sacramentum; quia nullam habuit gratiæ promissionem; nam benedictio Adamo, & Euæ in Paradyso data, non fuit de spirituali gratiâ, sed de propagatione corporali; quod patet indè, quod in statu innocentiæ nulla necessitas gratiæ Sacramẽtalis fuerit, quia nulla ibi erat concupiscentia, vel difficultas. In statu autem naturæ jam corruptæ, nulla quoq; legitur facta Matrimonii institutio, sed tantùm restrictio quædam, ad certas personas contrahen-

trahentes. Et quia Polygamia, & repudium erant permissa, deerat etiam ratio signi, adeò, vt neq; tunc signum esset Matrimonium. Matrimonium ergò ab initio mundi, sicut & nunc etiam apud infideles, tantùm fuit ciuilis contractus, & in officium Naturæ: Non autem verum Sacramentum, sicut nunc apud Christianos.

Ad Tertium respondeo, Ecclesiam Matrimonium vetare Sacerdotibus, non propter rationem Sacramenti, quæ bona est; sed ob impedimenta Officij Sacerdotalis, quæ Matrimonio sunt annexa; vnde qui vxores duxerunt, & mutuo consensu perpetuam continentiam sunt professi, Sacerdotes ordinari possunt; manente tamen vinculo insolubili conjugii. Neq; absurdum est, eos, qui vnum Sacramentum habent, ab alio arceri, licet vtrumq; sanctum sit, & Deo gratum, quando vnius ministerium, alterius functionem impedit. Nam 1. Timoth: 5. reprehenduntur viduæ, quæ ad Ecclesiæ ministeriũ assumptæ, nubere volebant, quia nimirum non facilè poterant nuptijs simul & Ecclesiæ ministerio satisfacere. 26.


His adhuc vnam instantiam à Chemnitio mutuatam, Brochmannus addit; videlicet nullibi inueniri eo fine Conjugium à Deo institutum esse, vt per illud peccata remittantur. 27.

Sed respondeo, Obiectionem illam falso fundamento niti, quod videlicet omnia Sacramenta sint instituta ad Remissionem peccatorum. Quod fundamentum, supra responsione objectionis contra Ordinem euertimus; quam objectionem etiam solidè refellit Eucharistiæ Sacramentum. Cùm enim Eucharistia propriè sit dictum Sacramentum, vt fatentur omnes, tamen illud non ad peccata remittenda, sed ad vitam spiritualem per Baptismum acquisitam, alendam, & conseruandam institutum esse, ipsæ Sacramenti species testantur; Ideò enim in specie Panis, & Vini Sacramentum istud datur, vt in eo cibum dare, ad vitam spiritualem sustinendam intelligamus.

Atq; ita præcipua argumenta sunt soluta, quibus septenarium Sacramentorum numerum à Christo institutum Aduersarij oppugnant.







De CONFESSIONE DEMONSTRATIO II.

Quâ ostenditur, Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia damnat Confessionem particularem omnium peccatorum Sacerdoti faciendam, quam tota primitiua Ecclesia, ex Christi institutione, necessariam esse docuit ad salutem Peccatoribus.

CAPUT I.

Confessio priuata singulorum peccatorum, in Ecclesiâ primitiuâ fuit vsitata.



Ontendunt Aduersarij, Confessionē particularem singulorum peccatorum, recens Inuentum, & Commentum esse; ac 1.

ſe; ac proindè quæſtuoſam Conſcientiarum carnificinam nominant. Sed haſce Calumnias facilè confutant, totius Eccleſiæ primitiuæ teſtimonia, quibus probamus euidenter, Confeſsionem illam ſingulorum criminum, jam ab Apoſtolorũ temporibus vſitatam in Eccleſiá fuiſſe, vt ex ſequentibus demonſtratur.

Anno 80. Clemens Romanus Epiſt: 1. *Si fortè alicujus Cor, vel Liuor, vel Infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepſerit, non erubeſcat, qui animæ ſuæ curam gerit, confiteri hæc huic, qui præeſt.*

Ao: 180. Irenæus lib: 1. c. 9. loquens de Muliere quadam peccatrice conuersâ: *Poſtquam*, inquit, *magno labore Fratres eam conuertiſſent, omne tempus in Exomologeſi conſummauit, plangens, & lamentans, ob hanc, quam à Mago perpeſſa eſt corruptelam.*

A. 200. Tertullianus lib de Pœnit: c. 10. agens de particulari Confeſſione: *Pleroſq; tamen*, inquit, *hoc opus, vt publicationem ſui, aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores, quam ſalutis. velut illi, qui partibus verecundioribus corporis contractâ vexatione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentiâ ſuâ pereunt.*

Ao. 230. Origenes Homil: 2 in Pſal: 37. (quoniam iniquitatem pronuntio) *Pronuntiationem Iniquitatis, id eſt, Confeſſionem peccati frequen-*

frequentiùs diximus. Vide ergò quid edocet nos Scriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinsecùs, fortassis enim ij, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris, aut phlegmatis Stomacho grauiter imminentia, si vomuerint, releuantur: ita etiam hi, qui peccauerunt: siquidem occultant, & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur, à phlegmate vel humore peccati: si autem ipse sui Accusator fiat, dùm accusat semetipsum, & confitetur, euomit delictum, atq; omnem morbi digerit causam. & alia fusè.

Item Homil: 7. in Leuit: *Est adhuc septima, licet dura, & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum: cùm peccator non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinam, secundùm eum qui dicit: Dixi pronunciabo aduersum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem cordis mei.*

Cyprianus lib: de Lapsu: *Confiteantur singuli delictum suum, dùm adhuc qui deliquit in seculo est, dùm admitti ejus Confessio potest: dùm Satisfactio, & Remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.* A. 250.

Et lib: 3. Epist: 14. *Cùm in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam justo tempore, & secundùm Disciplinæ ordinem ad Exomologesin veniant, inspectâ vitâ ejus, qui agit*

git pœnitentiam, nec ad Communicationem venire quis possit, nisi priùs illi ab Episcopo, & Clero manus fuerit imposita: quantò magis in his grauissimis, & extremis delictis, cautè omnia, & moderatè secundùm Disciplinam Domini obseruari oportet?

A. 320. Lactantius lib: 4. Instit: 17. *Circumcisionis imperatæ in veteri Testamento, ac docens eam figuram Confessionis esse: Ob hanc,* inquit, *causam Deus nudari eam jussit, vt hoc Argumento nos admoneret, ne inuiolatum pectus haberemus; id est, ne quod pudendum facinus intra Conscientiæ secreta velemus. Volens enim Vitæ ac Saluti nostræ pro æternâ suâ pietate consulere; pœnitentiam nobis in illâ circumcisione proposuit, vt si cor mundauerimus, id est, peccata nostra confessi fuerimus, satis Deo fecerimus, veniam consequamur &c:* Item cap: 30. contra Nouatianos.

A. 330. Athanasius sermone, in illa verba: Profecti in pagum qui ex aduerso est, inuenietis pullum alligatum: *Nos ipsos examinemus, num soluta sint nostra vincula, vt in melius proficiamus. Quod si nondum soluta sunt vincula, tradas teipsum Discipulis JESU, adsunt enim, qui te soluant pro potestate eâ, quam à Saluatore acceperunt. Quæcunque enim ligaueritis,* &c.

A. 350. Hilarius Can: 18. in Matth: *Ad leuiorem autem metus maximi, quo in præsens omnes conti-*

continerentur, immobilè severitatis Apostolicæ judiciũ præmisit, & quos in terris ligauerunt, id est, peccatorũ nodis innexos reliquerint, & quos soluerint confessione videlicet, veniæ receperint in salutem, si Apostolicæ Conditione sententiæ in Cœlis quoq; aut soluti sint, aut ligati.

Ambrosius in Psal: 37. *Plurimum suffragatur reo verecunda Confessio, & pœnam quam euitare non possumus, pudore subleuamus.* A 370.

Basilius Reg: 229. *Omninò in peccatorum confessione eadem ratio est, quæ in apertione vitiorum corporis; vt enim vitia corporis nequaquam quibusuis temerè aperiunt homines, sed iis tantummodò, qui rationem, quâ ea curanda sunt teneant; eodem modo etiam peccatorum Confessio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possunt curare.* A. 370.

Et Reg: 288. *Necessariò iis peccata aperiri debent, quibus credita est Dispensatio Mysteriorũ Dei: siquidẽ rationẽ hanc in Pœnitentiâ etiam Veteres illos cernimus secutos fuisse.*

Cyrillus Hierosolymitanus Catech: 1. *Tempus præsens, est tempus Confessionis. Confiteare quæ perpetrâsti, confitearis tempore acceptabili, & in die salutis.* A. 370.

Pacianus Parænesi ad Pœnitentiam. *Rogo vos fratres etiam pro periculo meo, per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere Conscientiam. Prudentes ægri Medicos non verentur, ne in occultis*

cultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos. Et multa profert in hunc sensum, quibus omnes ad singulorũ Confessionẽ Sacerdoti faciendã hortatur.

A. 380. Gregorius Nyssenus in Ecclesiasten homil: 3. *Honestum est extstimare esse proprium Ecclesiæ Documentum, se per Peccatorum Confessionem, & Enuntiationem rectè gerere. Per hoc enim licet suam Animam armare armis Confessionis.* Hanc particulam: *Confessionem* fusiùs & clariùs inculcat Oratione ad illos, qui seipsos judicant. *Audacter*, inquit *ostende illi* (Sacerdoti) *quæ sunt recondita animi arcana, tanquam vulnera medico retege, ipse & honoris, & valetudinis tuæ curam habebit.*

Hieronymus ad cap: 16. Matthæi, *Sacerdos pro officio suo cùm peccatorum audiuit varietates, scit quis sit ligandus, quis soluendus.*

Item docet ad Eccesiastis cap: 10. Et Epist: 5. ad Marcellam de Montanis.

A. 390. Ruffinus in Psal: 31. *Licet Deus dimittat peccata, ex quo homo in voluntate pœnitet, tamen confitendũ est Ministris Ecclesiæ, quia nisi confiterentur, ex suâ malitiâ damnarentur.*

A. 400. Chrysostomus in Genesin homil: 10. *Qui hæc facit, si voluerit ad Confessionem facinorum festinare, & medico ostendere vlcus, qui curet, & non exprobret, atq; ab illo remedia accipere, & soli ei loqui nullo alio conscio,*

& o-

& omnia dicere, cum diligentiâ facilè sua peccata emendabit. Confessio enim præteritorum est abolitio delictorum. Item Homil: 30. in Gen: homil: 13. in Ioh: & lib: 2. de Sacerdotio, tàm clarè Confessionem singulorum peccatorum Sacerdoti faciendam inculcat, vt hisce temporibus Doctores Catholici clariùs de eâ re loqui non possint.

Augustinus lib: 2. de visitatione infirmorum cap. 4. *Sunt quidam, qui sibi ad salutem sufficere autumant, si soli Deo, cui nihil occultum est, sua confiteantur crimina; nolunt enim, aut erubescunt, siue dedignantur se ostendere Sacerdotibus, quos tamen inter Lepram aut Lepram discernere per Legislatorem Dominus constituit. Sed nolo vt ipsâ decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coràm Domini Vicario tabescens præ rubore, vel ceruicosus præ indignatione. Nam ipsius humiliter est subeundum judicium, quem Dominus sibi non dedignatur Vicarium &c.* Et pulcherrimè cap. 5. *Ergò,* inquit, *quæ mentem grauiùs exacerbant facinora, Sacerdoti manifesta, nihil obscurum dicens, culpam nullis ambagibus inuoluens, nullis circumitionibus, quod verum est operiens. Designanda etiam sunt, in quibus peccâsti loca, si recordaris, & tempora,* &c ibi omnes omninò circumstantias in Confessione dicendas describit. A. 400.

Nec desunt habita in variis Mundi par- 2.

 tibus

tibus Concilia, quæ hanc singulorum Confessionem inculcant, videlicet Laodicenũ, Can: 2. ante annos 1100. Synodus 6. ante annos 900. Can. 102. Chartaginense 3 Can: 31. ante annos 1100. Cabilonense I. Can: 8. ante annos 1000. Cabilonense II. Can: 32. ante annos 800. Turonense circa idẽ tempus Can: 22. Moguntinum sub Rabano, c. 26. VVormatiense ante annos 868. cap. 25. Lateranense IV. c. 21. Constantiense Sess: 8 Florentin: in Instruct: Armen: Tridentinum Sessione 19. Can: 6. Et instar omnium Nicænum, quod admittunt omnes Lutherani. Nam teste Socrate lib: 1. c. 7. in Nicæno Concilio Acesius Nonacianæ Sectæ Episcopus, Constantino Cæsari dixit, se cum Nicæni Concilij Patribus communicare nolle, quod contra eorum sententiam crederet, eis, qui se post Baptismum *mortali peccato* polluissent, *remissionis spem non à Sacerdotibus, sed à DEO, qui & potest, & authoritatem habet peccata remittendi, expectandam.* Ideò ergò non communicabat *Acesius* cum Patribus primi illius Concilij, quo damnatus est Arius, quia negabat post Baptismum *remissionem peccatorum á Sacerdote sperandam esse.* ergò Patres illi crediderunt remissionem peccatorum ritè confessis ista peccatoribus sperandam esse. Vt omittam plurima alia, & innumeros Ec-
clesiæ

clesiæ primitiuæ, & omnium Seculorum Patres, qui Particularis hujus Confessionis in Ecclesiâ ab Apostolorum temporibus vsitatæ, prolixam vbiq; mentionem faciunt. Vt ideò admiranda sit temeritas Aduersariorum asserere audentium, recens illud Ecclesiæ jam deprauatæ Commentum esse.

Ex quibus tàm luculentis testimoniis, etiamsi non apertè conuincatur, Confessionem particularem esse Iuris diuini; continent tamen antiquam consuetudinem, & indicant necessitatem, Sacerdotibus peccata confitendi. Ex ijs ergò facilè erit colligere; rem esse à Deo præceptam, tûm quia non inuenitur prima Origo hujus præcepti, tùm etiam, quia non est vllo modo probabile, Populos fideles præceptum tàm arduum ab hominibus admissuros fuisse, si per confessionem soli Deo, aut generatim factam, Remissionem peccatorum obtinere potuissent. Sed de his in sequentibus latiùs.

CAPUT 2.

Doctrina Catholica, de Confessione particulari explicatur, & confirmatur.

3. VT in hac Controuersiâ clarè procedamus, & status Quęstionis dignoscatur. 1. breuiter quid sentiant Aduersarij exponemus, ac deindè quid Ecclesia Catholica, quibus inter se collatis patebit, in quo differamus; ac tunc demùm Doctrinam Catholicam probabimus, aduersariam reijciemus,

Brochmannus de Pœnit: cap: 2. quæst: 22. De Confessione loquens, tria dicit, in quibus totus quæstionis cardo vertitur.

I. *Confessionem priuatam esse bonam quidem, & laudabilem, sed nullo modo ad salutem necessariam, neq; diuino præcepto institutam.*

II. *Non omnia in illâ annuntianda esse: sed ea tantùm, quæ maximè Conscientiam molestant, idq; potissimùm solatij spiritualis causâ.*

III. *Sacerdotes non habere vllam judiciariam potestatem, sed eos remissionem peccatorum tantummodo annuntiare per, & propter Dominum Jesum Christum Seruatorem vnicum.* Econtra verò Catholicæ Ecclesiæ sensum, & Doctrinam explicat Concilium Tridentinum Sess: 14 c 5. his verbis: *Vniuersa Ecclesia semper intellexit institutam à Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure diuino necessariam existere: quia Dominus noster Jesus Christus è terris ascensurus ad Cælos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam præsides*

sides ac Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferuntur, in qua Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clauium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient, &c. Quæ verba cùm è diametro tribus Aduersariorum punctis aduersentur, propositiones singulas probabimus per Paragraphos sequentes, justo ordine seruato.

§. I.

Probatur jure diuino necessaria Confessio particularis.

QVia negant Aduersarij Confessionis, de quâ agimus, necessitatem; sed tantùm ad solatium, vtilem, & laudabilem eam esse asserunt, nos jure diuino necessariam esse probabimus, ad quod tale Argumentum formo: 4.

Qui post Baptismum mortali peccato illigati sunt, tenentur necessitate medij, seu jure diuino per pœnitentiam quærere solutionem à peccato, & cum Deo reconciliationem:

Sed hoc aliter fieri non potest, nisi per singularem omnium confessionem, siue in re, siue in voto.

Ergo talis Confessio necessitate medij, seu Iure diuino necessaria est ad salutem, & cum Deo reconciliationem.

Major Propositio certa est ex illis verbis Domini Matth: 3. *Pœnitentiam agite*, & Luc: 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*, & aliis pluribus. Nec ipsimet Aduersarij id diffitentur.

Alteram ergò Propositionem, seu Assumptionem sic probamus: Solis Apostolis & eorum Successoribus, data est potestas homines post Baptismum à peccatis dissoluendi, & ea remittendi. Illis enim solis dictum est, Ioan: 20. v. 22. 23. *Sicut misit me Pater: ita ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorũ retinueritis retenta sunt.* Sed Apostoli, & Successores eorum non possunt peccata remittere, vel retinere, nisi ea per particularem explicationem audiant. Ergò Remissio peccatorum, & cum Deo reconciliatio, non potest aliter acquiri, nisi per singularem omnium Confessionem.

5. Major Propositio asserens solis Apostolis, & eorum Successoribus hæc verba Ioan: 20. dicta, & consequenter illis datam esse potestatem peccata remittendi, & retinendi, certa est ex textu, nec eam negare possunt Aduersarij, quam etiam probabimus §. sequenti, vbi de Iudiciaria Sacerdotum potestate disseremus.

Nunc igitur minor Propositio probatur: Aposto-

Apoſtoli, & eorum Succeſſores, per hæc Chriſti verba Iudices conſtituti ſunt, ſeu judiciariam in omnes peccatores poteſtatem acceperunt remittendi, vel eorum peccata retinendi. Sed hanc poteſtatem non poſſunt exercere, niſi particulariter illis peccata explicentur. Ergò non poſſunt peccata retinere, vel remittere, niſi particularem eorum explicationem audiant. Nunc autem in hac primâ Propoſitione confirmandâ totus cardo vertitur. Nam ſi probemus Apoſtolos, & eorum Succeſſores in Eccleſiâ verè judices eſſe conſtitutos, & judiciariam in cauſis pœnitentium accepiſſe poteſtatem, ſequitur euidenter peccatorum in ſpecie Confeſſionem Iure diuino eſſe neceſſariam, pro quo probando §. ſequentem ponimus.

§ 2.

Probatur Apoſtolorum, & eorum Succeſſorum in Eccleſiâ Judiciaria poteſtas.

CAtholici docemus, & indubitatè credimus, Chriſtum peccata omnia Authoritate propriâ ſemper remiſiſſe: Apoſtolos verò, & eorum Succeſſores, remittere peccata quidem, non tamen Authoritate, & Poteſtate propriâ, ſed illâ quâ Chri- 6.

 ſtus

ſtus in Cælos aſcenſurus, illos tanquam Legatos plenipotentiarios in Orbem vniuerſum dimittendos ampliſſimè inſtruxit Ioan. 20. v. 22. 23. Aſſerunt autem è contra Aduerſarij, talē poteſtatē Apoſtolos nunquā habuiſſe, nec habere nunc eorūSucceſſores, ſed tantùm illos annunciare, peccata pœnitentium perChriſtum jam remiſſa eſſe, dicente Chemnitio, quem ſequitur Brochmannus: *Miniſtri tantum Legatione funguntur, & ſunt Diſpenſatores alieni beneficij, quibus non mandatum eſt, vt corda ſcrutentur, ſed vt ijs, qui ſignificant ſe pœnitentiam agere, & Euangelio credere, annunttient Remiſſionem peccatorum.*

Probabimus igitur 1. Iudiciariam hanc Poteſtatem penes Apoſtolos, & eorum Succeſſores eſſe. 2. Annuntiationem illam Lutheranam refellemus.

7. I. Pater æternus Chriſtum in terras miſit cum verâ claui, juxta illud Apoc: 3. *Qui habet Clauem David aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Quæ clauis fuit vera Poteſtas, quâ Chriſtus Authoritate judiciariâ ſoluere peccata poterat, & ligare, eaq; de facto ſoluit, & ligauit. Sed hanc eandem clauem Chriſtus Apoſtolis in omnē terram abituris dedit; Ergò eandem clauem, ſeu poteſtatem Iudiciariam Apoſtoli, & eorum Succeſſores habent.

Major

Major certa est, nec de eâ dubitant Aduersarij. Probatur Minor: Clauem aliquam dedisse Christum Apostolis, est indubitatum. Matth. 16. v. 18. *Tibi dabo Claues*, ibi promittit quidem, quod apud Ioannem 20. v. 22. adimpleuit. Ergò hæc Clauis fuit eadem, quam à Patre Christus accepit; & consequenter Apostolis, & eorum Successoribus per hanc eandem quoq; potestatem dedit, quam ipse Christus habuit, dùm illos loco suo misit, eos statuendo Vicarios, & Legatos suos. Quod euidenter confirmatur ex verbis sequentibus, quæ immediatè Dominus subjunxit: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, quasi diceret: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Is misit me, vt remitterem peccata, tanquam Iudex, vel ea retinerem; ita vos hac in re Vicarii mei, eàdem potestate peccata remittatis, aut ea retineatis. Vtq; ita ostenderet se quantam Autoritatem ipse à Patre accepisset, tantam illis dare. Rectè igitur ex hoc loco demonstratur non solùm Doctoris (vt aliqui Aduersariorum putant) sed etiam Sacerdotis, & Iudicis Officium Apostolis, & Successoribus eorum tradidisse, dùm Vicarios suos eos statuit: In hac tamē ipsâ similitudine potestatis inter Christum, & Apostolos ea dissimilitudo est, quæ

inter Principem, & Legatum; Dominum, & Seruum; Magiſtratum, & Vicarium ejus; Chriſtus enim etſi vt homo eam acceperit à Patre poteſtatem; tamen etiam à naturâ illam habuit: Apoſtoli non habebant, niſi ex ſoliusChriſti beneficio: & Chriſtus non vice alterius, ſed pro ſe. Apoſtoli non pro ſe, ſed vice Chriſti, vt teſtatur Paulus 2. Cor: 5. v. 20. *Pro Chriſto ergò Legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Ex illis igitur conficimus: Apoſtolos, tanquam Vicarios, & plenipotentiarios Legatos Chriſti, ab eo Clauem, ſeu Iudiciariam poteſtatem, quam ipſe Chriſtus habuit, in cauſis peccatorum accepiſſe. Ergò illam habuerunt.

8. Quod vlteriùs probatur, ex verbis, quibus vſus Chriſtus eſt. Cùm enim certum ſit, Chriſtum cum Apoſtolis communicâſſe claues; videndum eſt, in quem vſum eæ aliis tradi ſoleant: videlicet, ad aperiendum, & claudendum, nunquam autem dantur, vt per eas aliquis ſignificet, qui eas habet, oſtium jam clauſum, vel apertum eſſe. Chriſtus ergò, etiam claues illas dedit, ad ſignificandum, Apoſtolos quibus eas dedit, habere poteſtatem aperiendi, & claudendi, niſi dicamus impudẽter, Chriſtum impropriè, & non ad rem, hac vſum metaphorâ fuiſſe.

Acce-

Accedit ad hæc alius loquendi modus, 9.
quo Christus vsus est in verbis *ligandi*, & *soluendi*, tùm etiam in illis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ligare etiam, & soluere, non significant declarare, aut annuntiare jam soluta esse; sed re ipsa vincula inijcere, & demere. Si enim significarent annuntiationem solutorum peccatorum, falsum dixisset Christus, *quodcunq; solueritis, erit solutum*: sed potiùs debuisset dicere: quodcunq; solueritis, jam fuit solutum. Sic etiam non potuisset Christus cum veritate dicere: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: sed potiùs: *Quorum remiseritis, jam remissa sunt*. quia verè juxta Aduersarios jam remissa erant, priusquam Apostoli annuntiare possent, ea jam remissa esse. Atq; ita nullam omninò habuissent potestatem remittendi, aut retinendi: hoc est, nolendi remittere; quam tamen ipse Christus, sicut eam ipse habuit, cum Apostolis communicauit, juxta supra dicta.

Deniq; tota primitiua Ecclesia, sic sem- 10.
per locum hunc explicuit; & in Sacerdotibus, tanquam Christi in hoc tribunali Vicariis, talem peccata remittendi, & retinendi potestatem ab Apostolorum temporibus agnouit, quorum testimonia, qui videre volet, legat Bellarmin: de Pœnit l. 1.

cap:

cap. 3. Vnum producam Ambrosii, cujus verba quia non minùs contra Lutheranos, quàm Nouatianos, quos tunc oppugnabat, videri possunt, hîc addimus: *Sed ajunt, se Domino deferre reuerentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reseruent; imò nulli majorem injuriam faciunt, quàm qui ejus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cùm ipse in Euangelio suo dixerit Dominus Jesus: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt: quis est, qui magis honorat, vtrum qui mandatis obedit, an qui resistit? Ecclesia in vtroq; seruat obedientiam, vt peccatum & alliget, & relaxet. Hæresis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare quod non resoluat, non vult soluere, quod ligauit.*

Nunc ad alteram partem procedamus, vt euertamus Annuntiationem illam remissi jam peccati, quam Lutherani per verba ligandi, & soluendi significare volunt.

II. I. Si ligare, & soluere non sit habere Iudicialem potestatem, sed tantùm annuntiare, & declarare peccatum jam remissum esse, omnis absolutio Sacerdotis, erit omninò superflua, & inanis, ac planè temeraria. Interrogo enim Ministrum Lutheranum, dùm alium absoluis à peccatis, aut certè à peccatis annuncias absolutũ; pronunciásne

formu-

formulam absolutè, an verò sub conditione; videlicet, si pœnitens verè credat, aut, vt debet, de peccatis doleat? Si absolutè, temeraria est hæc Annuntiatio; cùm ignores, an pœnitens sufficienter sit dispositus, & necessariam ad iustificationem fidem habeat. Et posito, quod ex signis exterioribus, id colligere aliquo modo possis: meliùs tamen id nouit pœnitens; ac proindè nullo modo ministri annuntiatione indiget, quæ nihil certitudinis ei potest superaddere. Si verò Annuntiatio Ministri sit conditionalis; quomodo talis absolutio potest certum, & securũ reddere pœnitentem, cùm dependeat ex conditione penitùs incertâ? & nunquid hoc est (quod nobis impingunt Aduersarij) carnificinam animarum instituere, quando pœnitens incertus manet, an vera sit Ministri absolutio; & non sit mentitus annuntiando peccata jam remissa esse, quæ fortè nõ remissa sunt.

II. Si annuntiare peccata jam remissa esse, sit soluere; id est, peccata remittere; non annuntiare erit ligare, id est, peccata retinere; itaq; omnes homines, qui non annuntiant remissionem peccatorum; ligandi, id est, peccata retinendi potestatem habent; quo quid absurdiùs? 12.

III. Si annuntiare diuinas promissiones, seu peccata jam remissa esse, sit absol- 13.

uere;

uere; profectò poterit absoluere, & clauem cælestem habere, quisquis hoc annuntiare potest: sed visis in alio signis pœnitentiæ, possunt annuntiare omnes, tàm Viri, quàm Fœminæ; tàm Pueri, quàm Stulti. Ergò illi omnes poterunt absoluere: atq; ita nihil peculiare dictum, aut datum est Apostolis
14. à Christo. Nec dicas: aliquid inesse verbis à Ministro prolatis, quod non inest illis, quæ ab aliis proferuntur. Quæro enim, an illud, quod verbis Ministri inest, faciat aliquid ad remissionem peccatorum in pœnitente, an non? Primum dicere non possunt, quia juxta illos, peccatori jam remissa sunt peccata, antequam Minister formulam pronuntiaret. Ergò verba Ministri, nihil faciunt ad remissionem. Si verò nihil faciant ad Iustificationem pœnitentis; ergò à quocunq; pronuntientur, erunt ejusdẽ efficaciæ; & consequenter poterit quicunq; peccator à quocunq; homine, vel etiam bestiâ, si loqui posset, imò ab ipso Diabolo absolui.

§. 3.

15. *Confessionis singulorum vsus, ex sacris Literis vlterius probatur.*

Pro-

PRobata est hactenus Confessionis necessitas, & Apostolorum, ac eorum Successorum in dijudicandis, remittendis, ac retinendis pœnitentium peccatis Iudiciaria potestas.

Nunc ne nouum aliquod Ecclesiæ Commentum id videatur esse; superest, vt ex sacris Literis probemus, particularem illam singulorum criminum Confessionem, ipsis Apostolorum temporibus in vsum & praxim fuisse communiter redactam.

Quod probatur I. ex Actis Apostolicis, vbi cap: 19. v. 8. dicitur: *Multi autem credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus suos: multi autem ex eis, qui erant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Confitebantur, inquam, & annuntiabant *Actus suos*, non quidem in genere (vt quidam Aduersarii volunt) tùm, quod in Syriaco est *Scagei*, id est, *numerantes*, tùm, quod alioquin vnde potuisset sciri illos fuisse curiosa sectatos? Dices, inde cognosci potuisse, quod libros suos publicè comburerent. Verùm licet inde potuerit agnosci, quod libros malos habuerint, non potuit tamen ex hoc sciri, quod ex ijs fuerint curiosa sectati: potuerunt enim illos habuisse, & nihil mali sectari; sicuti modò fieri videmus apud Viros doctos, qui multos sæpè perniciosos in suis

ſuis Bibliothecis libros habent, non tamen ex ijs mala ſectantur. Ergò debuit aliundè conſtare eos fuiſſe curioſa ſectatos. Deinde *annuntiantes Actus ſuos*, non ſignificat Miracula, vt vult Lutherus; quia Miracula non ſunt Actus, ſeu opera noſtra, ſed DEI. & Syriaca Verſio habet *offenſas*, ſeu *peccata*, non aliqua tantùm, vt Brochmannus ſecutus Kemnitium explicat. Si enim quando Scriptura abſolutè de peccatis loquitur, liceret explicare *de quibuſdam*, ſequerentur abſurdæ ſententiæ, v. g. *Peccata tua Eleemoſynis redime.* Dan: 4. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Matth: 1. *Confide Fili, remittuntur tibi peccata tua.* Matth: 9. *Dimitte nobis peccata noſtra.* Luc: 11. *Ecce qui tollit peccata mundi*, Ioan: 1. Nunquid abſurdè hæc explicabit, qui dixerit vbiq; tantùm intelligi *quædam peccata*, non omnia? pari modo inſaniunt, qui per *Actus ſuos*, quos annuntiabant, ajunt, intelligi, *quoſdam tantùm Actus*, non omnes. Confitebantur ergò omnia ſua peccata, non aliqua tantùm, & quoniam conſtat illo tempore nullam exſtitiſſe Legem Eccleſiaſticam de Confeſſione facienda, ſequitur illam ante fuiſſe inſtitutam à Chriſto.

16. II. Paulus 2. Corinth: 5. v. 18. 19. ſic ſcribit: *Dedit nobis Miniſterium Reconciliationis, & poſuit in nobis Verbum Reconciliationis,*

nis, pro Christo ergò Legatione fungimur. Hæc verba ad potestatem Clauium pertinere fatetur Brochmannus. qui autem Legati mittuntur, vt subditos Authoritate regiâ reconcilient Regi; id facere justè non possunt, nisi sciant quantum, & in quibus deliquerint subditi; & quam pœnam sint subire parati. Ergò cùm Sacerdotes Legatione pro Christo fungantur, vt peccatores rebelles reconcilent Christo, debebunt priùs etiam scire, quantum, & in quibus deliquerint: quod aliter, quàm per confessionem particularem fieri nequit.

III. Iacobi 5. v. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem.* 17.
Vbi non agitur de Confessione, quam proximus proximo facit, vt offensam sibi remittat, vt ajunt Aduersarii, Sed de verà Sacramentali Confessione Sacerdoti facienda, vt explicant Ecclesiæ primitiuæ Doctores. Nam ille voces *alterutrum*, & *inuicem*, accipiendæ sunt prout verborum consequentia exigit. Quocirca *confitemini alterutrum*, nihil aliud erit, nisi *confitemini Homines* absolutione indigentes, *Hominibus* absolutionis potestatem habentibus. Sicut dixit Petrus 1. cap: 4. *Hospitales inuicem sine murmuratione, vnusquisq; sicut accepit gratiam in alterutrum, illam administrantes* &c. Nec enim vult ibi omnes hospitio recipiendos

esse, sed qui indigent tantum: nec eos quidem ab omnibus, sed ab ijs qui possunt. Ita etiam quando jubet Iacobus, vt confiteantur alterutrum, cupit id fieri ab ijs qui indigent: neq; omnibus sed ijs, qui absoluere possint.

18. IV. 1. Ioan: 1. v. 9. *Si confiteamur peccata nostra fidelis est, & justus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ex quibus verbis omninò confirmatur Confessio Sacerdoti facienda. Nam licet Aduersarij asserant hæc dici de Confessione soli Deo faciendâ; sine fundamento id dicunt. 1. Quia verba illa: *fidelis est & justus, vt remittat nobis peccata nostra,* promissionẽ continent, at nulla exstat promissio remissionis peccatorũ, quorũ confessio Deo fit, sed tantũ illa: *quorum remiseritis peccata, &c.* quæ ad Confessionem Sacerdotalem pertinent. 2. Si promitteret Apostolus remissionem confitentibus peccata coram Deo, frustra dictum esset Apostolis: *quorum remiseritis peccata,* quia quis ab illis ea cum tantâ verecundiâ, & difficultate peteret remitti, cùm longè faciliùs sit Deum adire? 3. Si quem judicaret Sacerdos absoluendum non esse, frustrà retineret peccatum, quia Sacerdote inuito absolueretur peccator ad Deum recurrens. Falsum ergò esset *quorum retinueritis, retenta sunt.*

Ex

Ex quibus omnibus hactenus probatis hoc Argumentum pro conclusione conficio.

CONCLVSIO.

OMnis peccator post Baptismum in peccata lapsus, jure diuino obligatur Sacerdoti, vt vero, & competenti Iudici Confessionem facere. Sed non potest Sacerdoti, vt vero Iudici, debitam facere Confessionem, nisi omnia in particulari peccata proferendo. Ergò jure diuino tenetur omnis peccator Sacerdoti, vt Iudici, peccata sua singula explicare. Major Propositio secundùm vtrumq; membrum est probata §. 1 & 2. Minor ita clara est, vt probatione non indigeat. Cùm enim Apostolis, & eorum Successoribus, potestas sit commissa judicandi peccatores, ijsq; peccata remittendi, vel retinendi; quomodo retinere quicquam poterunt, si nesciant quid retentione dignum sit? quod certè scire nequeunt, nisi in particulari sciant, quibus criminibus pœnitens obstrictus sit; aut certè penitùs injustè judicabunt. Sicut enim in judicio ciuili Iudex justus, nunquam secundùm æquitatem judicare poterit, & reum castigare, nisi sciat in particulari, quod, & quantum crimen judicandum, & castigandum sit. Nam quis non Iudicem 19.

Iniquitatis illum esse dicat, qui eâdem pœnâ trium obolorum furem, & centum Homicidiorum reum plecteret? quod profectò semper in judicio ciuili fieret, nisi Iudex reorum peccatis probè cognitis, pro eorum qualitate, & quantitate, supplicium imponeret. Tales Iudices certè in Confessionibus audiēdis Ministri Lutherani sunt, qui cum omnibus suis pœnitentibus æqualem confessionis formulam præscribant, vt videlicet se peccatores esse fateantur, & decem Decalogi præcepta infregisse, fit 1. vt sæpiùs eos mentiri cogant, illa dicendo, quæ nunquam commiserunt (quot enim reperire est bonæ vitæ homines, qui nec actu, neq; voluntate contra pręcepta omnia peccàrunt?) fit 2. vt idem de se omnibus dicentibus Scortum aliquod, vel Mulier centies adultera, non majorem pœnitentiam acquirat, quàm pudica, & pia Matrona, nullius, nisi verbi otiosi sibi conscia, quâ Injustitiâ quid iniquius sub sole reperiri potest?

20. At fortè dices: Ministros Lutheranos Iudices non agere, sed tantùm Nuntios. Si ita est; frustranea est, & inanis apud eos Confessio, cùm peccata omnia supponantur jam remissa, priusquam nuntius annuntiet ea remissa esse. Et profectò Nuntiorum non est pœnas aliis imponere, nisi ex præscripto mittentis Domini. Si ergò Ministri

ſtri Lutherani dicant, ſe pœnas illas imponere ex Præſcripto DEI, Deum faciunt tyrannum, & injuſtum, vtpotè, qui eandem pœnam jubeat imponi pudicæ Matronæ, verbi tantùm otioſi conſciæ, & ſcorto cuipiam millies adultero.

Vndè patet quantùm miſeri Lutherani fallantur, qui à ſolida Eccleſiæ primitiuæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Doctrinâ recedentes carnem ſectati, ſuperficialem, & minimam illam Confeſſionem pro legitimâ tenent, à quà nullam omninò conſolationem, ac vtilitatem, multò minùs aliquam Animæ medicinam expectare poſſunt, vtpotè quæ planè ſit ſuperflua, & inanis, & à Chriſti inſtitutione, ac Eccleſiæ primitiuæ praxi, & vſu planè alienâ, juxta ea, quæ ſupra diximus §. 2. & 3.

CAPUT 3.

Objectiones Aduerſariorum refelluntur.

ADuerſarii Apoſtolicam illam Veritatem euerſuri de confeſſione ſingulorum criminum Sacerdoti faciendâ, nullum omninò ſolidum proferre poſſunt Argumentum, ſed ſimplicem negationem ſententiæ Catholicæ pro ratione, & fundamento ſuo ponunt. 21.

Dicunt ergò I. Nullis omninò Christi, vel Apostolorum Scriptis, Confessionem, de quâ agimus, probari posse. Ideóq; tanquam nouum Inuentum, & Conscientiarũ Carnificinam penitùs reijciendam esse.

Verùm quantùm fallantur Aduersarii superiori toto Capite monstrauimus, vbi, & à Christo institutam, & Apostolos, ac eorum Successores in causis peccatorum Iudices ab eo esse designatos; & ejusmodi Confessionem singularem Apostolorum temporibus fuisse vsitatam, luculenter probauimus, & cap: 7. totius Ecclesiæ primitiuæ ea de Confessione sensum exhibuimus, vt de his nemo non summè cœcus, aut passionibus, ac præjudiciis in transuersum actus, dubitare possit.

22. Nunc autem hujusmodi Confessionem non esse Conscientiarum Tyrannidem, & Carnificinam, vt ipsi ajunt, facilè probatur. Nam 1. Catholici certi sumus ex commissione Christi, Apostolos, & eorum Successores Sacerdotes, habere judiciariam potestatem remittendi, & retinendi peccata confitentiũ: quando ergò per eos illa nobis remittuntur, positis omnib⁹ requisitis, certi etiam sumus ex promissione Christi, nobis peccata omnia remissa, & consequẽter nos justificatos esse. Et licet aliquando certi esse nequeamus, an Confessionem nostram

cum

cum legitimâ, & debitâ dispositione instituerimus, certi tamē sumus, nunquam deesse Deum hac in re facienti, quod in se est. Ergò quando ea fecimus, quæ facienda nostrarum virium esse judicamus, certi sumus nos legitimè dispositos fuisse. Hac in re si scrupulus subindè aliquis exurgat, qui Conscientiam inquietam reddit, eo quod aliquis dubitare possit, an legitimè fuerit dispositus, & an omnia fecerit, quæ potuit; respondeo non requirere misericordem Deum conatum nostrum summum, sed eum tantùm, qui in rebus grauioribus ordinariè adhiberi solet, & morali judicio sufficere videtur; & ideò nullam esse posse in Conscientiâ carnificinam, aut Tyrañidem. Vtpotè quæ in Confessionibus Lutheranorum magis locum habet. Nam quando Minister suis Pœnitentibus annuntiat remissionem peccatorum, quæro: an verè etiam annuntiet illis, qui fidem tantam non habent, quantam habere possunt? Si ita; ergò asserere coguntur ad remissionem peccatorum non requiri summam dispositionem, siue fidem, quantam aliquis habere potest. Et sic consentiunt nobiscum. Si non; ergò omnium conscientiæ relinquentur inquietæ, & plenæ scrupulis, & semper dubiæ, an peccata sibi sint remissa, cùm nemo sit, qui non semper dubitare possit, an

tantam fidem habuerit, quantam habere potest, & consequenter miserabili Carnificinâ Lutheranorum omnium Conscientiæ perpetuò torquebuntur. Si verò dicant, Carnificinam hanc in Conscientiis oriri ex ingenti peccatorum numero, qui recenseri nunquam potest, respondeo; quando Adversarii soli Deo confitendum esse dicunt, etiam affirmant omnia peccata enumeranda esse, quorum recordantur: Sed ibi negant esse Carnificinam animorum; cur ergò sit apud Catholicos, quando eodem modo docent esse dicendum Sacerdoti, quantum est in nobis, & quantum recordamur?

Dicunt II. Impossibilem esse hanc enucleatam, & particularem omnium Confessionem, cùm enim *septies cadat in die justus*, quomodo qui semel in anno confitetur, omnium meminisse poterit? ad impossibile autem nemo obligatur.

23. Respondeo; Deum à nobis nullam rem impossibilem exigere, ideoq; quod ad peccata illa minora spectat, in quæ *septies in die cadit justus*, & venialia vocantur; nulla est obligatio confitendi; quia cum illis etiam manemus justi. Ad majora verò, seu mortalia quod attinet, non obligamur, etiã nisi ea confiteri, quæ post diligentem inquisitionem factam, memoriæ occurrent, vt supra ex Concilio Tridentino, Sess. 14. c. 4.

docui-

docuimus. Hoc cùm fieri sine difficultate possit, nullo modo potest dici impossibilis Confessio, in quâ dici sigillatim crimina jubentur.

Dicunt III. Apostolos, eorumq; Successores Sacerdotes alium in peccatis, siue remittendis, siue ligandis, neq; posse, nec debere seruare modum, ac processum, quam seruauerit ipse Christus, & Seruator noster. Christus autem peccata remissurus, non instituit judiciarium Processum, sed omnibus dolentibus, & ad Christum refugientibus, in eumq; verè credentibus peccata remisit. Ergò & hunc procedendi modū Apostoli, & Successores obseruare debent. 24.

Respondeo falsum Antecedens esse, si intelligant, ita in his rebus esse omnia facienda, prout Christus fecit. Sequeretur enim, neq; Baptismum esse necessarium, ad remissionem peccatorum, quia Christus sine Baptismo peccata remisit Magdalenę, Paralytico, & aliis. Christus enim tanquam Autor Sacramentorum à Sacramentis suis necdum institutis, non depēdebat. Hinc ergò, vt dixi, etiam sine Baptismo interdum peccata remittebat. Et cùm Deus esset, ideò peccata contra se, suamq; Legem facta simpliciter donare poterat, tanquam summus Princeps: Sacerdotes autem, cum Ministri tantùm sint, à Domino ad ligandum, & sol-

 uendum

uendum constituti, ne malè remittendo, vel temerè ligando faciant injuriam Domino supremo, modum à Domino præscriptum, obseruare debent.

25. Et hæc ferè sunt quæ obijcit Brochmañus.

Dicùnt IV. Nectarium Episcopum Constantinopolitanum Confessionem auricularem abrogâsse, quod facere non potuisset, si diuini iuris esset.

Respondeo: Nectarium sustulisse Confessionem publicam, non priuatam; idq; ob casum, qui acciderat, vt refert Sozomenus. Nam cùm Mulier quædam imprudenter confessa publicè fuisset peccatum aliquod scandalosum, quod cum alio ex ordine clericali in Ecclesiâ commiserat, magnum dedit Populo fideli scandalum, & ei Ordini notam infamiæ inussit. Nequid simile imposterum contingeret, publicam confessionem sustulit Nectarius; quod autem publicam, non priuatam Confessionem aboleuerit, ex his clarum est 1. Quia Nectarius non sustulit, nisi Appendicem ad veteres Canones, propter Nouatianam Hæresim introductam. Hæc autem Appendix tantùm ad Confessionem publicam spectabat.

2. Non sustulit, nisi quod necessarium erat ad sedandum populi tumultum ex flagitij detectione natum; ad hoc autem satis

erat

erat tollere Confessionem publicam. 3. Quia post Nectarium semper mansit in Ecclesiâ priuatæ Cõfessionis vsus; vt ex Chrysostomo, alijsq; Patribus perspicuum est. 4. Quia ipse Sozomenus, qui Confessionem fatetur diuini Iuris esse, non arguit Nectarium, vt diuini Iuris Violatorem, quod procul dubio fecisset, si is Confessionem omnem abrogâsset.

Dicunt V. Lutherani aliqui, & nonnulli etiam Catholici Disputationis, & Exercitij gratiâ: Demus penes Apostolos, & eorum Successores judiciariam soluendi & ligandi potestatem esse, non tamen inde sequitur Confessionem particularem Sacerdoti factam, homini post Baptismum lapso necessarium, & vnicum ad salutem esse medium; adeò, vt necesse sit ad eorum Tribunal vnicum accedere; non enim dixit Dominus: Quæcunq; non solueritis, non erunt soluta, sed tantùm: *Quæcunq; solueritis, erunt soluta.* Itaq; poterunt illi quidem soluere, quando alicui libuerit eorum Ministerio vti, poterit tamen peccator aliâ ratione sine ipsorum Ministerio reconciliari, ad Deum videlicet confugiendo, & ipsi immediatè confitendo. 26.


Respondeo: Licet illa verba negatiua: *Quodcunq; non solueritis, non erunt soluta*, Dominus Apostolis non dixerit expresse, di-

xisse

xiſſe tamen implicitè cenſendum eſt, dùm eos ſolos Vicarios, Legatos, & Iudices conſtituit, in cauſis pœnitentium. Quando enim à Principe conſtituitur Iudex, & Legatus, vt lites inter Principem & Subditos componat, non poſſunt Subditi ad alium confugere, quàm ad hunc à Principe conſtitutum. Cùm autem peccata lites ſint, & cauſæ, quas cum Deo habemus, & Iudicium de ijs ſolis Sacerdotibus in Eccleſiâ ſit commiſſum, non poſſunt, qui in Eccleſiâ ſunt, ſi tales cauſſas habeant ſine Sacerdotum Iudicio reconciliari DEO. Sicut in Baptiſmo fit. Licet enim Gentiles immediatè recurrerent ad DEVM, non tamen ideò peccatorum remiſſionem acciperent, niſi vel in re, vel in voto priùs baptizati; quia nempè Deus ſolam viam hanc inſtituit: ita etiam cum Confeſſione agitur, vt nemo Deo reconciliari poſſit, niſi per Iudices ad has cauſſas componendas, ſolos, & immediatè conſtitutos. Ideóq; omnibus in peccata poſt Baptiſmum lapſis Confeſſio in re, vel in voto, ſeu explicitum, ſiue implicitum illud ſit, ad ſalutem jure diuino neceſſaria eſt.



De



De
DISCRIMINE PECCATI Mortalis, & Venialis.

DEMONSTRATIO III.

Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia nullum agnoscit discrimen inter peccatum Mortale, & Veniale, quod Ecclesia vera primitiua semper agnouit.

CAPUT I.

Exponitur sensus Ecclesiæ primitiuæ, de distinctione Peccati Mortalis, & Venialis.

QVod præter mortalia peccata, quæ mortem Animæ inducunt, etiam alia quædam dentur Venialia, ex naturâ suâ tàm leuia, vt justitiam non tollant, tota primitiua Ecclesia, & SS. Patres, & Doctores semper crediderunt, & docuerunt. I.

Clemens

Anno 90. Clemens Romanus Institut: Apostol: l. 2. c. 48. *Ne de omni peccato idem judicium pronuntietis, sed de vnoquoq; suum, de singulis delictis, tùm paruis, tùm magnis, multâ prudentiâ judicetis. Aliter, inquam, facto sermone, item aliter proposito, alio modo conuitio, alio suspicione, atq; alios etiam solis minis, & terroribus subijcies; alios mulctationi largiendi pauperibus, rursus alios jejunijs comprimes; item alios ex Ecclesiâ eijcies, pro magnitudine, & grauitate criminis. Siquidem lex non omne delictum eodem supplicio puniebat.*

Origenes Homi: 5. in Luc: *Vnusquisq; pro qualitate, & quantitate peccati, diuersæ mulctæ sententiam expendit. Si parum est quod peccas, ferieris damno minuti. Vt Lucas scripsit, vt verò Matthæus, Quadrantis, verùm necesse est, hoc ipsum, quod exstitisti debitor soluere; non enim indè exies, nisi & minima quæq; persolueris &c. Si qui parum debet non egreditur, nisi exsoluat minutum quadrantem, vtiq; qui tanto debito fuerit obnoxius, infinita ei ad reddendum debitum secula numerantur.*

Anno 250. Cyprianus Epist: 52. *Alia est Philosophorum, & Stoicorum Ratio, qui dicunt omnia peccata paria esse, & virum grauem non facilè flecti oportere. Inter Christianos autem, & Philosophos plurimum distat.*

A. 370. Ambrosius ad c. 4 Epist: ad Roma: *De-*

lictorum

dictorum primus gradus, est iniquitas, vel impietas dùm non agnoscitur Creator. Secundus grauium peccatorũ opera: tertius verò leuium.

Hieronymus contra Iouin: lib. 2. c. 16. *Sunt peccata leuia, sunt grauia. Aliud est decem millia Talenta debere, aliud quadrantem, & de otioso quidem verbo, & adulterio rei tenebimur, sed non est idem suffundi, & torqueri, erubescere, & longo tempore cruciari*: & multa alibi fusè, & disertè, de hac differentiâ, præcipuè c. 17. ac deindè ad cap: 7. Matth. & Ep: 14. ad Celantiam. A. 390.

Ioannes Chrysostomus Homil: 24. in Matth: *Quid vides festucam in oculo fratris tui? sunt qui cum flagitiis abundent innumeris, alios de leuibus quibusq; delictis totâ temeritate condemnant. Videtur JESUS Judæos notare, qui de paruulis quoq; omninò culpis Accusatores amarissimi, Proximorum, ipsi nihilò minus sua, nec maxima quidem crimina cohibebant.* A. 340.

Augustinus lib: de Nat: & gratia, c. 38. *Quia sæpè in leuissimis, & aliquando incautis obrepit peccatum, & justi fuerunt, & sine peccato non fuerunt.* A. 340.

Et in Enchirid: c. 71. *De quotidianis breuibus, leuibusq; peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Delet enim oratio minima, & quotidiana peccata. Idem fusiùs docet de Spirit: & Literâ,*

Literâ, cap: 36. & Serm: 41. de Sanctis, varijs in locis.

A. 341. Concilium Mileuitanum Can: 6. 7. & 8. docet Sanctos, & justos homines habere peccata quædam, quæ licet sanctitati, & justitiæ non repugnent, tamen verè peccata sint, & remissione indigeant.

2. Patet ergo ex allegatis Testimoniis SS. PATRVM, totam primitiuam Ecclesiam, quæ errare non potuit, semper credidisse peccata quædam esse ex naturâ suâ tàm leuia, vt cum iustitiâ existere possint, vt nullo modo mortalia sint. Non quia non imputantur, vt talia; sed quia ex naturâ suâ tanta non sint, vt à justissimo Deo pro mortiferis imputari possint. Quam doctrinam cùm neget Ecclesia Lutherana, fallitur, & ab Ecclesiâ verâ primitiuâ dissentit.

CAPUT 2.

Exponitur vtriusq; partis sententia. Catholica probatur, Lutherana refutatur.

3. VT status quæstionis rectiùs percipiatur, Doctrina partis vtriusq; explicanda est. Ac imprimis Catholici sic ajunt: Præter peccata quæ mortalia dicuntur, eò quod animæ mortem adferant, dari

alia

alia etiam peccata minutiora, quæ venialia vocantur: adeò ex natura suâ leuia, vt nec mortem adferant, nec æternâ pœnâ digna sint. Ideoq; mortalibus peccatis in his duobus opponuntur. E contrà Aduersarij, licet illam peccatorum diuisionem non reijciant, docent tamen omnia omninò peccata re ipsâ, & ex naturâ suâ esse mortalia. Quòd autem quædam venialia dicantur, non id fieri, quia tàm leuia ex naturâ suâ sint, vt veniam mereantur; *Sed propter meram Dei misericordiam* (verba sunt Brochmanni, de peccato c 7.) *qui statuit, non quidem juxta legis rigorem (qui tantus est, vt qui vel tantillum delinquit, omninò ipsi sit moriendum) sed juxta gratam Euangelij æstimationem, ne queuis peccata, sine quibus renati propter infirmitatem suam esse nunquam possunt, fideles morti obnoxios faciant.* Vno verbo: esse quædam peccata venialia, non ex materiæ leuitate, & naturâ, sed quia Deus ea homini fideli non imputat ad mortem; cujus doctrinæ fundamentales rationes c. 3. producendas refutabimus His ita positis, sententia Catholicorum confirmanda est.

§. I.

Confirmatur Sententia Catholicorum.

4. 1. PRo Catholicis ſtat Scriptura ſacra, & conſenſus Eccleſiæ primitiuæ vniuerſæ, quē capite ſuperiori expoſuimus. Scriptura enim peccatorum meminit, quæ etiam in juſtis, dùm manent juſti, reperiuntur. Prou: 24. v. 16. *Septies in die cadet juſtus, & reſurget:* Ex quibus verbis tale dilemma formo: vel ea peccata, in quæ ſepties in die cadit Iuſtus, ex naturâ ſua adeò ſunt leuia, vt de juſto non poſſint facere injuſtum; vel certè ſunt mortalia ex naturâ ſuâ, & quòd non faciant injuſtum, id ſolùm miſericordiæ DEI attribuendum, qui Iuſto talia non imputat: ſi primum; habemus quod intendimus. Si alterum; magna profectò injuria juſtis irrogatur, cùm aſſeritur ſepties eos in die peccata mortalia committere; ideoq; cum dæmonibus ſupplicia ſempiterna promereri. Exemplo injuriam declaro: 1. ſi honeſto viro diceretur, eum aliquoties de die cum furibus ſuſpendium mereri, aut rotam cum latronibus, ſed illam ſolâ Iudicis clementiâ euadere, nunquid injuria magna cenſeretur? 2. Injuria toti Eccleſiæ infertur, quæ non niſi imputatiuè hac ratione *Sancta* dicitur. 3. Blaſphemia eſt in Deum, quaſi is injuſtos pro juſtis habeat, vt mortalia peccata judicet non eſſe talia, qualia ſunt re ipſa. Nam ſi verè ſint peccata mortalia, quæ venialia

nialia nominamus, & idcircò non imputentur, quia Deus non judicat esse talia, Deus profectò judicat nō esse, quod à parte rei est. Dicendus est ergò DEVS, in judicio suo errare, quod blasphemum est. Aut si judicet esse talia, & ex solâ misericordiâ non punit, non est ratio, cur in illis sit potiùs misericors, quàm in aliis omnibus etiam grauissimis peccatis. Nec vllam rationem ex naturâ rei adferre possunt Aduersarij, nisi quod hæc ex naturâ suâ grauia sint, illa leuia, & sic cogentur nobiscum consentire, vt sequenti §. demonstrabimus.

II. Scriptura judicat quædam peccata esse *magna*, quædam *parua*. Ideò Matth: 7. v. 3. Luc: 6. v. 24. comparantur peccata *trabi*, & *festucæ*. Matth: 23. v. 24. *Camelo*, & *Culici*, & Matth: 5. v. 22. distinguitur inter iram minorem, quæ *reum facit judicij*, & majorem, *quæ reum facit gehennæ*. Neq; vnquam Scriptura indicat, se ideò hoc, vel illud peccatum dicere paruum, quod DEVS sit illud condonaturus; illud verò magnum, quod non sit condonaturus. Igitur de peccato secundùm se, & suam naturam, illam loqui censendum est. siquidem alia quoq; *magna* esse declarat, quæ DEVS remissurus erat; vt constat ex peccato Dauidis 2. Reg: 12. & de peccato Adami, *per quem peccatum intrauit in mundum, & per* 5.

peccatum mors. Rom: 5. v. 12. Et tamen illud remissum est. ideoq; Tacianos negantes Adamum esse sanctum, numerant inter hæreticos S. Augustinus hæresi 25. Irenæus l. 1. c. 13. Tertullianus, Epiphanius, & alij. Atq; ita manifestum est Scripturam pro nobis stare.

O. Ex ratione sic probari potest leuitas peccati venialis ex naturâ suâ. Peccatum veniale ex naturâ suâ, non est perfectè peccatum, Ergò ex naturâ suâ non potest esse mortale. Probatur antecedens, de quo solo quæstio est: Vt aliquid sit perfectè peccatum, debet esse perfectè voluntarium, quod de veniali dici non potest, quia peccata venialia, quæ dicuntur fieri ex surreptione, non sunt plenè deliberata, ergò neq; perfectè voluntaria, & consequenter nec peccata. Et licet peccata venialia quædam, quæ talia sunt ex paruitate materiæ, sint perfectè voluntaria, non dicuntur tamen perfectè contra legem, quia Dei amicitiam non soluunt, quamuis verè, & realiter contra legem sint leuiter illa prohibentem, v. g. furtum vnius oboli; catenus enim peccat aliquis contra legem, quatenus peccat contra charitatem, quia finis præcepti est charitas, teste Apostolo. Sed qui furatur vnū obolū non peccat perfectè, sed tantùm leuiter contra charitatem, ergò non peccat etiam

am perfectè contra legem, hoc est contra legem Dei præcipuam, & quæ simpliciter necessaria sit ad salutem. Quod autem talis perfectè contra charitatem non peccet, patet inde, quod nemo injuriam sibi illatam esse dicet, cui solum vnus obolus ablatus est: nec vllus amicus rationabiliter amicitiam dissoluet propter vnum obolum ab amico sibi ablatum. Deinde Iudex ciuilis nunquam judicabit, nec potest judicare morte dignum, qui vnum tantùm obulum furatus est, idq; ob furti paruitatem, injuria enim imperfecta proximo illata est, & injustitia imperfectè tantùm commissa, & consequenter charitas tantùm imperfectè læsa. Si hæc in ciuilibus ita judicentur, cur DEVM homine crudeliorem faciemus?

Confirmantur hæc omnia ex eo, quod Scriptura justos, sanctos, & diuinæ legis obseruatores vocet, qui peccatis venialibus non carebant, vt constat Luc: 1. *Erant*, inquit, *justi ambo coram Deo, incedentes in omnibus mandatis, & Justificationibus sine querela.* Hos autem non caruisse peccatis venialibus, testis est eadem Scriptura, cùm Apostolus de se, & sui similibus dicat 1. *Johan: 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsi nos seducimus.* Ergò hujusmodi peccata non sunt propriè, & per- 7.

fectè contra legem, quia qui hujusmodi habebant totius legis præuaricatores dici debuissent, juxta illud Iacob: 2. *Qui offendit in vno, factus est omnium reus*. Et cùm Sancti, & Scripturâ teste justi, semper à Deo petierint sibi peccata sua condonari, intelligendum id est, procul dubio de venialibus (nam si mortalia habuissent, jam non erant justi) Ergò credebant venialia sibi imputari, & per fidem suam non remitti, & consequenter credebant, licet ea peccata sibi imputarentur vt peccata, tamen per ea non amitti Iustitiam, sed tantùm minui, seu potiùs bona opera difficiliora reddi.

§. 2.

Doctrina Lutherana refutatur.

8. QVamuis multis rationibus Doctrina Aduersariorum refutari posit, ab aliis Doctoribus allatis, suffi cient tamen illæ pauculæ euidenter à nobis adducendæ.

1. Si propterea peccata venialia sint in justis venialia, non quia ex naturâ suâ talia sunt, sed quia propter fidem quam habent, illis non imputantur vt mortalia; duo sequuntur grauissimè absurda: videlicet, quod peccata quæ nulla sunt, aut tantùm venia-

venialia in fidelibus, eadem in illis, qui falsam, aut nullam fidem habent (quales sunt hæretici, & infideles) sint mortalia peccata, quod falsum, & absurdum est. Pro claritate pono exemplum. Fidelis aliquis loquitur verbum otiosum, aut surripit vnum obolum. Hoc, juxta Lutheranos est peccatum mortale *ex naturâ rei*, sed non imputatur ei propter fidem, ergò in infideli hæretico, qui fidem non habet, semper deberet esse mortale; quia propter defectum fidei non posset illi non imputari à Deo. Nam si fides sola causa est, cur peccata aliqua sint venialia, sine dubio peccata omnia mortalia erũt ijs, qui fide carent. Quod cùm clarè sequatur, clarè etiã falsum, & absurdũ est vt probatur 1. Quia dignitas personæ, qualis est fidelis, non minuit, sed auget rationem culpæ, ergò minùs debet esse peccatum in infideli, quàm in fideli. 2. Cùm fidelis magis perfectioni studere teneatur, quàm infidelis, vt qui lumine majori præditus, gratias, & remedia contra peccatum majora habeat, tanquam *seruus qui cognouit voluntatem Domini sui*, *Luc: 12*, sequitur idem genus peccati grauiùs in fideli esse, quàm in infideli: fideli enim tanquam scienti, meritò debet magis imputari culpa, quàm infideli, qui ignorat, v. g. verbum otiosum peccatum esse; fidelis autem didicerit ex Scripturâ, de omni verbo otioso reddendam esse ra-

ſerationem. Ergò quæ tantùm ſunt peccata venialia in fideli, multò minora debent eſſe in infideli: quia Deus videretur hoc injuſtè neſcienti imputare. Cùm igitur hujuſmodi peccata, ex naturâ ſuâ, in infideli pænè nulla, ſeu tantùm venialia ſint, ſequitur etiam in fideli talia eſſe, cùm propter diuerſa ſubiecta non mutetur ratio, ſeu natura peccati.

9. Sequitur 2. nullum fidelem vnquam poſſe mortaliter peccare, quod probatur; nam cùm fideles omnes habeant fidem, nullum peccatum poterit illis à DEO imputari vt mortale. Non enim eſt ratio apud Lutheranos, cur propter fidem, ſi æqualis ſit, vnum peccatum non imputetur, & aliud imputetur eâdem permanente fide.

Quo conceſſo, ſequitur homicidium, adulterium, ſodomiam, & alia maximè enormia peccata, non eſſe mortalia in fidelibus; quia propter fidem non poſſunt illis à DEO imputari. Si autem dicant Aduerſarij, poſſe, & debere illis imputari; tunc manifeſtè ſequitur, vel fidem in talibus non operari, vel certè fidem penitùs amitti. Vtrumq; autem eſt in illorum ſententiâ inconueniens Non poſſunt enim dare rationem, cur in homicidis, ſodomitis, adulteris, latronibus &c. non operetur eodem modo fides, ſicut operatur in aliis peccantibus mortaliter, niſi dicant id fieri, quia a-

lia

lia peccata ex naturâ suâ leuiora sunt. Si autem asserant in homicidis, adulteris, & similibus amitti fidē, necessario sequitur, omnes hujusmodi peccatores, flagitio commisso, statim fieri Hæreticos, vel Gentiles, est enim Gentilis aut Hæreticus, qui veram fidem non habet. Non habent autem veram fidem, qui eam per enorme peccatū amiserunt. Quid vero absurdi⁹ dici potest, & alieni⁹ ab omni ratione, quàm asserere, quoslibet graues peccatores inter fideles, ꝑ peccatum fieri Hæreticos, aut Gentiles?

11. Quæro ex Aduersarijs, quare verbum otiosum dicant non imputari à DEO ad reatum mortis; homicidium autem imputari asserant, cùm in vtroq; hæc habente peccata, fides sit? sine dubio respondere cogentur (nisi dicant quòd superiùs attulimus) quia vnum DEVS videt esse inuoluntarium, aut planè leue: aliud verò voluntarium, & graue. Rationem enim nullam aliam assignare possunt. Ergò debet esse aliquid in vno. v. gr: veniali, quod facit vt peccatum illud sit veniâ dignum, & ad reatum mortis à DEO non imputetur. Si dicant esse fidem, cum quâ peccatum illud simul consistit. Quæro vlteriùs, cur peccatum aliquod cum fide simul consistat, aliud fidem excludat, & sit mortale? respondent quod supra; videlicet, quia il- 10.

lud inuoluntarium eſt, hoc autem voluntarium: id enim Philippus Melanchton, & alij Lutherani docent. Verùm quid hoc eſt aliud, quàm diſcrimen venialis, & mortalis, ad ipſam peccati rationem, & naturam referre, & verbo negare, quod re ipsâ coguntur affirmare? Voluntarium enim eſſe, & non voluntariũ, ad ipſam peccati naturam pertinet; ideoq́; quod Catholici aſſerimus, ſi propriè velimus loqui, non ideò peccatum aliquod eſt veniale, quia DEVS illud ad reatum mortis æternæ non imputat; ſed ideò illud DEVS ad reatum mortis æternæ non imputat, quia veniale eſt.

11. III. Vel omnia peccata ex naturâ ſuâ æquè digna ſunt pœnâ æternâ, & expulſiuâ fidei, vel non ſunt: ſi ſunt (vt dicere coguntur Aduerſarij) cur ergò per vnum euertitur fides, & juſtitia, & non per omnia? Dicent, quia DEVS vnum imputat ad peccatum, & non aliud. ſed contra: quare DEVS vnum imputat, & non aliud? hic neceſſariò confugere coguntur ad naturam peccati, ſicut in argumento præcedenti diximus.

Si verò non ſunt æquè expulſiua fidei, & digna morte æternâ, manifeſtè ſequitur, quædam ex naturâ ſuâ conſiſtere cum fide & juſtitiâ, quæ proindè naturâ ſuâ non ſunt mortalia, ſed venialia.

IV. Si

IV. Si peccatum veniale ex naturâ suâ tantæ sit malitiæ, vt amicitiam DEI meritò dissoluat, deberet etiam dissoluere vbiq; aliam amicitiam: *quod enim ex naturâ suâ rei conuenit, semper, & vbiq; conuenit.* Sed alias amicitias inter homines non dissoluit: Lumen enim naturæ docet, non quamuis offensam minimam tantam esse, vt digna sit amicitiæ renunciatione, quantumuis magnus sit, qui offenditur. Sicut neq; ob quoduis minutissimum erratum Regius Minister (si fortè minùs commodè calceum porrexit, aut minimam labeculam ex veste non abstersit) confestim reus læsæ Majestatis efficitur, aut ad furcam adjudicari potest. Ergò nec apud Deum adeò benignum, dici potest hoc fieri; nisi blasphemè dicere velimus, nullam amicitiam esse infirmiorem, inconstantiorem, & periculosiorem, quàm cum DEO: quod diuinæ Majestati, & bonitati repugnat. Et quis prudens sibi persuadeat, Deum velle, vt quilibet risus, quem honestè quidem, & ex ratione, sed nonnihil im̃oderatè, & cum modico excessu suscipit, statim æternâ pœnâ dignus sit? idem dico, si quis deliberatè vnum cochlear cibi, aut potus, vltra necessitatem sumat: aut scienter proximo rem dimidiati oboli clam auferat; Hæc omnia statim ex naturâ suâ mortalia asseremus? 12.

CAPVT

CAPUT 3.

Aduersariorum Objectiones diluuntur.

13. DVplicis generis argumenta sunt, quibus doctrinam suam stabiliunt Aduersarij, & oppugnant nostram. Primum desumunt ex Scripturis, in quibus potissimùm se fundant. Alterum ex ratione. Ex Scripturis objicit Brochmannus de peccato c. 2. quæst. 2.

I. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis hujus*, Deut: 27. v. 26. Ergò quisquis contra legem quomodocunq; peccauerit, sub maledictum cadit. Nulla igitur peccata non sunt rea maledicti, quare quod aliqua sint venialia, non habent ex natura suâ, sed merâ Dei misericordiâ non imputante vt mortalia. Respondeo locum illum contra nos nihil facere.

1. Quia præceptum hoc tantum est particulare, prohibens ea, quæ ibi nominatim exprimuntur, quæ partim sunt mortalia, partim ceremonialia, (vt ab initio capitis vsq; ad v. 9 liquet: ad quæ, si nos obligare velint Aduersarij, ipsi nos Iudæos facient, contra Apostolum ad Gal: 2. v. 10. & 13.) partim sunt grauia, & mortalia; vt sunt Idolo-

dololatria, Homicidium, &c: igitur qui committit hujusmodi mortalia, sub maledicto est. Adde non ex eo quod aliquis sub maledicto est, sequi eum peccasse, quia & Christus *factus est pro nobis maledictum*. Galat: 3. v 13. *quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Deuteronom: 21. vers. 23. quis autem CHRISTVM peccasse dicat? Deniq; licet in c. 27. sæpè *maledictio* intentetur transgressoribus, non tamen vbiq; agitur de maledictione æternâ, sed de temporali solâ, vt patet ex v. 15. & seq: Ex maledictione autem temporali, non potest colligi peccatum mortale: multæ enim hujusmodi leges temporales non inducunt reatum conscientiæ, sed tantum pœnam temporalẽ. Ergò ex illo *maledicto* nullo modo probari potest, peccatu veniale reos nos facere pœnæ, mortisque æternæ.

11. Obijciunt: *Anima quæ peccauit, morte morietur*, Ezech: 18. v 4. *Stipendium peccati mors:* Rom: 6. v. vlt: *Qui offendit in vno, factus est omnium reus.* Iacob: 2. v. 10. In quibus locis sermo est de peccatis vniuersè, & in communi, adeò vt quælibet venialia comprehendantur. Ergò omnia peccata ex naturâ suâ sunt æqualia, & ratio datur à Iacobo citato nimirum, quod *vnus, & idem Deus auctor sit mandatorum omnium.* Ergò quomodocunq; quis in eundem peccat, æqualiter peccabit. 14

Verùm

Verùm clarè falsum est, tàm Ezechielem, quàm Paulum, & Iacobum de omnibus peccatis vniuersim agere. De mortalibus enim, & ijs quidem grauissimis, solummodò loquuntur. De Ezechiele clarè patet, illum de certis tantùm peccatis, nempè idololatriâ, adulterio, homicidio, rapinâ, & vsurâ loqui. Neq; aliter candidus Lector judicare poterit, si caput citatum legat. Idem est de Paulo, cui de immunditiâ, & iniquitate sermo est. Iacobum quoq; de grauioribus tantùm agere, ipse sibi testis est. Nam cùm dixisset: *Quicunq; totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus*. Statim subjungit, & exemplo adducto seipsum explicat: *Qui enim dixit, non mœchaberis, dixit & non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis*. Vnde euidenter patet, eum tantum de grauioribus peccatis loqui, vndè sensus Apostoli est, vt dicat illum, qui vno peccato mortali offendit Deum, perindè excidere gratiâ, ac si pluribus offenderet. Accedit, quod Apostolus hîc contra Pharisæos agat, qui volebant nō damnandum illum, qui majorem partem legis obseruaret, contra quos docet Apostolus, perindè damnandum (etsi minori pœnâ) atque si totam legem violâsset. Ad rationem ab Aduersariis allegatam, respondebitur infra.

III. Vt-

III. Vrget Brochmannus locum Matt: 15.
5. v. 19. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum*, mandati ergò diuini, judicio hominum minimi, transgressio excludit homines è regno DEI. Nam minimum esse in regno cœlorum, est planè nullum esse in regno cœlorum, *in cœlo nihil erit nisi magnum*, inquit D. Augustinus. Ita Brochmannus.

Sed respondeo nihil hîc contra nos agi. Nam certum est, ipsis etiam Aduersariis fatentibus, Christum hîc agere contra Scribas, & Pharisæos, qui prauè leges interpretabantur, & sic prædicabant dilectionem amicorum, vt tamen inimicos non vetarent odio haberi. Sic Adulterium damnabant, vt tamen concupiscentiam solo corde conceptam prohibitam esse negarent, & ita iras, libidinosas cogitationes, & similia in actum non erumpentia, vel nulla peccata, vel minima vocabant. Hos reprehendit Christus, & docet homines hujusmodi, qui talia peccata, quæ Pharisæi minima vocabant (& erant minima respectu eorum, quæ in actum prodeunt) soluerint, non cauendo, eos minimos in regno cœlorum appellandos. Hinc Christus dicit: *Non veni legem soluere, sed adimplere*, quasi dicat; Non veni, vt docerem interiora, v.

gr: con-

gr: concupiſcentias, non eſſe peccata: ſed vt inculcem, tàm interiora, quàm exteriora crimina vetari, illiſq;, qui legem adimplere volunt: quod erat legem perfectè explicare, & adimplere. Et hic ſenſus eſt planus, & clariſſimus ex contextu manifeſtus, atq; ideò nihil contra nos vrgens.

Nunc examinandæ rationes, quas contra nos adducunt Aduerſarij.

16. I. Omne peccatum eſt tantum malum, quantus eſt is, contra quem committitur, vt ait D. Anſelmus; ſed peccatum veniale committitur contra Deum bonum infinitum, ergò peccatum veniale erit malum infinitũ, & conſequenter ex naturâ ſuâ mortale. Ex quo argumento profluunt alia: videlicet quod Deus poſsit peccatum veniale punire morte æternâ, quia malum culpæ leuiſsimæ majus eſt, quàm malum quodlibet pœnæ etiam grauiſsimæ, & alia ſimilia. Reſpondeo in ſano ſenſu intelligendam eſſe iſtam propoſitionem: *Peccatum tantum malum eſt, quantus eſt is, in quem committitur.* Falſum enim eſt. 1. ſi abſolutè intelligi quis velit; ſed ſolum reſpectiuè, & ſecundùm quid, verùm eſſe poteſt. Nam Deus eſt eſſentialiter in ſe, & ſine reſpectu ad aliud infinitus; non tamẽ ideo eodem modo peccatum in ſe eſſentialiter, & ſine reſpectu ad aliud erit infinitum. Ratio eſt, quia Deus offenſus tantùm extrinſecè afficit actum

pecca-

peccati, terminando tendentiam ejus, quæ habitudo ſimpliciter finita eſt, licet perſona terminans ſit infinita; ita act⁹ ſpei, fidei &c. licèt in Deum infinitum tendant, non tamen ideò concipiunt bonitatem infinitam. Quia tamen ex dignitate perſonæ offenſæ, reuera creſcit malitia peccati, hinc tantum ſecundum quid dicitur à S. Anſelmo, & alijs, malitia peccati eſſe infinita. 2. Supradicta propoſitio intelligenda eſt de peccato perfectam injuriam faciente DEO, quale non eſſe veniale, ſupra demonſtrauimus. Quare quando ſic argumentantur Aduerſarij: Peccatum veniale offendit infinitam Majeſtatem DEI, ergò habet infinitam malitiam. Negatur conſequentia: etſi enim infinitus DEVS per veniale offendatur, offenditur tamen finitè; neq; ſemper offenſa tantam habet malitiam, quantam habet dignitatem, is qui offenditur, quando talis offenſio tàm leuis, & imperfecta eſt, vt per eá Amicitia Dei non euertatur, nec DEVS, vt vltimus finis Creaturis poſtponatur. Sicut omiſsione alicujus leuis obſequij, Regia dignitas poteſt offendi, non tamen neceſſe eſt, vt quanta dignitas Regis eſt, tanta ſit grauitas offenſæ.

Ad argumentum quod addebant Aduerſarij, videlicet quamlibet culpam etiam leuiſsimam à Deo æternâ morte puniri poſſe, reſpondeo falſum eſſe, ſi DEVM vt Iudi-

cem, non tantùm vt Dominum, & Patrem spectemus. Potest quidem supra condignum aliquid remunerari DEVS, quia misericors est; non potest tamen supra condignum quenquam punire, quia justus est.

II. Obijciunt 2. peccare nihil est aliud quàm Deum offendere, transgrediendo ejus præceptũ, perindè ac si quis transgreditur terminum aliquem, aut lineam præfixam. Atqui vnus, qui venialiter peccat, non minùs transgreditur terminum præfixum, seu lineã, quã is, qui mortaliter peccat; & consequẽter non minùs trãsgreditur pręceptũ quàm alter, cùm hoc videatur consistere in indiuisibili. Ergò tàm grauiter peccat, qui venialiter, quàm qui mortaliter peccat.

17. Respondeo 1. si hoc argumentum quidquã valeret, probaret etiam omnia peccata mortalia esse inter se æqualia, quod tamen negãt Aduersarij, qui in peccatis mortalibus intensionem admittunt. 2. Ad Majorẽ respõdeo: peccare in particulari, non est simpliciter transgredi in cõmuni, sed hoc vel illud in particulari, grauiùs, vel leuiùs obligans. quando igitur aliquis venialiter peccat, nõ transgreditur pręceptũ grauiter obligãs, & consequẽter non trãsgreditur lineã, quæ discrimẽ inter veniale, & mortale constituit. Omitto alias objectiones ejusmodi farinæ, quarũ ipsos etiã pudet Aduersarios, ideoq; nec à Brochmanno producuntur.

De OBSERVATIONE LEGIS.

DEMONSTRATIO IV.

Quâ ostenditur Ecclesiam Lutheranam, non esse veram Ecclesiam, quia negat præcepta adimpleri posse, quæ tota primitiua Ecclesia semper docuit posse perfectè obseruari.

CAPUT I.

Primitiuæ Ecclesiæ sensus exponitur.



On quæritur, an homo naturæ viribus legem Decalogi perfectè obseruare possit; (hoc enim Catholici negamus) sed an obseruare possit auxilio diuinæ gratiæ adjutus? quod Ad- I.

uersariis negantibus affirmamus Catholici; & ita nobiscum totam primitiuam Ecclesiam sensisse, sequentia Patrum testimonia demonstrant.

Anno 200. Clemens Alexandrinus l. 4. Strom: c. 8. *Quin etiam præcepta sunt ejusmodi, vt à nobis possint fieri, vel non fieri: quæ consentaneum est, vt consequatur laus, vel vituperatio.*

An. 230. Origenes Homil: 9. in Iosue in eundem sensum fusè.

A. 250. Cyprianus de Baptismo Christi, de præcepto loquens: *Nulli*, inquit, *ad harum rerum persecutionem deest scientia, siue potentia. Quod si impossibilia essent præcepta tua, vel tantis difficultatibus onerata, vel voluntas tua sic abdita, vt non posset intelligi, quid à nobis expeteret tua altitudo, licet inuitus nemo peccet, posset tamen ex multis excusare debitum; nisi simul se complecterentur possibilitas,* & *facilitas, scientia, & potestas. Præcipis Domine Deus, vt diligam te, hoc, & possum, & debeo* &c. plura in hunc sensum.

A. 340. Athanasius de Virginitate seruandâ: *Intende vnicujus præcepto, & id quod jubetur præsta, ne dixeris in corde tuo, quonam ista modo præstare potero? non concipiat pauorem mens tua, sed cum omni alacritate seruabis ea. Siquidem timentibus Dominum, præcepta Domini difficilia non sunt.*

A. 350. Hilarius ad Psalm: 118. Lit: Lamed: (*Latum*

tum mandatum tuum vehementer) latum mandatum Dei est, & in omnia spei nostræ genera diffunditur, vt non difficilè sit, si voluntas adsit præcepto DEI obtemperare.

Basil: in regul: Breuior: respons: 176: *Estote imitatores DEI,* inquit Paulus, *sicuti filij charissimi, & ambulate in dilectione &c. sine dubio autem non præcepisset hoc, qui bonus, & iustus est, nisi etiam facultatem, quâ id faceremus, fuisset largitus.* A. 370.

Et Homil: in illud Moysis: *Attende tibi ipsi: Impium est asserere præcepta Spiritus sancti impossibilia esse obseruatu.*

Ephræm sermone ad pietatem, bonaq; opera Christi athletam exercente: *Diuinis præceptis nos semper occupare studeamus, vt animâ & corpore sanctificati, cunctisq; mandatis Dominicis per Spiritûs communicationem à nobis impletis, digni efficiamur Christo.* A. 380.

Hieronymus in c. 5. Matth: *Multi præcepta DEI imbecillitate suâ, non Sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt, & diligere plùs præcipi, quàm humana natura patiatur. Sciendum ergò est, Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta.* A. 390.

Et lib: aduersus Pelagianos c. 1. Crito: *Frustra ergò dantur præcepta, si ea implere non possumus.* Atticus: *Deus possibilia mandauit, hoc dubium nulli est: sed quia homines*

possibilia non faciunt, idcircò omnis mundus subditus est Deo, & indiget misericordiâ ejus.

Anno 400. Chrysostomus Homil: 15. in Matth: *Ne igitur impossibilia putemus esse præcepta, quæ certè & vtilia nobis sunt, & valdè facilia, vt multi ejus præcepta superent.*

Et Homil: 9. *Si jussisset quidem grauia, & quæ non possent fieri, posset fortasse proferre quispiam Legum difficultatem. si autem admodum sunt facilia, quidnam habemus, quod dicamus? Quod alibi pluribus in locis fusiùs inculcat.*

A. 400. Augustinus lib: de naturâ, & gratiâ c. 43. *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Et serm: 191. de tempore: *Execremur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à DEO esse præceptum: & mandata DEI non a singulis, sed ab omnibus in communi posse seruari.* In eandem sententiam aliis in locis plurima, maximè autem lib: de naturâ, & gratiâ c. 69. & 61. de tempore.

Vt omittam causâ breuitatis inumeros alios primitiuæ Ecclesiæ Doctores ex Concilio secũdo Arausicano, vnũ pro cõclusione

A. 444. afferam, vbi sic cap: 25. *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per Baptismum gratiâ, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutẽ pertinent,*

tinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.

Ex quibus patet totius Ecclesiæ primitiuæ sensus, quæ nullum omninò excipit præceptum, quod non cum auxilio diuinæ gratiæ, perfectè obseruare, & adimplere quiuis Christianus possit. Neq; ante Lutherum vix vllum inuenire est hæreticum, qui scriptis contrarium docuerit. Vndè clarum est, recens hoc inuentum esse, & à verâ doctrinâ Ecclesiæ primitiuæ alienum: & consequenter qui illud sentiunt, aut docent in verâ Ecclesiâ non esse, vtpotè, qui ab ejus verâ doctrinâ maximè dissentiunt. 2.

CAPUT 2.

Exponitur vtriusq; partis doctrina. Catholica asseritur, reijcitur Lutherana.

QVia totam hanc quæstionem confusè tractant Aduersarij, nec sibi inuicem consentiunt, sed aliter, atq; aliter doctrinam suam explicant, & varia Catholicis affingunt, quæ ab eorum doctrinâ planè aliena sunt, judicaui inprimis explicandum clarè esse, quid doceant Catholici; ac deindè quid ij sentiant, qui se Doctores Lutheranos putant. De plebe nihil

dicemus, eò quod ipsa in hac materiâ nesciat, quid sentiat.

§. I.

Sententia Catholicorum explicatur, & confirmatur.

3. CAtholici fatentur 1. Legem DEI per solas vires liberi arbitrij, homini esse impossibilem, possibilem tamen fieri, per auxilium gratiæ DEI, & Spiritum fidei, & charitatis, in ipsâ justificatione nobis infusum.

2. Asserunt Catholici: Opera justorum, siue legis obseruationem, non esse adeò perfectam, vt non perfectior esse possit: sed tantam tamen habere perfectionem, quantam in hâc vitâ à nobis exigit, qui legem constituit benignus Legislator; quæq; sit sufficiens ad satisfaciendum obligationi.

3. Docent Catholici, legem quidem non ita perfectè posse obseruari, quin bonis operibus mala subindè misceantur, non quidem mortalia, sed venialia, quæ non impediunt, quo minus justi maneant, qui justi erant: atq; adeò perfectionem, & justitiam operum non tollant, sed difficiliorem faciant. Quæ omnia docet *Concil: Trident: Seß 6. c. 11.*

Ex quibus Catholici rectissimè concludunt, totam legem perfectè à justis posse obseruari.

Hæc

Hæc autem poſſibilitas obſeruandi legem probatur tàm authoritate Scripturarum, quàm ratione, vt omittam SS. Patrum teſtimonia ſuperiori capite allata. 4.

Ex Scripturis hæc clara ſunt S. Spiritus effata:

I. Matth: 11. v. 29. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* 1. Ioh: 5. verſ 3. *Et mandata ejus grauia non ſunt.* Philip 4. v. 13. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Item Pſal: 118. v. 32. Et Ezech: 36. v. 27. Ex quibus locis euidenter aſſeritur facilitas mandata obſeruandi. Quibus Brochmannus frigidè reſpondet, Non inde ſequi mandata DEI per ſe facilia eſſe obſeruatu, ſed tantùm reſpectiuè, comparatione factâ ad infinitam illam molem Iræ, & Damnationis Dei, quàm Chriſtus in ſe tranſtulit. Miſerum effugium! Chriſtus ſupradictis locis abſolutè loquitur; & omnem collationem & reſpectum Apoſtolus excludit. *Omnia,* inquit, *poſſum in eo, qui me confortat.* In quibus verbis nullus omninò comparationi locus eſſe poteſt. Ergò de facilitate præceptorum in ſe cum diuinâ gratiâ Chriſtus & Apoſtolus loquuntur.

Secundò: A multis legem de facto perfectè adimpletam eſſe, & adimpleri potuiſſe probaturi. Gen: 6. v. 9. *Noë vir juſtus, atq; perfectus fuit in generationibus ſuis, cum* 5.

DEO ambulauit. Gen: 17. v. 1. Abrahamo dicitur: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Matth: 5. v 44. monet Christus: *Estote ergò vos perfecti.* Matth: 19. v. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, &c.* Paulus Philipp: 3. vers. 15. de se, & aliis dicit: *Quicunque perfecti sumus.* 1. Ioannis 2. vers: 5. *Qui seruat verbum ejus, verè in hoc charitas DEI perfecta est.* Dauid mandata Dei seruauit, & secutus est in toto corde, 3. Reg: 14 v. 8. & Act: 13. Idem de Iosiâ legimus 4. Reg: c. 23. Ac de Asâ, & populo, 2. Paral: c. 15. De Zachariâ, & vxore: *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini, sine querelâ,* Luc: 1. De Apostolis ait Dominus Ioan: 17. *Sermonem tuum seruauerunt.* Ex quibus manifestè conficitur Legem Dei à multis perfectè adimpletam fuisse, & promittente, ac jubente Deo obseruari potuisse. Quod autem opponit Brochmannus nullum Sanctum sine peccato fuisse, atque ideò non potuisse perfectè obseruasse legem: Nihil est. Vel enim agit de peccatis grauibus, & mortiferis, in quæ fuerunt aliquando lapsi, & tunc fatemur tales pro eo tempore legem non seruâsse. Potuerunt tamen eam seruare, quia potuerunt non peccare: Non enim peccârunt necessariò, ac statim deindè per pœnitentiam ju-

am justificati sunt. Vel agit de minoribus, seu venialibus delictis. Sed per hæc justitiam non tolli alio loco probatum est.

2. Rationes euidentes sententiam Catholicam defendunt. 6.

Primò. Lex nulla obligat, quæ impossibilia præcipit. Ergò si impossibilis sit Legis obseruatio, lex non obligat, imò nulla Lex est. Neq; enim fingi potest in eo quenquam peccare, quod euitare nullo modo potest. Sed neq; ad hoc obseruandum aliquis conniti debet, quod scit nullo conatu se obseruare posse. Ergò nullum peccatum poterit committi, quia cùm nullum sit peccatum, nisi transgressio sit legis, si ad legis obseruationem propter impossibilitatem ejus non obligor, non censeri possum transgredi, & nunquam possum peccatum committere contra legem. Et frustrà respondent Aduersarii, id in politicis habere locum, non in diuinis. Verùm cùm rectæ rationi Scripturarum, & Patrum testimonia consentiant, nulla assignari potest ratio, cùr dicant, Deum aliqua contra rationē rectam præcepisse. Præcepisset autem contra rationem, si ea præcepisset, quæ obseruari nullo modo possunt, ergò tàm in diuinis, quàm in politicis ratio ista valet.

Et manifestè sequeretur, crudeliter, & stultè Deum agere, qui ab ipsis amicis suis

exigit tributum, quod ſcit à nemine poſſe ſolui: & leges etiam præſcribat, quas à nemine ſcit obſeruari poſſe. Sed replicat Brochmannus c. 2. de lib: arbitr. quæſt: 13. Tyrannum quidem Deum fore, ſi ea præciperet, ad quæ nobis vires non dediſſet, ſed cùm primo homini in ſtatu innocentiæ vires dederit, ad omnem impletionem legis, & ipſe eas per præuaricationem ſuam jam amiſerit, ſibi impotentiam ſuam imputet, & Deum non accuſet.

2. Deum, ait, non requirere jam ab homine lapſo Legis obſeruationem, quæ eſt impoſſibilis, eo nomine, vt illam perfectè impleat, ſed tantùm vt agnitâ ſuâ impotentiâ, eò feruidiùs ad Chriſtum Mediatorem confugiat, perq; ipſum vitæ æternæ obtinendæ rationem conſequatur. Sed peni-
7. tùs inanes ſunt inſtantiæ. Nam Deus iis legẽ tulit, à quibus eam voluit ſeruari: ſed tulit Legẽ homini jam lapſo, ergò eam ab eo voluit ſeruari; ergò adhuc crudelis, & Tyrannus eſſet, ſi tuliſſet legẽ ſeruatu impoſſibilẽ.

Ad 2. Deum quidem fatemur ab homine Legis obſeruationem viribus naturæ impoſſibilem non exigere, ideoq; auxilium, & gratiam ad ejus obſeruationem donat, per quæ ejus obſeruatio fiat abſolutè poſſibilis, ad hanc gratiam vberiùs acquirendam, ad Mediatorem Chriſtum confugimus,

gimus, & impotentiam noſtram, ad eam viribus naturæ adimplendam ſic abundè confitemur, & agnoſcimus.

Secunda Ratio. Certum eſt *Chriſtum eſſe pro nobis paſſum, vt juſtificatio legis impleretur in nobis* Rom: 8. v. 4. Deindè certum 8.
eſt, *Chriſtum factum eſſe omnibus obedientibus ſibi, cauſam ſalutis æternæ*. Hebr: 5. v. 9. His poſitis ſic vrgeo: Si lex igitur, (vt ajunt Aduerſarij) impleri non poteſt, ergò fruſtrà Chriſtus paſſus eſt; quia per paſſionem ſuam non obtinuit, quod intendit. Ideò enim paſſus eſt pro nobis Chriſtus, vt juſtificatio legis in nobis impleretur: ſed non impleretur, ſi legem non poſſimus adimplere. Ergò Chriſtus non obtinuit, quod voluit.

2. Falſum etiam erit, quod aſſerit Apoſtolus, factum eſſe Chriſtum omnibus obedientibus ſibi cauſam ſalutis æternæ; nam ſi nullus legem adimplere poſſit, nullus etiam poteſt obedire Chriſto, quod ſi ita, vt manifeſtè patet, nulli profectò Chriſtus factus eſt ſalutis cauſa.

Tertia Ratio. Certum eſt ex variis Scri- 9.
pturæ locis *Rom: 5. & 8, 1. Corinth: 3. Gal: 5. Tit: 3* & aliis, omnes juſtificatos in ſe ſpiritum habere ſanctum, ſed Spiritus ſanctus vbi eſt, ibi fructus ſuos parit, quos enumerat Apoſtolus ad Gal: 5. v. 22. Charitatem, gaudium,

gaudium, pacem, patientiam, &c. qui verò fructus illos habent, *aduersus ejusmodi non est lex*, (inquit ibidem Paulus) hoc est, Lex non habet, in quo accuset eos, qui charitate præditi sunt, & virtutibus aliis ante memoratis,. Ergò si lex non habet quidquam contra illos quod accuset, necessariò dicendi sunt adimplere legem, quam si non implerent, nec Spiritum sanctum haberent, nec justificati essent, & lex haberet contra illos, quod argueret.

10. Quartò: Scripturâ teste justificati omnes, ex DEO nati sunt. *Ioan: 1. & 3. 1. Petr: 2. 1. Ioan: 4. Rom: 8.* Sed qui natus est ex Deo non peccat, nec peccare potest, eò quod ex DEO natus sit, vt habetur 1. Ioan: 3. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatũ nõ facit*, qui autem non peccat, implet legem (Nam ideò aliquis dicitur non implere legem, quia peccat) ergò omnis, qui verè justificatus est, implet legem, neq; potest fieri, vt verè justificatus maneat, & legem non adimpleat. Vndè manifestè patet, eos qui legem impossibilem dicunt esse, cogi contra Scripturarum clarissima testimonia negare, hominem justificatum ex Deo natum esse.

§. 2.

Doctrina Aduersariorum de impoßibilitate Legis refutatur.

Luthe-

LVtherus, & ejus Discipulus Melanchton, variis in locis clarè & absolutè negant Legem Dei seruatu possibilem esse. Sed quia hanc Assertionem varij variè explicant, vnum præ omnibus accipiam Brochmannum, cujus sententiam in medium adducam, quanquam nec ipse sibi constare videatur. II.

Is ergò c. 5. de Lege, Sect: 5. sententiam suam sic explicat, & fatetur homini gratiâ S. Spiritûs renato tantùm esse virium, vt possit vtcunq; conformari Legi Dei, tùm quantùm ad opera externa, tùm quantùm ad interiores motus, & effectus. Addit: hoc propriè quæri, quando de Legis impletione agitur: *An homo in hâc mortalitate ita Legi diuinæ conformari possit, vt nunquam vel dicto, vel facto, vel interiore cordis, aut mentis motu, deflectat, vel tantillum ab exactissimâ illâ, quam Lex requirit, obedientiâ.* Negat autem tali modo Legem obseruari posse, quod variis argumentis probat.

Verùm si verba illa sano sensu explicentur, etiam Catholici negabunt talem Legis possibilitatem. In explicatione igitur tota difficultas est. Ait enim Aduersarius Legem esse, quæ Deum toto corde, & proximos sicut nosipsos diligi præcipiat, vetétq; non tantùm opera externa voluntati diuinæ aduersantia, sed etiam quosuis

motûs

motûs interiores ἀτάκτους, & ἀνόμους. Adeò vt Lex, omnes illos adjudicet maledictioni, & morti æternæ, qui in re vel minimâ deliquerint. Iam verò non inueniri talem hominem, qui par sit tantæ obedientiæ præstandæ, probat variis Scripturæ testimoniis. In quâ explicatione manifestè patet eum asserere. 1. Legem *charitatis* non posse adimpleri. 2. Legem quoq; *non concupisces*, impossibilem ad obseruandum esse. & supponit primos omnes concupiscentiæ motûs adeò peccaminosos esse, vt hominem injustum constituant. Deniq; nulla dari minora seu venialia peccata, quæ ex naturâ suâ hominem Dei amicitiâ non priuent. Illa enim si non supponeret, in hoc cum Catholicis conueniret. Nam fatemur moraliter impossibilè esse hominem non aliquando concupiscentiæ motûs, & peccata venialia committere: quæ tamen sunt ejusmodi, vt licet ea committamus, legem DEI obseruemus, & ejus amicitiâ non excidamus. Probandum ergò 1. Legem charitatis obseruari posse. 2. Concupiscentias citra consensum non tollere adimpletionem Legis. De peccatis venialibus, alibi ex professo dicendi locus est.

12. Ad primum quod attinet, explicandus est præcepti sensus, quo Deum ex toto corde diligere jubemur. Tripliciter Deus ex toto

toto corde diligi dici potest. 1. Vt ita eum diligamus, vt totum cor nostrum, quantum est, in eo solo totaliter diligendo occupetur; nec quicquam omninò aliud, præter illum diligamus. De hoc sensu loquitur Augustin: quando *lib: de spirit: & lit: & lib: de perfect: iustitiæ* asserit, præceptum hoc non posse adimpleri in hâc vitâ, sed in aliâ. Illud enim præceptum tali modo explicatum in hâc vitâ non obligat, neq; sic præcipitur. Nam cùm in hâc vitâ dilectio præcipiatur, & ita diligere nemo possit, frustraneum foret omne præceptum dilectionis. Si autem talem dilectionem Aduersarij asserant requiri ad obseruationẽ legis, nunquam hoc probare poterunt. 2. Alia est dilectio ex toto corde; non quod totum cor nostrum debeat in diligendo occupari: sed quod tanto conatu debeat in dilectum ferri, quanto potest. Et sic quidem non præcipitur, quamuis ita seruari possit. Quis enim dicat à nobis diligi non posse Deum, eo conatu quo possumus? 3. Deniq; sensus est dilectionis, vt Deum ex toto corde diligamus, hoc est, super omnia, vt eum præferamus rebus alijs, vt nullius rei amorem Dei amori anteponamus, vt nullius creaturæ amore, vel timore, Deũ offendere, vel ab illius amore recedere velimus. Hic verus ac genuinus sensus est, quem ex-

plicat Apostolus Rom: 8. v. 39. *Nulla creatura poterit nos separare à charitate DEI.* Et Christus Matth: 10. v. 37. *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Hoc sensu fuisse Deum à plurimis dilectum toto corde, omnes sacræ literæ testantur. Ac inprimis à Dauide Psal: 119. v. 10. 1. Reg: 14. v. 8. A Iosiâ 4. Regum 23. v. 25. Ab Asâ 2. Paral: 15. v. 15. & aliis innumeris in locis, à Moyse, Samuele, Heliâ, Elisæo, Ieremiâ, Paulo, &c. Fusiora de his vide in Demonstrat: de operibus supererogationis, c. 3.

13. Ad dilectionem proximi quod attinet, hoc certum est illum adimplere legem, qui proximum diligit sicut seipsum, vt habetur *Rom: 13. v. 8.* Atqui fecit hoc Moyses, *Exod: 32. v. 32.* dùm pro Israelitis è libro vitæ deleri optat, & Paulus Rom: 9. v. 3. dùm pro fratribus anathema vult esse, quod fecerunt illi, alij etiam potuerunt facere. Ergò præceptum dilectionis potest in hâc vita adimpleri, & reipsâ fuit adimpletum. Quibus conuictus rationibus Brochmannus *cap: 6. de Lege, quæst: 3. resp: 3.* cum Hunnio fatetur, illam legem in nouo testamento *inchoatè & imperfectè* adimpleri posse, propter inchoatum illud obsequium, quod Deus propter Christum acceptat, Iuxta illud Apostoli ad Gal: 6. v. 2.

Alij

Alij aliorum onera portate, & sic adimplete legem Christi. Addit etiam, & fatetur, Moysen & Paulum volentes exitio suo damnationem populi auertere, hanc legem adimplesse. Sed tamen ex vnius, & alterius aliquo singulari facto non posse colligi plenam legis in omnibus adimpletionem. Quod Catholici etiam non facimus. Nam stupida esset Catholicorum ratio, si dicerent: Moyses & Paulus legem dilectionis impleuerunt, ergò omnes eam adimplent. Absit hujusmodi ratiocinatio. Sed sic inferimus: Moyses & Paulus cùm Dei gratiâ legem dilectionis impleuerunt, Ergò alij homines cum eâdem gratia eandem legem etiam adimplere possunt. Quod optimè concludit, & manifestè probat legem hanc in vitâ adimpleri posse. Sed defendunt se Aduersarij per illud *inchoatè*, & *imperfectè*, hoc est, quando dicunt, legem dilectionis, & omnem aliam impossibilem seruatu esse, intelligunt à nullo perfectissimè, vel perfectè seruari posse, sed tantùm *imperfectè*, & propter conatum quem omnes adhibere debent ad ejus obseruationem, *inchoatè*.

Sed contrà: si quis diceret, nullus Lutheranorum est vir honestus: nullus non est fur, non latro, non adulter, censereturne is verum dicere? quod si respondeas, solum- 14.

 modò

modò sensum illum esse, nullum ex Lutheranis esse perfectissimè honestum virum: nullum perfectissimè esse non furem, non latronem, non adulterum, siue quod idem est, omnem Lutheranum esse *imperfectè*, & *inchoatè* furem, latronem, & adulterum: neminem profectò Lutheranum esse censeo, qui propositiones illas veras esse fateretur, nisi qui se furem, adulterum esse non negaret. Ergò etiam, quando Lutherani explicant illam propositionem: *Lex dilectionis, & aliæ seruari nequeunt*, scilicet nisi *imperfectè*, & *inchoatè*, idem omninò dicunt, ac si restrictiones illas non adderent, & absolutè dicerent: Legis obseruationem esse impossibilem, ideoq; eodem modo penitùs falluntur.

15. 2. Quærò ex Lutherano, an legem de non occidendis parentibus, de non adulterando, non furando, non exercendâ Sodomiâ &c ante hac perfectè seruauerit, nec ne? Si affirmat: subuertit distinctionem suam, quæ tantùm imperfectam quandam obseruantiam in hâc vitâ admittit. Si negat; seipsum aliquo modo parricidij, adulterij, furti, Sodomiæ reum profitetur. Si autem non perfectè leges istas obseruauerit, ostendat in quo defecerit à præscripta normâ: contra legem enim dupliciter peccari potest, opere externo, & cogitatione.
Vtro

Vtro modo in his peccauit? Negabit profectò se opere vnquam contra hæc peccâsse. Ergò alterum necesse est fateri, videlicet, se cogitâsse Principem suum interficere, vxorem proximi violare, furari, Sodomiam exercere, &c. Bone Deus! videant quæso Lutherani, quanta ex his distinctionibus absurda consequantur: adde, quod qui aliquid *imperfectè*, & *inchoatè* faciunt, potiùs dicuntur non facere. Cùm ergò Lutherani dicant *imperfectè & inchoatè* se facere præcepta, potiùs dicendi sunt eadem non facere, quàm facere. Ergò etiam consequenter potiùs dicendi sunt adulteri, parricidæ, Sodomitæ, quàm probi, & honesti viri, quia fatentur se leges illas hæc vetantes, imperfectè tantùm obseruare, quod potiùs dici debet non obseruare, quàm seruare.

Quin imò vnū adhuc addo contra aduersarios, quod ex eorū doctrinâ sequitur, 16.
& est tale: qui mandata Dei nō seruant, non credunt fide viuâ, sed tantùm mortuâ in Deum 1. Ioan. 4. sed Lutherani mandata DEI non seruant, vtpotè, qui docent, ea esse seruatu impossibilia, ergò Lutherani non credunt fide viuâ in Deum, sed tantùm mortuâ; nec est, quod majorem concedant de obseruatione inchoatâ, negent de perfectissimâ; quia superius ostendimus, incho-

atè obſeruare legem, idem eſſe, ac non obſeruare legem. Demus tamen aliquid plus eſſe legem *inchoatè*, & *imperfectè* obſeruare, quàm ſit illam non obſeruare. Ergò ſaltem talis erit fides, qualis obſeruatio. Sed obſeruatio eſt tantùm *inchoata*, & *imperfecta*. Ergò fides etiam tantùm erit imperfecta. ſed hujuſmodi fides non eſt viua fides, ſed mortua. Ergò Lutherani non habent fidem viuam: ſed mortuam.

17. Alterum de motibus concupiſcentiæ vt clariùs percipiatur, Aduerſariorum ſententia breuiter explicanda eſt. Tria in homine conſideranda ſunt. Primò, Concupiſcentia in actu primo, quæ eſt pronitas quædam ad concupiſcendum. Secundò, Concupiſcentia in actu ſecundo, quæ eſt motus quidam ad concupiſcendum, præueniens rationem. Tertiò: Conſenſus in eundem motum ex voluntate liberâ profectus. De his ſic docent Aduerſarij: hæc tria grauia peccata eſſe. Primum quidem ajunt eſſe ipſum peccatum originale: alia duo peccata actualia, mortifera contra præceptum: *Non concupiſces.* Vnde concludunt, cùm non poſſimus in hâc vitâ motus concupiſcentiæ vitare, nos etiam in hâc vitâ non poſſe præceptum illud adimplere, & conſequenter impoſſibilem eſſe præceptorum adimpletionem.

Sed

Sed contra 1. Concupiſcentia in actu primo ſumpta, ſeu pronitas ad concupiſcendum malum, eſt effectus, & pœna peccati originalis, ergò non poteſt eſſe ipſum peccatum originale. Impoſſibile enim eſt, vt aliquid ſit peccatum, & pœna, & effectus ejuſdem peccati; quia eſſet cauſa, & effectus ſui ipſius, ac per hoc prior, ac poſterior ſeipsâ. 2. Quicquid eſt in homine peccatum, tollitur per Baptiſmum, ſed illa pronitas ad concupiſcendum nunquam tollitur. Ergò non eſt peccatum. Fruſtrà explicant aduerſarij per Baptiſmum tolli dominium peccati, ſeu concupiſcentiæ, vt non poſſit regnare in corpore noſtro, non tamen tolli ipſam concupiſcentiam. Sed contrà: interrogo Lutheranum: Sublato per Baptiſmũ dominio peccati, manet ne peccatum, vel non manet? Si manet, ergò per Baptiſmum non tollitur peccatum. Si non manet, ergò concupiſcentia, ſeu pronitas ad concupiſcendum, non eſt peccatum, quia hujuſmodi concupiſcentia, ſemper manet, nec per Baptiſmum tollitur, hoc igitur effugium nullum eſt. 18.

3. Quòd concupiſcentia in actu ſecundo, ſiue motus ex concupiſcentiâ exſurgentes abſq; conſenſu rationis, peccata non ſint; etiam probatur euidenter: Concupiſcentiæ in pueris, amentibus & dormienti- 19.

bus peccata non sunt, vt docet D. Augustinus l. 10. Confess. c. 30, & cum illo Patres alij; idq;, quia non est in potestate ipsorum non concupiscere, sed non est etiam in potestate sapientum, & vigilantum virorum, non habere primos illos motus concupiscentiæ, vt experientia docemur, igitur illa peccata non sunt.

20. Deniq; motus illi concupiscentiæ homini non nato ex Adamo, & in puris naturalibus constituto, essent connaturales, & sine culpà, nisi aliundè fierent culpabiles: Ergò & nunc non possunt esse in nobis culpabiles, nisi aliundè tales fiant. Probatur antecedens, quia si homo crearetur à Deo in puris naturalibus, constaret procul dubio duabus partibus repugnantibus, carne, & spiritu, & haberet duos appetitus contrarios, rationalem, & sensitiuum. Ergò naturaliter haberet quosdam motus repugnantes rationi. Si verò non essent peccata in tali homine; Ergò nec in nobis erunt, nisi aliundè fiant tales. At aliundè fieri non possunt, nisi per liberum consensum. Ergò solus consensus est culpabilis, qui prohibetur p mandatum, *Non concupisces*. In solutione objectionum clariùs reliqua patebunt.

CA-

CAPUT 3.

Soluuntur objectiones Aduersariorum.

EX dictis liquet juxta Aduersarios duo potissimùm mandari, quæ obseruari nequeunt. Affirmant enim non posse satisfieri obedientiæ, quæ dilectionem mandat perfectissimam, Et præcepto vetanti concupiscentiam, sine quâ nemo esse potest. Contra primum sic objiciunt: Dilectio quæ præcipitur in hác vitá, debet esse tàm perfecta, quàm illa quæ præcipitur in alterá vitâ, vel non debet esse tàm perfecta. Si debet esse. Ergò qui minus diligit, quàm sicut præcipitur, peccat; & per hoc quatenus peccando deficit à lege, non implet legem. Si non præcipitur tàm perfecta dilectio; sequitur dilectionem aliquam esse perfectiorem eâ, quæ est ex toto corde, & ex totâ animâ, &c. & consequenter omnem nostram dilectionem esse imperfectam tantùm, atq; inchoatam. Atq; adeò legem non posse nisi imperfectè, & inchoatiuè adimpleri. 21.

22. Sed respondeo ad primam partem propositi dilemmatis: perfectio illa dilectionis futuræ in beatorum statu non præcipitur per modum *medij præstandi*: sed indi-

catur ſolùm per modũ *finis obtinendi*. Quocircà non ſpectat ad *Obligationem* vitæ præſentis, ſed ad felicitatem futuræ: quare etiam ſi quis careat in hâc vitâ illâ perfectâ dilectione Beatorum, non tamen vllius præcepti eſt tranſgreſſor. Ait enim Auguſtinus de Spirit: & lit: c. 26. *Neq; enim jam culpæ deputandum eſt, ſi eſſe nequit tanta perfectio* (in hâc vitâ) *quanta illi cognitioni plenæ, perfectæq;* (in altera vitâ) *debetur*. Exemplo ſit in Medico, cui verbi gratiâ mandatur, vt quantum poteſt ægrum curet. Is præcepto ſatisfacere cenſetur, ſi medicamenta, quæcunq; poteſt, adhibeat ſummâ cum diligentiâ, tametſi re ipsâ in ægro non conſequatur ſanitas. Hæc enim cùm non ſit in ejus poteſtate, non cadit ſub obligationem, licet in mandato tanquam finis illius, exprimatur. Similiter ſi Dux Exercitûs militibus præcipiat, vt vincant hoſtẽ. Præceptum illi implent, ſi quàm fortiſſimè poſſunt, pugnent. Quia fortiter pugnare eſt medium neceſſarium ad victoriam. Hanc intendit vt finem Dux; illud vt medium præcipit.

Fateor tamen à Catholicis Doctoribus ſubindè dici nos in hâc vitâ mandata DEI tantùm *imperfectè* adimplere. Ita enim S. Thomas 2. 2. q 44. Artic: 6. ſed loquuntur hi Authores tantùm *comparatè*, reſpectu videlicet,

delicet, illius perfectionis, quam habebunt Beati in cœlo, non autem *absolutè*.

Quod attinet ad alterum dilemmatis membrum, videlicet aliquam esse dilectionem Dei perfectiorem illâ, quæ est ex toto corde, & ex totâ animâ, &c. respondeo non esse aliam dilectionem perfectiorem illâ quoad substantiam, siue rationem *objecti*; esse tamen aliam perfectiorem, ratione Subjecti. Hoc est: omnes tenentur ita Deum diligere, vt nihil præferant ejus amicitiæ, tanquam finis vltimi. Ad alios tamen perfectionis gradus non obligantur. Quos licet aliquis non habeat, potest tamen dici perfectè diligere, sicut perfectè dici potest doctus, & eruditus, qui valdè multum v.g. in Theologiâ didicit, licet omnia adhuc non didicerit, & alij perfectiores inueniri possint. Sicut enim in doctrinâ dantur intensiores gradus; ita etiam in dilectione. Ex quibus patet solutio ad omnia argumenta, quæ contra Impletionem præcepti de dilectione adferri possunt, de quibus plura videantur in Demonstratione de operibus Supererogationis. 23.

Plura sunt, quæ de concupiscentiâ proponunt.

1. Omnis actus diuinæ legi oppositus est verè, & propriè peccatum. Atqui sensus 24.

ſus concupiſcentiæ eſt legi diuinæ oppoſitus. Paulus enim ait *legem in membris, repugnare legi mentis:* hoc eſt, Decalogo; ad cujus obſeruationem renatos Sanctus Spiritus vi ſuâ vrget. Ergò ſenſus Concupiſcentiæ eſt peccatum.

Sed reſpondeo: Omnis actus diuinæ legi formaliter oppoſitus, id eſt, voluntarius & humanus, eſt peccatum; concedimus. Omnis autem actus *materialiter* oppoſitus, hoc eſt, qui non ſit voluntarius, qualis eſt in infantibus, & amentibus, eſt peccatum: negamus. Sine voluntate enim non fit tranſgreſsio legis *formaliter.* Nam leges pro iis ſaltem conduntur, qui rationis, & arbitrii vſum habent. Quis enim vnquam audiuit, pro brutis & ſtultis leges conſtitui, & iiſdem ſeruandas promulgari? ideò Apoſtolus cùm ait, Concupiſcentiam repugnare legi mentis, intelligit *materialiter* ſuggerendo videlicet, & obijciendo materiam; quæ, ſi voluntas à conſenſu non abſtineat, in formale peccatum abeat.

25. 2. Vrgent: *Paul: ad Rom: c. 7.* Concupiſcentiam ſæpiſsimè vocat peccatum. Ergo eſt peccatum; Si ita; ergò nullus poteſt eſſe ſine illo peccato, & conſequenter nullus implebit legem, quia qui peccat in vno, factus eſt omnium reus.

Reſpondeo: verum quidē Concupiſcentiam ab Apoſtolo ſæpè vocari peccatū, non tamen

tamen propriè, sed impropriè. Vox enim ambigua est peccati, in Scripturis. Nunc enim accipitur pro culpâ, nunc pro pœnâ, quæ est culpæ effectus. Aliquando pro causa peccati. Deniq; nonnunquam etiam pro sacrificio, quod est peccati expiatio. Et ad Rom: 7. *Lex peccatum? absit*. Hîc omnium consensu peccatum accipitur pro causâ peccati. Sicut paulo infrà lex dicitur mors, id est, causa mortis. *2. Corinth: 5. In Osea 4.* dicuntur Sacerdotes comedere peccata populi, quia comedunt oblationes pro expiatione peccati. Quin imò Apostolus 2. Corinth: 5. Christum expressè vocat *peccatum*. Inferentne Aduersarij: Ergo Christus est propriè *peccatum?* Pueri scient consequentiam negandam. Certum ergo est Concupiscentiam *formaliter, & propriè* non esse, nec dici peccatum; sed solùm per *tropum*, & impropriè, ad eum modum quo lingua *locutio*, & manus *scriptura* vocatur. Est tamen corruptio quædam ad malum incitans, & ideo rectè dicitur non bonum, & malum, nec non malum priuatiuum, & positiuum, & crucifigendum, & destruendum. Et malè inferes si dicas: Quod est causa peccati, hoc ipsum etiam est peccatú, & eádem lege prohibetur causa, & effectus. Respondeo enim, id verum esse, si consensus in vtroq; adsit. Nam tunc vtrumq; prohibetur. Neutrum prohibetur, si consensus

sus absit. Quâ in re habet se concupiscentia sicut puluis tormentarius, qui non nocet nisi admoto igne. Sic concupiscentia non est peccatum, nisi habito consensu.

26. Sed dices: si in vno loco hujus capitis impropriè accipitur, in omnibus eodem modo accipiendum erit. Quod manifestè falsum est, & patet ex sensu Apostoli.

Respondeo non eodem sensu in eodem capite accipiendum esse, cùm euidentia rei cogat nos aliter intelligere.

Nam quando dicit Apostolus vers. 7. *Lex peccatum est? absit.* Dubitari non potest, quin lex accipiatur pro causâ peccati, alias enim ineptè quæreretur, an lex peccatum esset. Dùm vero addit: *sed peccatum non cognoui, nisi per legem.* Sumit pro peccato propriè dicto, quod repugnat legi. & paulò pòst v. 8. *Peccatum per mandatum operatum est omnem concupiscentiam*, accipitur pro fomite qui operatur omnem concupiscentiam.

Et sic intelligendum esse D. Paulum manifestum est. Aliàs enim sibi contradiceret. Nam cùm alibi asserat: *Nihil esse damnationis illis qui sunt in Christo JESU.* Hoc est, homines per peccatum regeneratos, ac justificatos, dùm tales sunt, carere omni culpâ damnabili. Hoc falsum esset, si alibi diceret, Motûs concupiscentiæ in justis esse verè peccata morte æternâ digna. Cùm enim illi mo-

li motus semper maneant in homine, cum veritate dici non potest, in ijs, qui in Christo IESV sunt, nihil damnationis esse. foret enim manifesta contradictio.

Deinde cùm tota vera primitiua Ecclesia per omnes SS. Patres vnanimiter sic D. Paulum intellexerit, quæ errare nullo modo potest. Illi potiùs adhibenda fides est, quàm nouitiis quibusdam Sectariis, judicium suũ toti veteri Christianitati opponentibus.

Nunc videamus quid generaliter contra præceptorum obseruationem afferant ex Scripturis. 27.

1. *Quid tentatis imponere jugum super ceruices discipulorum, quod neq; patres nostri, neque nos portare potuimus?* Act. 15. v. 10. Quibus verbis testatur Petrus, jugum legis non potuisse ferri, atq; adeò ejus obseruationem esse impossibilem.

Respondeo: certum esse Apostolum tantùm loqui de lege Ceremoniali, quod probatur 1. ex occasione hujus propositionis. Cùm enim à quibusdam moueretur quæstio, an Gentiles ad fidem conuersi, deberent circumcidi, & alia legis ceremonialia obseruare (nam propter eam quæstionem Concilium erat congregatum) clarum est Petrum de circumcisione, & aliis similibus fuisse locutum. 2. Patet idem ex Concilij decreto, quo statuitur fidelibus nihil imponen-

ponendũ esse *oneris præter hæc necessaria*, vt videlicet abstineant ab immolatis simulachrorum, à sanguine suffocato, & fornicatione. Quæro ergò ex Lutherano, an illa *sola necessaria* intelligenda sint ex solâ lege ceremoniali, an ex totâ lege simpliciter? Si primũ, habemus quod vrgemus. Si secundum; ergò non erit necessarium Christiano, non colere idola, non furari, non occidere, &c.

At dices malè vocâsset Petrus legem jugum importabile, si solam ceremonialem intellexisset; quia certum est ceremonialem accedente DEI gratiâ non esse jugum importabile, cum vires humanas non excedat.

Respondeo, legem quidem ceremonialem absolutè obseruari potuisse, & de facto cum DEI gratiá obseruatam esse à Zachariá, Elizabeth, Luc. 1. v. 6. & aliis, ideóq; ea lex absolutè non vocatur jugum importabile, quasi penitùs non posset portari: sed quod ægrè ac difficulter id fieret, vt passim exponunt SS. Patres; rectè enim dicitur id portari non posse, quod ægrè, ac difficillimè portatur. Hinc sensus est Apostoli, non esse onerandos fideles tàm difficilibus istis legibus, præsertim cùm sint inutiles ad justificationem, ideóq; addit; neq; enim per illas ceremonias: *sed per DEI gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.* 2. Quod

2. *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur, per carnem Deus filium suum misit*, &c. Rom: 8. v. 3. Ergò impossibilis erat lex.

Respondeo, nihil hîc contra nos vrgeri. Sensus enim Apostoli est: per solam naturam & legem sine gratiâ Christi, hominem in hac corruptione non posse totam legem, totumq; Decalogum implere. Quod confirmat illud Act: 13. v 38. *Per Christum vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari, in hoc omnis qui credit justificatur.* Vnde dicitur tantùm, legem sine gratiâ Christi, naturæ viribus impossibilem, & inutilem esse.

Quo sensu etiam soluitur illud quod obijciunt aliqui Gal: 3. v. 10. *Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.* Vbi notandus est Pauli discursus, qui vt probet, quòd non ex solâ lege sine fide justificetur homo, sic ait: *qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Hoc est, illi maledicti sunt, qui suis viribus sine fide, & gratiâ legem implere, & se justificari posse credunt. Non autem significat eos esse maledictos, qui legem implendo per DEI gratiam justificari quærunt, cùm idem 29.

Apoſtolus dicat ad Rom. 2. *Factores legis juſtificabuntur.* Vnde Paulus vt hoc probet, ſic argumentatur ex Deut. 27. v. 26: *Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis:* at nemo poteſt ſuis viribus ſine fide, & gratiâ permanere in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis; ergò maledicti omnes illi, qui in operibus legis ſunt, id eſt, qui ſuis viribus ſine fide, & gratiâ totam legem ſeruare, & eo modo juſtificari quærũt. Quòd confirmant verba ſequentia: *Chriſtus nos liberauit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Hoc eſt, liberauit nos à maledicto, quia per fidem, & gratiam Chriſti, legem implere poſſumus, & implemus; quod quia viribus naturæ facere non poteramus, ſub maledicto legis manebamus.

30. 3. Philippus, & Chemnitius ſic obijciunt: Chriſtus ſemper eſt mediator, non ſolùm in primâ reconciliatione, ſed toto tempore, quo viuimus. Ergò ſemper egemus interceſſione Mediatoris Chriſti; ergò ſemper peccamus, & legem tranſgredimur. Niſi enim hoc faceremus ſemper, non indigeremus ſemper ipſius Chriſti mediatione, & poſt primam reconciliationem Chriſtus otioſus eſſet.

Reſpondeo Chriſtum nunquam eſſe otioſum, quia ſemper ipſius mediatione indigemus,

digemus, idq; duabus potissimum in rebus,

1. Quia gratiam semper nobis subministrat, quâ adjuti bona opera præstemus, & peccata grauiora euitemus, ideò nos palmites, se vitem esse dixit, vt ostenderet nos ex illâ vite continuum succum trahere debere, & ita in Christo viuere, & bonum fructum ferre.

2. Quia à peccatis nostris quotidianis, quæ venialia vocamus, nec contra legem, nisi tantùm imperfectè, aut potiùs sunt prę-ter legem, ipse nos suo sanguine continuò emundat. Et si fortè legem grauiter præuaricando justitiam amittamus, ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & per bona opera, ac pœnitentiam seriò conuersos, non septies, sed etiam septuagesies septies, nos Patri reconciliat. Atq; ita Mediator Christus nunquam otiosus est, sed ejus merita nobis semper applicando, reddimus ea nobis efficacia.

4. Ajunt D. Paulũ fateri, legem à se non posse obseruari, dicit enim ad Rom: 7. v. 18. *Velle quidem adjacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* Ergò licet vellet adimplere legem, fatetur tamen se non posse.

Verùm clarum est, nullam hîc mentionem fieri ab Apostolo de obseruatione le-


gis, ſed tantùm de motibus concupiſcentiæ, quibus non poterat carere, quaſi diceret: vellem quidem carere hiſce motibus, quod bonum eſſet, ſi fieri poſſet: ſed non poſſum efficere, vt illis caream. Motus autem hujuſmodi non eſſe contra legem, vel peccatum, ſuperiùs oſtendimus.

Hæc ſunt præcipua, quæ contra legis obſeruationem obijciunt Aduerſarij, quibus euidenter ſolutis ſtat inuicta primitiuæ Eccleſiæ doctrina.





DE



De
OPERIBVS SVPEREROGATIONIS, SEV CONSILIIS EVANGELICIS.

DEMONSTRATIO V.

Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia negat dari opera supererogationis, seu Consilia Euangelica, quæ vera primitiua Ecclesia agnouit, & amplexata est.

CAPUT I.

Ecclesiæ primitiuæ sensus de his operibus exponitur.

DOcuit tota primitiua Ecclesia quædam à fidelibus exerceri bona opera, quæ à Christo non imperata, sed solùm demonstrata sunt; non mandata, sed tantùm commendata; ideoq; consi- I.

lia

lia Euangelica, seu opera superogationis appellantur. quod sequentium testimonio Doctorum demonstramus.

An. 230. Origenes ad cap:15.ad Romanos: *Ea, quæ supra debitum facimus, non facimus ex præceptis: verbi causâ: Virginitas non ex debito soluitur: neq; enim per præceptum expetitur; sed supra debitum offertur.*

Anno 250. Cyprianus de habitu virginum in fine. *Nec hoc jubet Dominus, sed hortatur, nec jugum necessitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberum. Sed, cùm habitationes multas apud Patrem esse dicat; melioris habitaculi hospitia demonstrat. Habitacula ista meliora vos petitis, carnis desideria castrantes, majoris gratiæ præmium in cœlestibus obtinentes.* Quid clariùs & expressiùs dici potest ad ostendendum castitatem voluntariam opus esse supererogationis? Vide eundem Authorem adhuc fusiùs hoc idem declarantem in tractatu de Natiuitate Christi.

A. 326. Eusebius Pamphili, Episc: Cæsarien: lib. 1. demon: Euang: cap: 8. *Quocircà in Ecclesiâ DEI duo modo uiuendi instituti sunt: alter quidem naturam nostram, & communem hominum vitæ rationem excedens: non nuptias, non sobolem, non substantiam, non opum facultatem requirens, & soli diuino cultui ex immenso rerum cœlestium amore addictus; & talia*

lis quidem existit in Christianismo perfectæ vitæ modus. Alter verò remissior, atq; humanior, hic & molesto conjugio, & sobolis procreatione implicatur, & rei familiaris curam assumit, & justè militantibus, quæ sint agenda, præscribit, agros quoq; & mercaturam adjunctâ Religione non negligit; & his quidem secundus pietatis attributus est gradus.

Athanasius de humanitate verbi post medium *Saluator noster, & omnium Rex Christus tantùm valuit, vt pueri nondum maturi legum, disciplinæ Virginitatem, quæ supra leges est, profiteantur.* Nota hîc Virginitatem, non legem, sed supra legem poni. *A. 340.*

Basilius lib: de Virginit: vltra medium. *Voluit Dominus eximiæ virtutis meritum non jussionis necessitati obnoxium fieri, sed egregij ac singularis animi specimen, atq; indicium esse, dùm sponte suâ, nullâ imperij necessitate cogente, quod mandata omnia excellit, desiderio, affectuq; virtutis efficeret. Conjugium quippe naturale est, vbi etiam lex naturæ conuenientia disponit. Virginitas verò supergressa naturam, legis vinculis non tenetur adstricta, quæ incorruptionis excellentem virtutem, Auctori legis, jure pretiosi muneris offert.* *A. 370.*

Optatus Mileuitanus lib: 6. contra Parmenianum. *A Paulo cùm quæreretur, quid de Virginibus præciperet: respondit sibi de Virginibus nihil esse mandatum &c. nec impedimen-* *A. 370.*

 pedimen.

pedimento est voluntati, nec nolentes cogit, qui dederit, *inquit,* Virginem suam, benè facit, & qui non dederit, melius facit. *Hæc sunt verba consilij, nec sunt vlla præcepta conjuncta.*

A. 370. Ambrosius Epist: 82. ad Eccles: Vercellensem. *Quâ reuerentiâ Virginitatis locutus est Sanctus Apostolus?* De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino. *Præceptum non habet, consilium habet, non enim præcipitur, quod supra legem est, sed magis dato suadetur consilio: nec auctoritas præsumitur, sed demonstratur gratia. bonum ergò consilium, quia in consilio vtilitas est, in præcepto laqueus. consilium inuitat voluntarios, præceptum astringit inuitos, &c:*

Et lib: de Viduis circa medium: *Qui præceptum impleuerint, dicere possunt: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Hoc Virgo non dicit, non dicit ille, qui bona sua vendidit.*

A. 380. Gregorius Nazianzenus Orat: 1. in Iulian: vltra medium. *In legibus nostris alia parendi necessitatem imponunt, nec sine periculo prætermitti possunt alia, non necessitate constringunt, sed in arbitrio, & voluntate posita sunt, ac proindè hanc rationem habent, vt qui ea custodierint, præmijs ac honore afficiantur*

tur; qui autem minùs ea explicauerint, nihil periculi pertimescant.

Hieronymus contra Iouinian: lib: 1. cap: 7. *Proponit Agonothetes præmium, inuitat ad cursum, tenet in manu Virginitatis brauiũ: ostendit purissimum fontem, & clamitat: qui sitit, veniat ad me, & bibat;* qui potest capere, capiat. *Non dicit velitis, nolitis, bibendum est vobis, atq; currendum: sed qui voluerit, qui potuerit currere, atq; potare, ille vincet, ille saturabitur; & ideò plus amat Christus Virgines, quia spontè tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum. majorisq; gratiæ est offerre, quod non debeas, quàm reddere, quod exigaris.* A: 390.

Ioannes Chrysostomus Homil: 8 de pœnit: *Nequaquàm Dominum intuses, haud mandat impossibilia; multi ipsa superant mandata.* Et infra loquens de paupertate voluntariâ, & castitate, ait in personâ DEI: *Non cogo, non grauo, sed persitientem quidem coronabo: non persitientem, non punio.* Anno 400.

Idem fusè Homil: 21. in priorem ad Corinthios.

Augustinus Sermone 16. de Tempore: *Aliud est consilium, aliud præceptum: consilium datur, vt Virginitas conseruetur, vt vendantur omnia, & pauperibus erogentur. Præceptum verò datur, vt Justitia custodiatur, vt omnis homo diuertat à malo, & faciat bonum;* A. 400.

deniq; de Virginitate dicitur: Qui poteſt capere, capiat. De *Iuſtitiâ verò non dicitur, qui poteſt facere, faciat.* Sed omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. *Conſilium qui libenter audierit, & fecerit, majorem habebit gloriam. Præceptum, qui non impleuerit, niſi pœnitentia ſubuenerit, euadere pœnam non poterit.* In hunc ſenſum alibi plurima habet. Vt in Enhiridio ad Laurentium cap. 121.

De Adulterinis conjugiis lib: 1. cap: 14. lib: de Sancta Virginitate: cap: 14. l. 2. quæſtion: Euangelicarum, cap: 19. & cap: 30. Item Sermone 18. de verbis Apoſtoli cap: 11.

2. Omitto hujus, & aliorum ſæculorum innumeros Doctores Eccleſiæ primitiuæ, qui iſtiuſmodi Conſilia Euangelica à præceptis diſertiſſimè diſtinguunt, & opera ſupererogationis nom inant, quidquid à Chriſto, vel Apoſtolis ſuaſum tantùm, non præceptum inuenitur.

Ex quorum tàm loculentis teſtimoniis conuincitur; Conſilia Euangelica, ſeu ſupererogationis opera à præceptis diſtincta, in primitiuâ Eccleſiâ non ſolùm credita fuîſſe, poſſe dari, ſed ea quoq; ab omnibus in magno ſemper pretio eſſe habita. Quæ, dùm Aduerſarii contemnunt, aut nulla eſſe aſſerunt, manifeſtè à ſenſu, & doctrinâ totius primitiuæ Eccleſiæ recedunt: è contra

tra hæc amplectentes Catholici, Doctrinæ veteri, & Ecclesiæ veræ salubriter adhærent.

CAPUT 2.

Explicatur, & confirmatur Sententia Catholica.

OPera consilij, quæ à Theologis Catholicis *Supererogationis* nominantur, sunt bona opera non imperata, quibus faciundis nemo, nisi arbitrio suo, adstringitur; quæq; ex maximâ voluntatis libertate, & electione promanant: distinguuntur à præceptis, 1. quod hæc faciliora sint, consilia difficiliora, ideóq; si de eâdem sint materiâ, consilium iucludit præceptum, & ampliùs. 3.

2. Quod præceptum sit omnibus commune, consilium verò *qui potest capere, capiat*. 3 Quod præceptum vi suâ obligat, non consilium. Deniq; 4 quod præceptum habeat pœnam, si non obseruetur, consilium non item.

Hujusmodi opera autem consilij seu supererogationis quædam dari probatur ex Scripturis.

§. 1.

De Continentia voluntariâ.

In pri-

4. INprimis de Virginitate ait Christus Mat: 19. v. 11. asserentibus discipulis non expedire nubere: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est; sunt enim Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum, &c qui potest capere, capiat.* in quo loco non præcipi Virginitatem, certum est. non enim nunc liceret nubere. Et Christus ipse initio hujus capitis nuptias approbauit. Consilium ergo est, quod indè patet. nam dicentibus Apostolis: *Si ita est, non expedit nubere.* non respondit Christus, *expedire, sed non omnes capiunt verbum hoc, qui potest capere, capiat.* quasi diceret: reuera non expediunt, sed potiùs impediunt nuptiæ, tamen non omnes intelligunt, sed, qui potest id assequi, non omittat.

Respondet huic claræ probationi Brochmannus de Ministerio Ecclesiast: c. 2. 4. 14. dub: 2. Christum in hoc loco imperatiuâ loquendi formâ mandare cælibatum, non quidem omnibus, sed ijs tantùm, qui dono continētiæ diuinitùs sunt præditi, inquiens: *qui potest capere capiat*, q. d. mando, vt omnes, qui donum Castitatis acceperunt, sint casti, quod confirmat ex Paulo, 1. Cor: 7. v. 17. *Vnicuiq; sicut diuisit Dominus, vnumquemq; sicut vocauit Deus, ita ambulet.* ergò quibus diuisit Dominus donum Castitatis, illis eam, vt seruarent, imperauit.

Respon-

Respondeo 1. si per hæc verba Christus imperasset continentiam, sequeretur, plurimos esse, qui in conscientia non possent Matrimonio conjungi, quia, qui obligantur ad seruandam Castitatem, à Matrimonio vetantur. Sed omnes omninò homines (nisi defectus naturalis obstet) possunt Matrimonio conjungi (vt Brochmannus, & omnes Lutherani fatentur) ergò nulli est præceptum, vt cælibem vitam ducat. ergò Christus loco citato Castimoniam non præcipit, sed suadet. 5.

Respondeo 2. si verba hæc mandatiua essent, tunc illis, quibus castimonia præcepta est, liberum esset Matrimonio conjungi, vel non esset liberum. si primum, tunc non esset obligans præceptum; si secundũ, ergò dantur inter Lutheranos aliqui, qui sine grauissimo peccato Matrimonio jungi nequeant: nisi dicant, nullum Lutheranum capacem esse, qui diuinitùs donum continentiæ accipiat.

Respondeo 3. falsum esse, quod suppo- 6.
nit Brochmannus, videlicet Continentiam tale donum DEI esse, quod omnes acquirere non possint, & aliquibus impossibilè sit seruare. Nam licet Castitatem donum Dei esse fateamur, tale tamen donum est, quod nulli volenti, petenti, obtinere conanti denegatur, vti docet Origenes Tract:

Tract: 7. in Matth: Ambrosius lib: 3. de Virgin: Hieronymus, Beda, Theophilactus, Euthymius, & passim omnes alij primitiuæ Ecclesiæ Doctores. & cùm Paulus quando 1. Corin: 7. v. 7. dicit: *Vnusquisque proprium donum habet ex DEO, alius quidem sic, alius autem sic:* non solùm de Virginitate, sed etiam de Matrimonio locutus est; vt ex contextu certum est, indeq; patet, Matrimonium quoq; donum DEi esse tàm benè, quàm Virginitas. Vnde sequitur, quod cùm donum Matrimonij omnibus volentibus detur, vt omnes fatentur Aduersarij, donum quoq; Castimoniæ omnibus volentibus, & à Deo petentibus concedatur: cum eâ tantùm differentiâ, quod hoc difficiliùs obtineatur, quàm illud, majoremq; conatum requirat. cûm igitur omnibus volentibus, & petentibus Castitatis donum concedatur, sequitur prædictis verbis Christi, Matth: 19. v. 11. non mandari Castitatem, sed suaderi. aliàs enim omnibus omninò mandaretur Castitas, quia donum ejus acquirere possunt omnes. sed de hoc fusiùs agemus in demonstratione de Continentiâ.

7. Ad illud, quod pro confirmatione attulit Brochmannus, ex 1. Cor: 7. v. 7 respondeo: Dictũ illud Pauli nihil ad hanc rem facere; non enim quidquam hîc de

Virgi-

Virginitate tractat, sed de Conjugio fidelis & infidelis. nam cùm aliqui fideles cum infidelibus matrimonio conjuncti, dubitarent, an non in Christianam libertatem jam asserti per diuortium ab infidelibus conjugibus secedere deberent, ait Paulus: *Vnusquisq́, sicut vocauit Deus, in statu suo ambulet*. q. d. edico, vt quisque statum, & conditionem, quam dedit Dominus, quamq; habuit antequam esset fidelis, retineat, siue Iudæus sit, siue Gentilis; siue seruus sit, siue liber, quisq; in suâ sorte ambulet, eâ contentus Christianè viuat, nec ob Christianismum, statum mutet inquietè, & cum scandalo Gentilium. Et hunc sensum Pauli esse, clariùs ex contextu patet, quàm vt ampliùs probari debeat.

Alter locus, qui Continentiam voluntariam consilii, non præcepti esse probat, desumitur ex Apostolo 1. Cor: 7. v. 25. & seq: *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do, &c. Item, bonum est mulierem non tangere*, & *dico autem innuptis, & viduis, bonum est si sic permanserint, sicut & ego*, & *volo omnes vos, sicut meipsum*, id est, continentes, vt omnes veteres exponunt. Item, *qui matrimonio jungit Virginem, benè facit, qui non jungit, melius facit*, Deniq; de viduâ; *Cui vult, nubat, tantùm in Domino, beatior autem erit, si sic permaneat*, 8.

secun-

secundùm meum consilium, puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam. vbi vides tribui hoc consilium Spiritui sancto.

9. Qui locus cùm adeò clarus pro doctrina nostrâ sit, vt refutari nequeat, effugia varia quærunt Aduersarij.

Brochmannus enim ait, hîc Apostolum mandare continentiam, dono illius prædictis. nam vox γνώμης, quâ hîc vtitur, significat *sententiam præcisè seruandam*. non autem *Consilium*. Sed fallitur, nam licet hæc vox crebrò *Sententiam* significet, norunt tamen pueri, qui in Scholis Græcum Lexicum legerunt, vocem hanc γνώμης, sæpissimè pro opinione, sensu, & consilio ab Auctoribus maximè probatis vsurpari. frustrà ergò per hoc conatur effugere Brochmannus.

10. Astutiùs autem Melanchton in locis cap: de Castitate, & quidam alij ajunt, quòd Paulus siue hîc continentiam suadeat, siue non, solùm illam laudet, quòd vtilitatem temporalem, & aliquam etiam spiritualem adferat; quòd nimirum, qui vxore carent, expeditiores sint ad orandum, prędicandum &c. non autem ad placendum Deo, & præmia promerenda, indè inferunt, Continentiam non esse opus supererogationis, Matrimonio perfectiùs, sed esse medium ad præceptum perfectiùs implendum.

Sed

Sed contra: Continentiam etiam valere ad placendum Deo, & prȩmia æterna promerenda, clarè docet Paulus 1. Cor: 7. v. 34. *Mulier innupta, & Virgo, cogitat quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, vt sit sancta corpore, & spiritu*, vbi euidenter dicit Paulus, Virginitatem esse sanctitatem corporis, & spiritus, per quam placemus Deo, sic enim discurrit: sicut mulier conjugata cogitat, quomodo se pulchram conseruet, vt placeat viro suo; sic Virgo, & Vidua cogitat, quomodo seruet corporis integritatem, & sanctitatem, vt per eam placeat Deo. Vndè patet, Virginitatem Deo maximè placere: & quomodo non placeret, cùm donum Dei sit? Sed de hoc pluribus in demonstratione de præstantiâ cælibatûs; sufficit nunc probasse eam opus consilij, non præcepti esse. 11.

§. 2.

De paupertate voluntariâ.

ILlustris locus pro paupertate voluntariâ non ad salutem, sed supra omnia præcepta ad summam perfectionē necessariâ, desumitur ex Matth: 19. v. 21. vbi non dicit Christus, volo, jubeo, sed: *Si vis esse perfectus, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, &* 12.

veni, sequere me, & hoc consilium perfectionis esse, non autem præceptum ad salutem, patet ex ipsis verbis Christi. Nam interroganti juueni, *quid faciam, vt saluus fiam?* respondit Dominus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. vbi ostendit mandatorum obseruationem sufficere ad salutem. subjungit dein: *Si vis perfectus esse*: id est, si non es contentus simpliciter æternâ vitâ; sed in eâ cupis aliquem præstantiorem gradum, *vade, vende omnia*. vndè apparet, Christum disertis verbis venditionem omnium bonorum, contradistinguere diuinis præceptis.

13. Duo regerit Brochmannus: vel, adolescentem dicendo se mandata obseruâsse, fuisse mentitum, atq; ideò nullum indè argumentum pro nobis efformari posse; vel verba illa Domini ad juuenem, ad nullum alium spectasse, sed solùm ad illius personam in particulari; ideoq; non posse trahi in exemplum, aut ex illis regulam vniuersalem cudi, sed vtrumq; facilè refellitur. Iuuenem non fuisse mentitum, constat ex Marc. 10. v. 21. vbi dicitur de Christo, cùm audisset juvenem dicentem se omnia mandata à juuentute obseruâsse; *Jesus autem intuitus eum, dilexit eum*. quod profectò non fecisset, si simulator, & mendax juuenis fuisset; quod Christum omnia scientem latere

tere non potuisset. Dictum autem illud non personale, sed generale fuisse, probatur ex contextu. quia sicut Christus omnibus edixit, ad salutem esse necessariam mandatorum obseruationem, sic etiam dixit omnibus ad perfectionem consequendam, esse necessariam bonorum venditionem. Vndè & Apostoli hoc sibi quoq; dici, rectè crediderunt, dicentes, se omnia fecisse, quæ præcipiebat adolescenti Christus; *Ecce*, inquiunt, *nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergò erit nobis?* probauit Dominus, & præmium perfectionis hujus est pollicitus: ergò non soli adolescenti, sed sibi etiam, & consequenter omnibus hoc dictum esse Apostoli euidenter crediderunt, juxta illud, quod Apostolis est dictum Marc: 13. *Quod vobis dico, omnibus dico*

2. Argumentum, quo consilium adstruitur, est. Si præceptum esset omnia vendendi, & pauperibus erogandi; preceptum illud esset charitatis, sed non est charitatis, ergò nullum. Minor probatur: quia Charitas erga proximum non requirit aliud, nisi vt diligamus proximum, sicut nosmetipsos; ergò non requirit, vt demus omnia nostra proximis, & nihil nobismet seruemus; sed præcepto satisfacimus partim dando, partim retinendo. Quòd autem 14.

dare omnia, mereatur insigne præmium, patet ex his verbis Christi: *Sed habebis thesaurum in cœlo.*

15. 3. Deniq; probamus. Si præceptum diuinum esset, ad salutem, non autem ad majorem tantùm perfectionem, omnes omninò fideles obligati essent, ad omnia sua diuendenda, & inter pauperes distribuenda; sed certum est ad hoc nullum obligari (aliàs nullus, qui aliquid possidet, saluari posset) ergò certum quoq; est, non esse præceptum ad salutem, sed tantùm consilium ad perfectionem.

16. Respondet ad hoc Brochmannus, præcepta diuina nō obligare quouis tempore, sed tùm demùm, vbi implendi oportunitas, & necessitas se offert. ergò, inquit, præceptum hoc non obligat, nisi extrema proximi indigentia, vel publicæ persecutionis æstus requirat.

Sed hæc omninò sunt absurda. sic enim infero: ergò nullus Lutheranus vnquam est saluatus. cùm enim vix vllus Lutheranus inueniatur, qui non viderit alios sæpè in summâ necessitate constitutos, nullus tamen vnquam Lutheranus est inuentus, qui omnia sua vendiderit, vt istis erogaret: præceptum igitur necessarium ad salutem non seruarunt, & consequenter saluari non potuerunt.

Deindè

Deindè quod præcepta quædam positiua non obligent omni tempore, vt ait Aduersarius, verum quidem est, ita tamen, vt verū etiam sit, hujusmodi pręcepta aliquando obligare, dùm occasio vel necessitas se offert. nam si nunquam obligent, præcepta dici nequeunt. hoc autem præceptum de vendendis omnibus nunquam obligare potest, ergò manifestum est, præceptum nullum esse. nam si aliquando obligaret, fieret hoc in casibus extremæ necessitatis, aut acris persecutionis, vt asserit Brochmannus. Sed in istis casibus non obligat, ergò nunquam. quòd in his non obliget, probatur. quia in istis casibus non obligamur ad ampliùs, quàm quod ordinata charitas erga proximum requirit, vt supra dictum est; sed illa charitas non requirit ampliùs, quàm, vt proximo subueniamus, aliquid ei ad necessitatem dando, non autem requirit, vt omnia vendamus; ergò in istis casibus præceptum de vendendis omnibus non obligat; ergò in nullo casu obligabit, & consequenter præceptum nullum erit. 17.

§. 3.

De Obedientiâ voluntariâ.

18. OBedientia volũtaria probatur ex eodẽ loco Mat: 19. vbi Christus dicit adolescenti, *sequere me*; vbi duo sunt probanda: 1. De obedientiâ hîc agi. 2. Consilium hoc tantùm esse, non præceptum. 1. Primum dupliciter probatur. Sequi Christum, idem est ac imitari Christum, is autem *factus est obediens vsq; ad mortem*, Philip: 2. ergò, quando iuueni præceptum est sequi Christum, jussus est obedire, sicut Christus obediuit. deindè quid sit sequi Christum, ipse explicat Matth: 16. v. 24. vbi dicit, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & collat crucem suam, & sequatur me*. Sequi ergò Christum, est abnegare seipsum; porrò, seipsum abnegare, est judicio suo, suisq; affectibus valedicere, & alterius judicio, & voluntati se accommodare. Frustrà obstabis; licet hîc agatur de obedientiâ, non tamen de illa agi, quæ homini, sed de illâ, quæ soli Deo necessariò debetur.

Respondeo, sicut duplex in Scripturis inuenitur abnegatio sui; vna ad necessitatem, altera ad perfectionem; ita duplex inuenitur obedientia. Sequela enim Christi, seu sui abnegatio, quæ præcipitur Mat: 16. & Luc: 9. est ad necessitatem, vt constat ex verbis ibidem: *Qui amat animam suam, perdet eam*. Illa verò, quæ præcipitur Mat: 19. &

19. & Luc: 18. est tantùm ad perfectionem, vt paulò pòst probabimus. & illa major est, & vniuersalior, quàm prima; consistitq; in obediendo in rebus omnibus, etiam non necessariis, modò peccata non sint. qualis obedientia laudatur in Rechabitis, Hierem: 35. qui obediuerunt patri suo in iis, in quibus non tenebantur. Et hæc obedientia etiam hominibus præstatur, quando illis voluntariè nos subijcimus, juxta illud Luc: 10. *Qui uos audit, me audit.* Et Hebræor: 13. *Obedite præpositis vestris*, & cùm per verba supradicta *sequi Christum*. significetur imitari Christum, & Christus obediuerit hominibus, quibus spontè, & voluntariè se subjecit, *erat enim subditus illis*, teste Lucâ c. 2. v. 5. possunt, & debent idem præstare alij homines, qui Christum imitari spontè, & voluntariè per votum obedientiæ aliis hominibus, Prępositis suis se subijciunt.

Quòd autem hoc loco Matth: 19. obedientia consilij tantùm sit, non præcepti, patet, quia dictum eidem est, *sequere me*, cui dictum ante fuerat, *si vis perfectus esse*. ergò cùm istud priùs consilij tantùm fuerit, vt § 2. fusè probabimus, erit & posteriùs consilij tantùm, non præcepti. Et hæc de tribus his consiliis Euangelicis dicta sufficiant. 19.

20. Sunt & alia quædam in Euangeliis consilia præceptis excellentiora, quæ breuiter hîc enumerare placet.

1. *De inimicis diligendis*, quod quidem eatenus censetur consilij esse, vt ijs benignè faciamus, eosq; juuemus, quamuis animi propensio, & affectio in præceptum cadat. tantùm enim eos teneor diligere ex præcepto, non teneor illis aliquid dare, ergò, si dem aliquid, perfectiùs diligo, quàm præcipitur.

2. *Misericordiæ, seu beneficentiæ*. de quâ illud est, *Omni petenti te, tribue*. Luc: 6. v. 30. illi tribuere, qui extremâ necessitate premitur, spectat ad præceptum; sed stipem omnibus petentibus erogare, spectat ad consilium, quia plus est, quàm præcipitur.

3. *Singularis patientiæ*, de quâ dicitur ei, qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium; & quicunq; angariauerit te mille passus, vade cum illo alia duo.

4. Euitare non modò occasiones quæ proximè ad peccatum ducunt, quod est præcepti, sed eas etiam, quæ aliquâ ratione eò tendere videntur. est enim in diuinis effatis: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te, &c. Et si manus tua dextera scandalizat te, abscinde eam.*

5. *Actionem cum doctrinâ jungere*, quod oracu-

oraculum veritatis pronunciauit, *quicunq; fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* facere est præcepti, sed supra illud etiam docere, est consilij.

Deniq;, vt alia breuitatis causâ non pauca prætermittam, vnicum adhuc ex D. Paulo pro consilijs Euangelicis, seu operibus supererogationis locum addidisse pro coronide satis erit. 21.

1 ad Cor. 9. *Meliùs*, inquit Apostolus, *est mihi mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet: nam etsi Euangelizauero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non Euangelizauero. quæ est ergò merces mea? vt Euangelium prædicans sine sumptu ponam Euangelium.* Vbi toto hoc capite conatur demonstrare, se plùs fecisse, quàm præceptum sibi fuerit, & ideò singularem gloriam apud Deum meruisse, nam cùm Dominus ordinasset illis, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere; Paulus maluit gratis Euangelium prędicare, & sic facere opus supererogationis. ita enim plus faciebat, dùm suis sumptibus viuebat, quàm cæteri Apostoli, qui Euangelizando sumptus à populo accipiebant.

CAPUT 3.

Refelluntur objectiones Aduersariorum, quæ generatim omnibus consiliis Euangelicis opponuntur.

22. PRincipalis omnium objectio est; lege juberi Deum diligere ex toto corde, ex totâ animâ, ex tota mente, & omnib⁹ viribus. vndè nihil superest, non debitũ, quod erogemus; quidquid enim agimus, corde, animo, mente, ac viribus agimus, quare omnia nostra Deo sunt obstricta. In qua objectione duo potissimum vrgent. Primò, illam tàm accuratam potentiarum enumerationem. 2. Illam particulam *ex toto*, ex quâ colligi affirmant, nihil posse hominem propter Deum facere, siue corde, siue corpore, quod non teneatur. Ostendendum ergò est, neutram partem quicquam ad argumenti conclusionem facere. quod
23 circà. Respondeo ad primum, per illam enumerationem mentis, animæ, cordis, virium, &c. non præcipi, vt Deum secundùm omnes gradus possibiles charitatis diligamus, sed tantùm, vt in Deum præcipuum amorem conferamus, nec quicquam anteponamus ei, vel æquemus. quod probatur primò auctoritate Patrum, Hilarij, Hie-

Hieronymi, Chrysostomi, Ambrosii, & aliorum, qui sic sentiunt.

2. Ex illo, quod Matth: 9. c. 21. Marcus c. 12. & Luc: c. 6. præceptum hoc dilectionis recensentes è cap: 6. Deut: nec in ordine, nec in numero consentiant, quod euidenti argumento est, non latere in istâ variarum potentiarum enumeratione mysterium. In hoc autem amore ex omnibus viribus, potentiis, &c. magis, & minùs inueniri potest; qui enim abstinet propter Deum à licitis, magis diligit, quàm qui ab illicitis solùm abstinet, & tamen diligit ex totis viribus, & potentiis, ac toto corde. quod probo, respondendo ad secundum, quod exaggerare solent Aduersarij, dùm vrgent per illam particulam *ex toto corde*, significari omnes actus cordis, vel omnem intensionem possibilem, adeò, vt imperetur, ne quiddam aliud corde volutemus, 24.
quàm dilectionem Dei, eamq; summam, & vehementissimam. quòd omninò falsum esse probant, varia Scripturæ loca, in quibus particulæ illæ *totum*, & *omnis* non significat ita *totum*, & *omne*, vt alia omnia excludant; sed tantùm maximam rei partem, de quâ sermo est Matth: 2. v. 3. *Turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo.* id est, magna pars habitantium Ierusalem, 2. Reg: 15. v. 13. *Toto corde vniuersus I-*

sus Israël sequitur Absolon, Gen: 31: v. 6. *Scitis, quod totis viribus seruierim patri vestro*, cùm tamen multa alia eodem tempore fecisset Iacob. Deindè Dauid dicitur secutus Dominum in toto corde suo, 3. Reg: 14. v. 8. Iosias autem secutus in toto corde, totâ animâ, & totâ virtute, 4. Reg: 23. v. 25. quis tamen Dauidi preponeret Iosiam, licet hujus dilectionem pluribus verbis proferat Scriptura? sic etiam Moses requirit, vt Deus quæratur in toto corde, & tota anima tribulatione, Deut: 4. v. 29. & Samuel, tantùm vt quæratur in toto corde, 1. Reg: 7. v. 8. patet ergò, sensum verborum horum per particulam *ex toto corde* expressum non esse alium, quàm sincerè pro viribus ac virili, vt dicitur, Deum adamare, in quo amore tali, magis, & minùs, siue gradus intensionis, ordinariè inueniuntur. Ergò cum hoc dilectionis præceptum impleamus, etiam in gradu minùs intenso, adeò, vt ad plus non obligemur, possumus quædam supra præceptum, ad quæ ex vi præcepti non adstringimur. & hæc vocamus opera supererogationis.

25. Obijciunt 2. Consilia Euangelica, quæ Catholici perfectionis nominant, sub præceptum cadunt, & omnes obligant mandante Christo Matth: 5. *Estote perfecti*. Ergò ad omnia perfectionis opera obligamur, & conse-


consequenter nihil agere vnquam possumus, quod non sub præceptum cadat, neq; vlla opera supererogationis esse poterunt.

℞. negando Antecedens; nam licet Christus omnes jubeat perfectos esse, duplex est tamen perfectio. Vna necessaria ad salutem, quæ consistit in plena mandatorum obseruatione, & ad hanc ex præcepto Domini omnes obligamur. Altera est perfectio præstantior, quæ necessaria est non ad salutem simpliciter, sed ad excellentiorem gradum gloriæ, in regno cœlorum consequendam: & hæc consistit in consiliorum obseruatione; quàm Dominus non præcipit, hanc enim si præciperet, tenerentur omnes, juxtà supradicta, sua omnia diuendere, seruare Castitatem, & statum omnem perfectissimum assumere.

26. Alia innumera argumenta, quibus hanc doctrinam euertere conantur Aduersarij, nihil probant aliud, quàm, cùm præcepta nullo modò in hác vitâ nequeant impleri, impossibile quoq; esse perfectiùs quiddam facere, quàm præcipiatur, & consequenter nulla dari posse supererogationis opera, ad quæ non obligemur.

Verùm cùm in Demonstratione de Mandatorum obseruatione fundamentum illud penitùs euerterim, & probauerim mandata omnia adimpleri posse, ne actum agam, eò lectorem beneuolum remitto.

De



De
CERTITUDINE JUSTITIÆ, PERSEVERANTIÆ, & æternæ Salutis.

DEMONSTRATIO VI.

Quâ ostenditur Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia docet vnumquemq; fidelem de suâ justitiâ certum esse posse, & debere, *quod* primitiua Ecclesia negauit.

CAPUT I.

1. 
CUM omnes Ecclesiæ primitiuæ Doctores falli nescia Scripturarum Auctoritatē secuti, Incertitudinem Iustitiæ propriæ multis libris, ac voluminibus passim testentur; non judicaui rem omnium calamis, & linguâ decantatam, multitudine testimoniorum firmare. Atq; ideo sufficere duxi, si aliquos tantùm producerem qui

qui facilè principem inter Patres obtinent locum, idemq; instar omnium censeri possunt.

Basilius Magnus in Constitut: Monast: c. 2. *Multa peccantes, plurima neq; intelligimus, quapropter dicit Apostolus: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, hoc est multa pecco, & non intelligo.* An: 370.

Ambrosius Serm: 5. in Psal: 118. super illud: *Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum.* Sic ait: *Sic volebat auferri opprobrium, quod suspicatus est, vel quia cogitauerat in corde, & non fecerat, & pœnitentiâ licet abolitum, suspectus tamen erat, ne fortè adhuc maneret ejus opprobrium, & ideò Deum precatur, vt illud auferat, quia solus nouit, quod nescire etiam potest ipse, qui fecit.* Quibus addit testimonium Apostoli, *nihil mihi conscius sum.* &c. An: 370.

Hieronymus lib: 2. aduersus Pelagianos: *Sunt justi, ad quos peruenit quasi opus impiorum, & sunt impij, ad quos peruenit, quasi opus Iustorum. Hoc idcircò dicitur, quia certum judicium solius DEI est.* An: 390.

Et lib: in Hierem: super c. 13. *Homo videt in facie, DEUS in corde, & quod nobis interdum mundum videtur, illius oculis sordidum deprehenditur.*

Chrysostomus Hom: 87. in Ioan: vbi S. Petrum sic loquentem introducit: *Proptere-* A. 400.

rea

rea contristatus sum, ne fortè me amare arbitratus, vt ante cùm me fortem, & constantem putarem, imbecillis inuentus sum

Idem Homil: 11. in 1. ad Corinth: *Multis de causis incertum est nostrum Judicium, vnà quòd multa opera nostra nos lateant, &c.*

A. 490. Augustin: Serm: 23. de verbis Domini: *Fortassè tu nihil inuenis in Conscientiá tuá, inuenit ille, qui meliùs videt.*

Homil: 35. *Quàm diù viuimus hîc, de nobis ipsis nos judicare non possumus, non dicò quid cras erimus, sed quid hodie simus.*

In lib: 1. de perfect: Iustitiæ: *Quantálibet Justitiâ sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inueniatur esse culpandum.*

A. 450. Theodoretus ad cap: 4. 1. Cor: ad illud: *Nihil mihi conscius sum, non me,* inquit, *à peccato immunem pronunciabo, sed Dei sententiam expectabo, sæpè enim euenit, vt etiam ignorantes peccent, æquum, & justum esse existiment, sed hoc aliter videt vniuersorū Deus.*

An: 540. Gregorius Magnus lib: 6. Epist: 26. ad Gregorium: *Quòd verò dulcedo tua in suis Epistolis subjunxit, importunam se mihi existere, quoad vsq; scribam, mihi reuelatum esse, quia peccata tua remissa sunt: rem, & difficilem etiam, & inutilem postulâsti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui reuelatio fieri debeat, inutilem verò, quia secura de peccatis*

catis tuis fieri non debes, nisi cùm jam in fine vitæ tuæ vltimò plangere eadem peccata minimè valebis. Quæ dies quousq; veniat, semper suspecta, semper trepida, metuere culpas debes, atq; eas quotidianis fletibus lauare.

Beda ad cap. 20. Prouerb: *Potest hic virtus, & de electis accipi, qui habent aliquando latentia in mente mala, quæ ab alijs videri non possunt hominibus, quæ tamen ipse Dominus cernit.* Et infra: *Sunt multi mundo corde, & juxta humanæ possibilitatis modum puri à peccato, nec tamen se ipse quisquam mundi cordem, & immunem à peccato absq; temeritate pronunciauerit.* An: 720.

Bernardus Serm: 3. de Aduentu: *Accedit ad sollicitudinis cumulum, & pondus timoris, quod cùm & meam, & proximi Conscientiam seruare necesse sit: neutra mihi satis est nota. vtraq; abyssus est imperscrutabilis, vtraq; mihi nox est, & nihilominus exigitur à me vtriusq; custodia.* An: 1130.

Item Epist: 107. *De quâ tamen perceptâ sumet ex parte notitiâ interim quidam gloriatur in spe, nondum tamen in securitate.*

Et Serm: 2. in Octauâ Paschæ: *Nouit Dominus qui sunt ejus, quis verò scit hominum, an amore, an odio dignus sit?*

Idem Serm: 1. de Septuagesi: *Quis potest dicere ego dilectus sum; ego de prædestinatis ad vitam; ego de numero filiorum. quis hac, inquam*

inquam dicere poteſt, reclamante Scripturâ? neſcit homo ſi dignus ſit an amore, an odio? certitudinem vtiq; non habemus, ſed ſpei fiducia conſolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitùs cruciemur.

Quem Authorem ideò addendum putaui, quod Aduerſarii noſtri Lutherus, & Caluinus, aliiq; eorũ ſequaces magni eum faciant, & verè doctũ, & ſanctum appellent.

Ex quorum omnium teſtimoniis patet Eccleſiæ veræ primitiuæ ſenſum, ac doctrinam fuiſſe, neminem de ſuâ juſtitiâ certum, atq; ſecurum in hoc ſæculo eſſe; & conſequenter Lutheranos, qui contrarium docent, ab Eccleſiæ veræ doctrinâ recedere, & grauiter errare.

CAPUT 2.

Exponitur vtriuſq; partis Doctrina. Confirmatur Catholica.

CAtholicam doctrinam Concilij Tridentini verbis expono, quod Seſſione 6. c. 9. ſic habet: *Sicut nemo pius de DEI miſericordiâ, de Chriſti merito, deq; Sacramentorum virtute dubitare debet, ſic quilibet, dùm ſeipſum, ſuamq; propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſuâ gratiâ formidare, & timere poteſt, cùm nullus ſcire valeat*

valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam DEI esse consecutum. Et cap: 16. *Quia in multis offendimus omnes, vnusquisq; sicut misericordiam, & bonitatem, ita seueritatem, & judicium ante oculos habere debet, neq; seipsũ aliquis etiã si nihil sibi conscius sit judicare: quoniam omnis hominum ratio non humano judicio examinanda, & judicanda est, sed DEI.* Ex quibus verbis ostenditur Catholicam doctrinam esse; nullum omninò hominem fidelem posse, vel debere sine speciali reuelatione certum esse certitudine fidei diuinæ, cui subesse falsum non potest; sibi esse remissa peccata, & Dei gratiam esse consecutum.

Aduersariorum verò doctrina est, quam Brochmanni verbis Artic: de fide justificante, cap: 2. quæstio: 1. hîc pono: *Nostrorum Theologorum,* inquit, *certa, constansq; assertio est, quod homo verè fidelis, certissimus esse possit, debeatq; de peccatorum suorum remissione, justitiâ, & salute.* Vbi licet non addat *fide diuinâ* ex Argumentis tamen, quibus suam sententiam probat, & quæ nos cap: sequente producemus, constat eum de infallibili certitudine fidei loqui. 3.

Hoc ergò posito quæstionis statu, probabimus primò neminem certitudine fidei certum esse posse, multò minùs debere, de suâ justitiâ. Ex quo facilè sequitur, nec de

perseuerantiâ finali, neq; de vitâ æternâ *quenquam certum, ac securum esse posse, vel debere.*

Stat pro Doctrinâ Catholicâ tota sacra Scriptura.

§. I.

Demonstratur Veritas Catholica Auctoritate veteris Testamenti.

4. IN veteri Testamento sententiam Catholicā probant 1. Iob, & Dauid. Nam Iob c. 9. v. 12. ait: *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendere, prauum comprobabit, etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea;* & v. 28. *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Et c. 31. v. 14. *Quid faciam cùm surrexerit ad judicandum Dominus, & cùm quæsierit, quid respondebo illi?*

Iam verò Dauidis hæ voces sunt. Psalm. 18. v. 11. *Delicta quis intelligit? & ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.* Quæ verba viri hi duo Spiritu Dei pleni non dixissent, si non dubitâssent de justitiâ suâ.

2. Salomon idem apertè fatetur, Eccles. 9. v. 1. *Nescit homo, vtrum odio, an amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.*

certa. Et Ecclef: 5. v. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Quæ loca, quia clarissima sunt, conantur Aduersarij claritatem illorum varijs nubibus inanium commentorum inuoluere. Ad primum enim respondet Brochmannus secutus Caluinum; Salomonem non loqui de notitiâ fidei, sed de eâ, quæ haberi potest ex euentu externo, quasi dicat: Ex beneficiis, & flagellis, quæ quotidie homini obueniunt, non posse cognosci, an aliquis sit justus, an impius; quia beneficia, & flagella tàm obueniunt huic, quàm illi. Prout ipse testatur Salomon v. 2. vbi dicit, Euentum eundem esse justo, & improbo. Licet igitur ex illis externis de Iustitiâ propriâ nemo certus esse possit, potest tamen per internam notitiam fidei, seu testimonium Spiritus sancti certus esse; juxta illud Rom: 8. v. 16. *Spiritus Dei reddit testimonium nostro spiritui nos esse filios DEI.*

Verùm respondeo 1. Salomon absolutè hîc dicit non posse cognosci à justo, an amore, an odio sit dignus. Ideoq; tale argumentum format: Si justus posset cognoscere, odionè, an amore dignus sit, id cognosceret ex flagellis, & beneficijs, quæ Deus immittit. Ex illis autem id cognoscere non potest, quia hæc tàm justo, quàm impio aduениunt. Ergò ex nullo. Aduersa-

xij autem in hoc syllogismo conantur negare Majorem, & Salomonem arguere falsitatis, & erroris. Nam si verum est, quod ipsi asserunt, justum certò scire se justum esse, ex internâ fide, seu Spiritus sancti testimonio, falsam propositionem posuisset Salomon, dicendo: Si justus posset cognoscere, odionè, an amore dignus sit, id posset cognoscere ex beneficiis, & flagellis DEI. Nam juxta aduersarios posset cognoscere etiam ex internâ fide. Debuisset ergò Salomon meliùs distribuisse primum membrum, & dixisse: Si homo posset certò cognoscere, se justum esse; vel id cognoscere deberet per internam fidem, vel per externa signa. At Salomon omisit prius membrum de internâ fide. Ergò ad rem pertinere censuit Confirmant hoc sequentia Salomonis verba: *Omnia in futurum seruantur incerta*. Quomodo autem hæc omnia in futurum sunt incerta, si omnes per notitiam fidei certi esse possint, odionè, an amore digni sint? 2. Ad locum Pauli quod attinet, respondeo; testimonium S. Spiritus in se quidem infallibile, & omninò certum esse, nobis tamen planè certum non est, quia non sumus certi, omninò illud esse à Spiritu sancto, non autem à Diabolo, vndè 1. Ioannis 4. v. 1. dicitur: *Probate spiritus, si ex DEO sunt*, an à Diabolo, an à naturâ,

naturâ, an à φιλαυτία. Experientia enim quotidiana docet plurimos hîc falli. Nam tàm Caluinistæ, quàm Lutherani, tàm Anabaptistæ, quàm Zwingliani jactant Spiritum Sanctum, qui tamen contraria docent, & credunt, cùm autem Spiritus ille veritatis contraria docere nequeat, certum est plerosq; , imò omnes falli. Si ergò in fide, & certitudine fidei suæ falli possunt; multò magis in certitudine gratiæ, & charitatis incerti esse poterunt.

Ad alterum locum Salomonis: *De propitiato peccato noli esse sine metu*, &c. Respondet Brochmannus ex Chemnitio, hæc verba non stabilire dubitationem de remissione peccatorum, sed suadere tantùm, ne spe veniæ, & remissionis peccata cumulemus, quod probatur indè, quòd in textu Græco legatur: *De propitiatione ne sis sine timore*, non autem *de propitiato peccato*. 5.

Verùm ipse textus friuolum hoc effugium præcludit. Nam licet de peccatis futuris loquatur Salomon, dùm ait eodem versu: *Neq; adijcias peccatum super peccatum, & ne dicas miseratio Domini magna est: multitudinis peccatorum miserebitur*. Certum tamen est: eum etiam loqui de præteritis, quando dicit *de propitiato peccato*, (siue de propitiatione peccati, quod idem est) *noli esse sine metu*. Itaq; carnalem hanc securi-

tatem peccatorum castigat Ecclesiasticus ex duobus capitibus, 1. quòd aliqui spe misericordiæ adijciant peccatum super peccatum: 2. in eo, quòd aliqui non orent pro peccatis præteritis, vt sibi dimittantur, sed certò credunt sibi esse remissa, ob id solùm, quia credunt sibi esse remissa: & cum Luthero Auctore carnalis securitatis affirmano se non posse perdere salutem suam, etiamsi velint, modò velint credere. Atq; ita manifestè ex hoc loco Doctrinam nostram stabilimus

6. Accedunt ad hæc proposita testimonia multa Prophetarum dicta, quibus vel requirunt ex parte nostrà varias conditiones veræ fidei, sanctæ vitæ, seriæ pœnitentiæ, vt justificemur, veluti Deut: 4. v. 29. 2. Paral: 9. v. 24. Esaiæ 1. v. 17. Ezech: 18. v. 21. cùm verò nemo certus esse possit, se toto corde credere, & conuersum ad Deum esse, fit vt nemo etiam de justitiâ suâ certus esse possit.

2. Vel indicant Prophetæ incertum esse an qui agit pœnitentiã, remissionẽ consequatur. Vt Daniel: 4. v. 24. Ioel: 2. v. 12.

3. Vel admonent Prophetæ, vt non simus nimium securi, quasi certi simus de Iustitiâ jam adeptâ, maximè commendantes eos, qui maximè timent, vt Prouerb: 28. v. 14. *Beatus homo, qui semper est pauidus.*

Ex

Ex quibus locis omnibus manifestè patet, requiri aliquid in nobis, vt justificemur, siue illud sit fides viua, siue pœnitentia seria, vt concedunt Aduersarij, & sine his neminem justificari posse. At nemo certus esse potest, præsertim certitudine fidei, se toto corde ad Deum conuersum esse, & fidem, ac pœnitentiam habere talem, qualis requiritur, cùm in nullâ Scripturâ testimonium ejusmodi inueniatur de fide, & pœnitentiâ nostrâ particulari. Igitur nemo certus esse potest certitudine fidei sibi remissa esse peccata.

§. 2.

Demonstratur eadem veritas, testimonijs ex nouo Testamento adductis, & ratione.

PRimarium testimonium à Diuo Paulo accipimus, 1. Cor: 4. v: 3. & 4. *Mihi autem pro minimo est, vt à uobis judicer, aut ab humano die, sed neq; meipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum, sed ob hoc non justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est, &c.* Sensus verborum clarus est. Paulus enim Corinthios à judiciis temerarijs, quibus alterum alter temerè judicabat deterrere cupiens; Humanum, inquit, judicium non æstimo, ideoq; nec me ipsum 7.

judico, nam licet nullius criminis aut negligentiæ in ministerio fidelis Dispensatoris commissæ, mihi conscius sim, non tamen ideò sum justus; qui cordis intima scrutatur, solus nouit omnia, qui in die suo manifestabit omnia consilia cordium.

Ex quo loco omnes Ecclesiæ primitiuæ Doctores, meritò deducunt incertitudinem gratiæ, & remissionis peccatorum. Nam si Paulus fateatur nec se, nec quenquam scire, an sit fidelis Dispensator Mysteriorum Dei, quod in quæstionem veniebat; & nos profectò fateri cogimur, neq; nos, neq; quenquam alium de se ipso scire, an justus sit, & amicus Dei, nisi fortè Lutherani plura noscant de seipsis, quàm nouerit Apostolus: quod quis credat?

2. Constat ipsum Christum, & Apostolos ab his qui justificabantur, adhuc aliquas conditiones requisiuisse. Vt Ioan: 15. v. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Luc: 13. v. 3. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Act: 8. v. 37. *Si credis in toto corde, licet.* Et quis scire potest, an has conditiones rectè adimpleuerit?

3. Resipiscenti adhuc dubitandum esse, an peccata remittantur, docet diuinus Spiritus, Act: 8. v. 22. *Pœnitentiam age ab hâc nequitiâ tuâ, & roga Deum, si fortè remittatur*

tur tibi. Ergò quiſq; etiam dubitare poteſt, an ſit juſtus.

4 Laudantur in Sacris literis illi, qui ſemper in negotio ſalutis timent. 2. Corinthio: 10 v. 18. *Non qui ſeipſum commendat, probatus eſt, ſed quem Deus commendat.* At certè ſi quis certitudine fidei ſciret ſe juſtum eſſe, poſſet vtiq; ſe commendare, & probatus eſſet, quia ſine dubio minimè falleretur. Philip: 2. v. 12. *Cum metu, & tremore, ſalutẽ veſtram operamini* 1. Pet: 1. v. 17. *In timore incolatus veſtri tempore verſamini* 2. Pet: 1. v. 10. *Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Si igitur certitudo vocationis per bona opera quærenda eſt, etiam juſtificationis certitudo, per eam quærenda erit, *quia quos vocauit, & hos juſtificauit* Rom: 8. Quòd ſi autem ex bonis operibus juſtificationis certitudo pendet, non igitur ex ſolà fide hæc certitudo pendet: neq; certa eſt juſtificatio noſtra, certitudine fidei, quæ infallibilis eſt, ſed certitudine operum, quæ conjecturalis, & imperfecta certitudo eſt. 8.

Deniq; Doctrina Catholica rationibus probatur:

1. Planè conſtat, ipſis etiam Aduerſariis fatentibus, nihil eſſe certum fidei certitudine, niſi vel immediatè contineatur in verbo Dei; aut certè ex verbo DEI per euidentem 9.

dentem consequentiam deducatur. Sed nullibi in verbo Dei de *te*, vel de *te*, nominatim inuenies te justum, & tibi remissa peccata tua esse. Ergò non potes de tuâ justitiâ certitudine fidei certus esse. At replicat Brochmannus: In generalibus conclusiones particulares continentur: Ideoq; hoc argumentum format: Sacræ literæ testantur omnes verè credentes, & pœnitentes peccatorum remissionem, gratiam, & salutem obtinere. Ioan: 3. v. 16. & v. 36. Ego autem certus sum me verè credere, & pœnitere. Ergò certitudine fidei de gratiâ, & remissione peccatorum, certus sum.

Sed concessâ *Majore*, *Minorem* non solùm falsam, sed sine reuelatione particulari etiam impossibilem affirmamus: *Inscrutabile enim est cor hominis, & quis cognoscet illud?* Et multi profectò grauissimè falluntur, qui se putant habere quòd non habent. Petrus quidem putabat se paratum esse cum Christo mori, cùm dicebat: *Tecum paratus sum in mortem, & in carcerem ire.* Et tamen docuit contrarium Euentus. Et quis certus esse potest, se non laborare ignorantiâ aliquâ probabili? clariora certè signa conuersionis nulla sunt, quàm opera intensissima charitatis, seu volendi pro DEO mori. Sed hoc ipsum signum esse potest fallax, Apostolo id testante, 1 Co-

te, 1. Corinth: 13. Quod etiam in praxi nonnunquam vidimus in hæreticis pro defensione suæ perfidiæ mortem oppetentibus. Quid enim de Caluinistâ quopiam, Lutheranus in tali casu dicet? Iudicabitnè illum in suâ fide morientem, veram fidem habuisse? tunc certè fateri debet suam esse falsam. Vna enim tantùm fides vera est. Vel judicabit Caluinistæ fidem esse falsam? tunc profectò fateri cogitur nos in fide nostrâ, & justitiâ falli posse, & consequenter de ijs neq; certos, neq; securos esse.

Deniq; cùm omnes, qui his, & prioribus temporibus ab Ecclesiâ Romanâ secesserunt, vt Anabaptistæ, Lutherani, Sacramentarij, Caluiniani, Schusteriani, & innumeri alij, suam illam certitudinem gratiæ jactent, certum est maximam partem eorum ipsis etiam testibus, sine dubio à veritate declinare. Lutherani enim omnes alios censent errare, & è contra omnes alij Lutheranos falli asserunt. Si enim hoc non judicarent, cogerentur fateri omnium fidem, & Religionẽ esse veram; quod nunquam fatebuntur. Aut certè, vt antea dixi, dicere debent omnes alios præter se falli. Si ergò omnes alios errare credant, qui tamen fidem veram se habere asserunt, cogentur etiam fateri Lutherani, omnes alios de suâ fide incertos esse posse. Si hoc de a-
10.

lijs

lijs judicent Lutherani, & alij de ipsis, idq; in materiâ fidei, quantò magis incerti omnes erunt de gratiâ DEI, & salute? Hoc igitur jure merito de omnibus, qui fidem Catholicam deseruerunt, Catholici dicere possumus; eos nimirum omnes falli, nec vllo modo de justitiâ suâ securos esse pos-
11. se. Cùm ergò clarè demonstrauimus Scripturis, & ratione nullum de justitiâ suâ certum esse posse, vel debere, manifestè sequitur, quod in titulo hujus Controuersiæ, secundo, tertioq; loco susceperamus demonstrandum, videlicet neminem quoq; certum esse, de perseuerantiâ finali, & æternâ vitâ. Nam si certi non simus de Iustitiâ præsenti, quomodo quis certus esse potest de perseuerantiâ in eâ? in cujus difficultatis probatione non judicaui immorandum esse, quia ipse Brochmannus nobiscum in hoc penitùs consentit: & Artic: de peccato, c. 8. quæst: 8. Doctrinam Catholicam, videlicet, fideles peccatis suis DEI gratiam, Fidem, & Spiritum sanctum amittere posse, ideoq; de perseuerantiâ non esse certos, acriter probat, & euincit contra Caluinistas: His ergò sic probatis;

12. Quæret aliquis, an, & quomodo Catholici vel speremus, vel credamus Remissionem peccatorum, gratiam, & salutem nostram? Respondeo varias quidem species cer-

certitudinis à Theologis numerari, vt videri potest apud Bellarmin: de Iustific c. 2. sed ijs omnibus omissis dico: Catholicos de peccatorum indulgentiâ, gratiâ, & salute suâ, solâ certitudine conjecturali certos esse posse, nisi peculiaris reuelatio accesserit. Certitudinem autem conjecturalem illam vocant, quæ tot signis, & conjecturis nititur, vt securum reddat hominem, & anxietatem excludat, non tamen omnem penitùs formidinem expellat. Ideoq; ista certitudo potiùs conjecturalis, & opinionis esse dicitur quàm fidei, nec aliam majorem certitudinem vllis suis argumentis extorquere possunt Aduersarij, vt sequenti capite probabimus.

CAPUT 3.

Aduersariorum fundamenta euertuntur, & rationes refutantur.

BRochmannus Catholicæ Doctrinæ hoc opponit fundamentum: *Qui jubent*, inquit, *ne fideles sint certi de remissione peccatorum, hi jubent, vt fideles in dubium vocent veritatem, in verbo diuino nobis commendatam; Deus enim verbis disertis, & quidem juramento confirmatis mandat, vt credentes sint certi de remissione peccatorum,* 13.

justitiâ,

justitiâ, & æternâ vitâ. In cujus confirmationem varia Scripturæ testimonia producit; quæ nihil probant aliud, quàm Deum generaliter omnibus verè credentibus in Christum, verè pœnitentibus, diligentibus, &c. Remissionem peccatorum, gratiam, & æternam vitam promisisse. Ad quæ breuiter respondeo, Catholicos quidem credere, & docere neminem in hac vitâ absq; speciali reuelatione de Iustitiâ certum esse posse; constanter tamen negant, & esse falsum asserunt, quod illis Aduersarius impingit, per hoc se vllo modo in dubium vocare veritatem in verbo diuino commendatam. Nam licet plurimis in locis Christus remissionem peccatorum, &c. verè credentibus, & pœnitentibus promiserit, age tamen Brochmanne, vbi vllibi vel vno apice demonstrare potes Christum *tibi*, vel cuicũq; alteri *tibi simili* in particulari promisisse, vel de *te*, dixisse *te* habere veram fidem, pœnitentiam, dilectionẽ &c? quod sicut nunquam demonstrare poteris, ita nobis etiam nunquam demonstrare poteris, te in vitâ certum, certitudine, quæ fidei est de tuâ justitiâ fuisse. Vide Lector, quæ in hanc rem diximus supra c. 2. §. 2. n. 9. Ne tamen ab ipso producta testimonia per hanc responsionem eludere velle videamur, singulorum solutionem, quamuis

necessa-

necessarium non sit, hîc breuiter addemus.

1. 1. Ioannis 5. v. 9. & seq: *Scimus quoniam ex DEO sumus*, & ibidem: *Qui credit in filium DEI, habet testimonium DEI.* 14.

Respondeo 1. vox illa, *scimus*, non necessariò fidei diuinæ certitudinem includit. Rectè enim ea *scire* dicimur, quæ ex signis, & conjecturis colligimus. Et Ioannem hîc non agere de notitiâ fidei, sed tantùm de conjecturali, patet indè, quòd ex signis externis, & effectu, qui est in voluntate, colligi velit, quod simus ex DEO, ideò addit, *quia diligimus fratres*. Ergò dilectio fratrum, est illud signum.

2. Licet in primâ personâ hîc loquatur Apostolus, tamen generales tantùm; non particulares ipsius sunt sententiæ. Significant enim eos in Deo manere, qui diligunt fratres, & Deum in ipsis manere; qui manent in DEO, &c. Nec obstat, quod in primâ personâ loquatur, quia bonâ spe confidebat; se vnum ex illis esse, qui diligunt fratres. Sicut etiam S. Paulus sæpè locutus est, quando de prędestinatione scribebat ad alios, sperans & se, & alios, ad quos scribebat, inter electos, & prædestinatos esse.

Ad alia verba quod attinet: *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei*. nihil faciunt ad propositum nostrum. Non e-

nim loquitur S. Ioannes de testimonio Iustificationis nostræ, sed de testimonio Diuinitatis Christi. Cùm enim paulò ante dixisset: *Hoc est testimonium Dei, quod majus est, quia justificatus est de Filio suo*; &c: & paulò supra, v. 6. *Spiritus est, qui testificatur de Filio suo.* Mox subjungit: *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* hoc est, quod Deus testatus est de Filio suo, hoc testimonium, ille qui credit in Filium conseruat, & acceptat in se; non de se, sed de Filio Dei, qui est in se. Qui autem non credit, non recipit hoc testimonium, & ideò mendacem facit Deum, qui de Filio suo testificatus est, atq; adeò locus ille nihil facit ad rem contra Catholicos.

15. 2. Adducit ex Paulo ad Hebr: 6. v. 16. 17. 18. & seqq: *Homines per majorem sui jurant, & omnis controuersiæ eorum finis, ad confirmationem est juramentum, in quo abundantiùs Deus volens ostendere pollicitationis hæredibus, immobilitatem consilij sui interposuit jusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem.* &c. Ex quibus verbis deducit Brochmannus, Deum jurasse se daturum fidelibus hereditatem. Ergò certi sumus de eâ acquirendâ, & consequenter potiori ratione de Iustitiâ certi sumus.

Verùm

Verùm locus ille nihil contra nos facit, libenter enim hoc Dei juramentum admittimus, quod etiam aliàs multis in locis promissione factâ stabiliuit. Sed si aliquid probare vellet Aduersarius, deberet ostendere Deum juramento firmasse, hunc, vel illum, in particulari esse fidelem, cui Deus hæreditatem suam promisit, quod cùm nullibi, de aliquo in particulari jurauerit, certum est neminem scire posse, certitudine fidei se in particulari illum esse, qui justus sit, & cui Deus hæreditatem promisit. Præterea hîc etiam Apostolus addit: Ad tenendam *propositam spem*, vt significet nos hanc promissam hæreditatem certò posse sperare, non autem certò scire nos tales esse, qui eam simus acquisituri, spei enim semper inest formido de opposito, quam certa scientia excludit.

3. Ioan: 5. v. 24. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit à morte ad vitam.* 16.

Respondeo nos omnia hæc credere tanquam diuinæ mentis oracula, frustrà tamē laborat, qui indè deducere velit, certitudine fidei scire nos justos esse: quia ex nullâ ratione infallibili hinc potest probari nos, & singulos in particulari tales esse, qui aptè verbum Dei audiant, & ita credant in

Deum, ſicut Deus à nobis requirit: Hoc quia certitudine fidei demonſtrari non poteſt, conſequenter conuinci non poteſt ſcire nos certitudine fidei juſtitiam noſtram.

17. 4. Obijcit illud ad Rom: 8. v. 16. *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſimus filij Dei.* Verùm ad hunc locum reſpondimus ſupra §. 1. num: 4.

5. 2. Corinth: 1. v. 21. 22. *Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus, qui & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Sigillum illud (ajunt Aduerſarij) eſt fides ſpecialis, quia certi ſumus nos eſſe prædeſtinatos.

Reſpondeo, falſum eſſe de fide hîc agi, ſed potiùs de ſignaculo Baptiſmi, in quo vngimur oleo gratiæ, & pignus accipimus bonæ conſcientiæ. vel de Sacramento Confirmationis, quòd ſtatim à Baptiſmo omnes fideles olim ſuſcipiebant ad ſe roborandum contra perſecutiones: *Confirmauit nos,* dedit pignus Spiritus, vnxit, ſignauit; quæ ſingula diſtinguit Apoſtolus: hæc autem alibi, quàm in Sacramento Confirmationis diſtingui non poſſunt.

Deinde demus de fide hîc agi, nimis multum probaret contra Lutheranos, videlicet fidem amitti non poſſe, quod contra Caluiniſtas conſtanter negat Brochmannus. Deniq; nemo poteſt eſſe certus talem fidem

fidem se habere, vt ante sæpiùs ostendimus, & consequenter scire nequit, verum ipse vnus sit ex illis, quos signauit Dominus, & cui pignus Spiritus diuini dedit.

6. Ad Eph. 1. vers. 13. 14. *In quo & vos cùm audissetis verbum veritatis (Euangelium salutis vestræ) in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, &c.* Ergò fideles hoc signaculo certi omninò sunt se esse in verâ fide, & gratiâ. 18.

Respondeo negando consequentiam, quia sicut signaculum hoc, siue sigillum, non est eis physicè impressum, ideoq; non omninò certum, ac euidens, sed tantùm probabile, & subindè quasi moraliter certum, ex signis, & conjecturis; ita pariter non est eis certum, & clarum se esse in verâ fide, & gratiâ Dei, juxta illa, quæ superius diximus.

Deniq;, ne diutiùs Lectorem fatigem, ad omnia Scripturæ, & SS Patrum testimonia, quæ contra nos ab Aduersariis producuntur, aliquo ex sequentibus modis responderi facillimè potest.


1. Quòd in ejusmodi locis solum agatur de Remissione peccatorum in genere, non autem singulis applicatâ. 19.

2. Quod sermo sit tantùm de certitudine conjecturali, vel de eâ quam certã moraliter appellamus.

3. Vel quòd sit sermo, de quibusdam certis personis tantùm, quibus speciali priuilegio, peculiaris reuelatio eâ de re facta est.

4. Quòd sit sermo de certitudine gratiæ, quantum est ex parte DEI, & efficaciâ mediorum, quæ à Deo ad conciliandam gratiam præscripta sunt. Vel etiam ex Hypothesi, si quis nimirū legitimè vtatur ejusmodi mediis à Deo præscriptis. Quibus modis, etiam rationibus, quas contra nos adducunt Aduersarij, occurri potest. Atq; ita manet inuicta, & omninò certa totius Ecclesiæ Catholicæ Doctrina, neminem videlicet in particulari certitudine fidei, certum, & securum esse posse de propriâ Justitiâ, perseuerantiâ, & æternâ salute consequendâ.





De
SATISFACTIONE.
DEMONSTRATIO VII.
Quâ ostenditur Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam; quia negat per bona opera pœnalia posse satisfieri à justis pro reatu temporali: quod posse fieri, tota Ecclesia primitiua credidit, & docuit.

CAPUT I.

Pro pœnis temporariis iustos in hâc vitâ satisfacere posse per bona opera docuit Ecclesia primitiua.



CLemens Romanus Constitut: Apost: l. 2. c. 16. jubet post pœnitentiam, & dolorem adhuc etiam castigari peccatorem; *Castiga illum*, inquit, *jeiuniis duarum, aut trium, aut quinque, aut se-* I. An: 80.

 ptem

ptem hebdomadarum. quod non fecisset, nisi judicasset per hæc jejunia DEO satisfieri pro pœnâ temporali.

An: 160. Iustinus *quæst: 79. Luctuosum vitæ finem, propterea Josias retulit, quod jussioni Jeremiæ non paruerit, qui ei ex mandato Dei dixerat*, &c. quòd si mortem illam Deus permisit, vt purum Josiam à peccato reciperet, ergò mortis pœna fuit expiatio peccati, & proindè quod est idem, satisfactio pro peccato: ergò sicut talis pœna mortis fuit satisfactio, sic esse possunt omnes cæteræ, quæ vel inferuntur, vel sponte assumuntur.

A. 180. Irenæus lib: 4. cap: 26. *Docebat, vt facerent præcepta, & vt veterem cupiditatem per opera bona soluerent, & sequerentur Christum, quoniam autem ea, quæ possiderentur, pauperibus diuisa, solutionem faciunt præteritæ cupiditatis*, &c.

A. 200. Tertullianus lib: de pœnit: cap: 5. *Ita, qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, Diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam satisfaciet.*

Et cap: 6. *Quam porrò ineptum, quàm pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere: hoc est pretium non exhibere, ad mercedem manum emittere, hâc enim pœnitentiæ compensatione Dominus redimendam proponit impunitatem*.

Item cap: 7. 8. 9. 10.

Calli-

Callistus Epist: 2. *Animas peccatorum per pœnitentiam, & satisfactionem sanare cupimus.* *Anno 218.*

Origenes in Exod: Homil: 6. *Misericors est, & miserator Dominus, & creaturæ suæ non vult mortem, sed vt conuertatur, & viuat, pœnitendo, flendo, satisfaciendo deleat quod admissum est.* *An: 240.*

Item in lib: Iud: Homil: 3 *Quanto tempore errasse te nosti, quanto tempore deliquisti, tanto tempore humilia teipsum Deo, & satisfacito ei in confessione pœnitentiæ.*

Cyprianus hâc in re testandâ fusus est, ac frequens, ac inprimis lib: 3. Epist: 14. *Hæc qui subtrahit fratribus nostris, decipit miseros: vt qui possunt agentes pœnitentiam veram, Deo Patri misericordi precibus, & operibus suis satisfacere, seducantur vt magis pereant.* *A: 250.*

Lib: 5. Epist: 12. Illi ipsi oculi, qui malè simulachra conspexerunt, quæ illicita commiserant, satisfacientibus Deo fletibus deleant.

Et Epist: 40. Dominus longâ, & continuâ satisfactione placandus est, &c: Et pòst: Si quis aut pœnitentiam agere, & Deo satisfacere detrectans, sese hæreticæ factioni conjunxerit, sciat se posteà ad Ecclesiam redire non posse, quod sæpissimè inculcat aliis multis in locis.

Firmilianus Epist: 75. apud Cypran: *La-* *A. 250.*

psis fratribus, per pœnitentiam medela quæratur, vt per nos ad intelligentiam delictorum suorum conuertantur, & Domino pleniùs satisfacere cogantur.

An. 320. Lactantius lib: 4. Inst: cap: 17. *Si cor mundauerimus, id est, peccata nostra confessi, satis Deo fecerimus, veniam consequemur,* & lib: 6. cap. 24. *Potest homo reduci, ac liberari, si eum pœniteat actorum, & ad meliora conuersus satisfaciat Deo.*

An: 350. Hilarius Pictauiensis in Psalm: 128. *Hæc venia peccati est, fonte fletuum flere, & largo lachrymarum imbre madefieri.*

An: 370. Basilius Homil: 3. in illud: *Attende tibi ipsi,* sic habet, *Attende tibi ipsi, vt pro delicti proportione hinc quoque mutueris, ex admotâ tibi medelâ valetudinis instaurandæ subsidium; magnum est: & graue peccatum? multâ opus habes confessione, lachrymis amarulentis, peracri vigiliarum contentione, indiuulso, & continenti jejunio.*

An: 370. Lucifer Calaritanus de Regibus Apostaticis: *Aperi cordis oculos, ingemisce toto corde, tàm te grauiter deliquisse colligens. Idcircò Deus est patiens, quia vult te tandem à malis emergere per pœnitentiam, per veram satisfactionem.*

An: 370. Ambrosius Epist: 82. ad Eccles: Vercell: *Quæ nobis salus esse potest, nisi jejunio eluerimus peccata nostra?* Item: *Grandi plagæ, alta, & pro-*

& prolixa est medicina: grande scelus, grandem necessariam habet satisfactionem, & alibi sæpè.

Gregorius Nazianzenus *Oratione in sancta limina*. *An: 380.*

Gregorius Nyssenus *Orat: in eos qui acerbiùs alios judicant*.

Theophilus Antiochenus, Epist: 1. Paschali. *An: 390.*

Hieronymus multis in locis, ac clarissimè Epist: 30, ad Oceanum de morte Fabiolæ, & ad cap: 1. Ioelis *An: 390.*

Chrysostomus Sermone de confessione peccati: *Curet pœnitentia, quod delictorum macula sordiderat: Serpentum virus, satisfactionis antidoto recuretur: peccatorum venena, precum instantiá depellantur: vt Dominum, quem nobis delicta fecerant iracundum, reddant obsequia digna placatum*, &c. *An: 400.*

Item Homil: 42. in Matth: & 4:. ad populum Antiochen: *A nobis inquit, vltionem sumamus, ita placabimus Judicem*.

Augustinus Homil: vlt. in 50. Homil: c. 5. *Non enim sufficit mores, in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, cooperantibus eleemosynis, &c*: & aliis innumeris in locis. *An: 400.*

Innocentius I. *Epist: 1. cap: 7. & Epist: 22. ad Episc: Macedon: cap: 4.* *An: 406.*

An: 410. Synesius *Epist: 67.*

An: 420. Philo Carpathius *in Cantic: Tota pulchra es amica mea.*

An: 430. Ioannes Cassianus *Collat: 20. cap: 7. & Collat: 13. cap: 15.*

An. 410. Seuerus Sulpitius *de virtutibus B. Martini, Dialogo 2.*

2. Sufficiat hos ex aliis penè iñumeris produxisse testes Doctrinæ, quæ in Ecclesiâ primitiuâ constanter floruit, de operibus laboriosis Satisfactionis à iustis pro temporali pœnâ exercendis. Hos autem testes omni exceptione majores, in re tanti momenti non errasse, patet indè, quod nullus illos vnquam primitiuæ Ecclesiæ temporibus, quando ea non potuit errare, redarguerit erroris.

Cùm ergò illi Apostolorum Coëtanei, & immediati Successores, senserint, & docuerint, per opera pœnitentiarum laboriosa, per orationes, jejunia, & eleemosynas, pro pœnâ temporali, justos posse satisfacere: nemo cordatus, & veritatis amans Christianus esse potest, qui non hisce potiùs testimoniis, quàm nouis hominum comentis, nullâ ratione solidâ fundatis fidem tribuat. frustrà autem dicunt Aduersarij, sic nonnunquam locutos fuisse Patres, vt significarent publicam aliquam coram hominibus testificationem fuisse necessariam, vt diceren-

dicerentur non Deo, sed Ecclesiæ satisfacere, quo citiùs in ejus communionem possent recipi; nam huic effugio resistunt clara Patrum verba, quæ nullum dubitationi relinquunt locum, quin fuerint de satisfactione, quæ soli Deo fit, propriè locuti.

CAPUT 2.

Justos DEO pro pœnis peccatorum temporariјs, suis operibus posse satisfacere, probatur. 3.

NOn est in hâc demonstratione quæstio, an dentur certæ quædam castigationes temporariæ, quas pij nullâ prece, aut pretio auertere possunt: neque disputatur, an Eleemosynis, oratione, jejunio, &c. possint aliquando pœnæ temporariæ auerti; Sed, neque an justis liceat pro temporariis pœnis impendentibus auertendis, aut saltem mitigandis Deo supplicare; hæc enim omnia posse fieri Scripturis euidentibus conuictus fatetur cum Catholicis Brochmannus de pœnit: c. 2. q. 24.

Genuinus ergò quæstionis status est, an jejunium, oratio, & Eleemosynæ, aliaque opera laboriosa, quæ à justis exercentur, sint veræ pro pœnis temporariis satisfactiones.

Aduer-

Aduersarij licet omnia ejusmodi opera, bona esse, & placere Deo fateantur: pertinaciter tamen negant vllo modo satisfactoria dici posse, quorum fundamentales rationes sequenti capite productas, euertemus.

Catholici sacras literas, Primitiuæ Ecclesiæ auctoritatem, Patres omnes, & Concilia secuti, affirmamus, & omninò credimus, per opera jejunij, orationis, Eleemosynæ, & alia pœnalia, verè, ac propriè Deo satisfieri pro reatu pœnæ, qui post culpam dimissam remanet expiandus ita, vt quemadmodum per bona opera, quæ à Dei gratiâ dignificata sunt, de condigno promeremur gloriæ augmentum (vt fusè demonstrauimus parte primâ, Controuersiâ de meritis bonorum operum) sic per pœnalitatem operis, quæ per internam DEI gratiam dignificatur, satisfaciamus pro pœnâ temporali: Deo tale pœnale opus in satisfactionem acceptante. Hujusmodi autem pœnæ temporalis reatum in justis dimissâ culpâ sæpè remanere, patet ex innumeris Scripturarum testimonijs, & rationibus à nobis fusè adductis, in Demonstratione de Purgatorio, probatur itaque Satisfactio ex Scripturis:

4. 1. Clara sunt Danielis verba, c. 4. v. 24. *Peccata tua Eleemosynis redime*, vbi ponderandum

derandum verbum illud est, *redimere*, quod idem, imò plus significat, quàm satisfacere. Si enim per opera laboriosa pœnas temporales redimere possimus, clarum est, pro iisdem pœnis per hujusmodi opera nos etiam posse satisfaceer: atque adeò, si redemptores esse possumus, multò magis satisfactores esse poterimus. Opponunt aliqui de peccatis redimendis agi tantùm, non de pœnis temporarijs. Sed hoc falsum est, licet enim peccati vocabulo Daniel hîc vtatur, frequens tamen est Scripturæ phrasis, vt peccatum pro pœnâ ejus ponat, vt 3. Reg: 1. v. 21, *Erimus*, inquit, *ego*, & *filius meus* (Salomon) *peccatores*. Item Gen: 43. Deut: 5. & alibi, & quamuis de culpâ loqueretur expressè Daniel, à fortiori intelligi deberet de redemptione pœnæ. Si enim Eleemosynis homo mereri potest de congruo remissionē culpæ, & de condigno gloriæ augmentum, & operis pœnalitas tàm ordinetur ad satisfactionem pro pœná, quam ejus bonitas ad augmentum gloriæ, quantò magis justificatus merebitur de condigno remissionem pœnæ, cùm hæc remissio longè sit illâ minor? vndè patet, tàm de remissione culpæ, quàm pœnæ Danielem loqui. Sed instat Brochmañus: quod alium lęserimus, siue in justitiæ redemptio (de quâ hîc agit Daniel) quæ sit beneficentia ergà pauperes, non ad Deum, sed ad homines, quos læsimus, refe-
renda

renda eſt. Contra: loquitur hîc de omnibus peccatis generaliter Propheta, & cùm non per omnia peccata injuriam proximo faciamus, ſed plura ſint interna, pro quibus non debetur reſtitutio, & conſequenter nulla apud proximos redemptio, neceſſarium eſt referri ad Deum, non ad proximum.

5. 2. Luc: 3. v. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* facere autẽ fructus dignos pœnitentiæ, eſt eo modo operari, quo pœnitentem decet: ad id autem non ſufficit cauere futura (vt aſſerit Brochmannus) ſed etiam damnum reſarciri debet: ſicut qui alterum feriendo lædit, non facit ſatis, ſi abſtineat, nec amplius id in futurum faciat; ſed etiam ad reſarciendum factum damnum, & injuriam illatã compenſandam obligatur, quem locum omnes Eccleſiæ primitiuæ Patres in hunc modum explicant: & profectò digni fructus dici non poſſent, niſi reuera ad injuriam compenſandam ſufficerent, ſi non ad æqualitatem quantitatis, ſaltem ad æqualitatem proportionis, & juxta acceptationem ejus, qui fuerat læſus.

6. 3. Paulus 2. Cor: 7. v. 11. inter fructus ſanctæ triſtitiæ, quæ pœnitentiam ſtabilem operatur in ſalutem, annumerat *vindictam*, ſeu caſtigationem ſui ipſius, hæc autem vindicta præteritum reſpicit, non futuram vitæ nouitatem; ſed ad juſtitiam pertinet. Ideoque aliud eſſe nequit, quàm ipſa,

quam

quam nos dicimus satisfactionē. nam propterea de peccatis suis pro amore DEI, vindictam vnusquisq; sumit, vel injunctam à Sacerdote libenter accipit, vt injuriam à se Deo factam hâc ratione compenset.

4. Denique innumera Scripturæ loca reperire est, quibus indicatur bona opera orationis, Eleemosynæ, aliaq; his similia, à Deo in compensationem, seu satisfactionem admitti pro peccatis; vt Tob: 4. v. 11. *Eleemosyna ab omni peccato liberat.* Tob: 12. v. 19. *Eleemosyna à morte liberat.* Luc: 16. v. 9. *Facite vobis amicos de Mammonâ iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* 7.

5. Denique cùm admittant Aduersarij, vt supra diximus, per hujusmodi bona opera nonnunquam à DEO calamitates, aliasque pœnas temporales mitigari, vel etiam omninò tolli in hác vitâ, quid hoc erit aliud, quàm DEO pro calamitatibus, & pœnis temporalibus, per huiusmodi opera pœnalia satisfacere? 8.

Ex quibus, & similibus locis, patet Eleemosynam, aliaque hujusmodi opera bona, à DEO pro compensatione, & satisfactione, injuriæ ipsi à nobis illatæ, cum promissione acceptari.

CAPUT 3.

Objectiones Aduersariorum refelluntur.

9. TRibus argumentis Sententiam Catholicam oppugnat Aduersarius, quibus se penitùs eam euertere confidit.

1. Doctrina hæc è diametro repugnat, gratuitæ peccatorum, & pœnarum remissioni, quæ in Scripturis innumeris deprædicatur. impoſsibile enim eſt, vt debitum aliquod gratis nobis condonetur, & tamen à nobis aliquâ ex parte perſoluatur.

Reſpondeo: falſam eſſe, Doctrinam hanc repugnare peccatorum, & pœnarum gratuitæ remiſsioni in Scripturis decantatæ: cùm enim in Scripturis nullibi locum aliquem inueniamus, in quo aſſeritur expreſsè remiſsio *pœnarum* gratis, hoc eſt nullâ impoſitâ ſatisfactione; non poteſt doctrina noſtra dici Scripturis è diametro opponi. Illa autem gratuita remiſsio peccatorum, cujus mentionem ſacræ literæ frequenter faciūt, in nullo nobis aduerſatur. Nam ſicut vnus Diuinus Spiritus peccati gratuitam remiſſionem aſſerit Iſa: 43. v. 25. ſic idem quoq; Spiritus per bona opera peccatorum fieri redemptionem aſſerit, Prouerb: 16. verſ. 6. Daniel: 4. v. 24. Luc: 7. v. 47. Cùm autem vnus, idemque DEI Spiritus, & auctor

ipſe

ipse veritatis falli nesciat, aut sibi contradicere: videndum est, quid per remissionem peccatorum gratuitam intelligatur. Itaque remissio peccatorum est gratuita, quia omninò gratis Deus nobis fidem, & pœnitentiam inspirat: gratis nos ad amicitiam, gratiamque recipit: gratis culpam, & reatum æternæ mortis condonat: quin imò gratis etiam illam gratiam infundit, per quam pro pœná temporali, quæ remanet, dimissá culpâ satisfacimus. vndè patet tantùm abesse, vt gratuita remissio peccatorum satisfactioni aduersetur, quin potiùs hæc ab alterâ gignatur. Verùm in eo potissimùm falluntur Aduersarij, quod gratiam, quam Sacræ literæ deprædicant, non animaduertant illis tantùm operibus opponi, quæ propriis liberi arbitrij, & naturæ viribus efficiuntur, opera enim quæ ab ipsá gratiâ procedunt, à Deo non opponuntur gratiæ, vt quæ in eâ potiùs tanquam effectus in causâ concludantur.

Secunda objectio. Aduersatur doctrina de satisfactione, sufficientissimo isti pretio, quod pro nobis soluit Christus. Si enim Christus soluit pro nobis, justum redemptionis pretium, & quidem tale, quod omni parte sufficiat hominibus liberandis, & à peccatis, & à peccatorum pœnis: Insimulant sanè Catholici Deum injustitiæ, qui vrgent, vt Deo, & à Christo, & à nobis provno, eodemq; debito satisfiat. 10.

Respondeo, falsum esse Satisfactionem nostram aduersari Satisfactioni sufficientissimæ Christi Saluatoris. Nam licet omninò fateamur, abundantissimè pro nobis satisfecisse Christum, adeóque tàm magnum ejus fuisse redemptionis pretium, vt omni parte sufficiat hominibus, tàm à peccatis, quàm pœnis liberandis; tamen, non ita vel nos redemit, vel pro nobis satisfecit, vt ipsa satisfactio, siue redemptio, in nobis plenum effectum haberet, sine nobis. ita, vt nobis non agentibus, vel cooperantibus, contingat justificatio, vel pro pœnâ temporali satisfactio. aliàs enim neque fides, neque Baptismus essent necessaria. Sicut igitur fides, & Baptismus nobis sunt ad justificationem necessaria, vt per illa nobis fructus redemptionis applicetur; ita ex nostrâ parte etiam opera pœnalia nobis sunt necessaria, vt infinita illa Christi Satisfactio nobis applicari posit, & sicut Christus nos suâ pasione liberauit à peccatis ōnibus *causaliter*, id est, instituēs causam nostræ liberationis, ex quâ possent quæcunque peccata quandoque remitti, vel præterita, vel præsentia, vel futura; ita causam instituit nostræ satisfactionis, vt pro quâcunq; pœnâ temporali, si sit necessarium, satisfacere posimus. Falsum ergò est, nos vrgere Deum injustitiæ, dum vrgere nos dicunt Aduersarij, vt & à Christo, & à nobis, pro vno, eodémq; debito

Deo satisfiat; neq; enim hoc vrgemus: quia scimus Christi satisfactionem pro pœnis omnibus longè sufficientissimam esse: Sed tantam volumus, vt per opera nostra pœnalia, Christi satisfactio nobis applicetur. Sicut fatentibus Aduersarijs, per fidem, & Baptismum Christi merita nobis ad justificationem nostram applicamus, non igitur & à nobis, & à Christo, pro vno, eodemq; debito satisfit, sed à nobis per Christum, cujus satisfactionis per opera nostra pœnalia, DEI gratià dignificata, nos ea nobis applicando participes efficimur, tantùm autem abest, vt hâc ratione quidquam de meritorum, & satisfactionum Christi dignitate detrahatur, vt ea potiùs hinc magnoperè extollantur: quando tanta eorum operum vis asseritur, vt non tantùm per ea Christus ipse pro nobis satisfecerit; sed etiam nos fecerit cooperatores suos ad nostrā salutem; cùm ad illam ipsi disponimur, & pro peccatis nostris satisfacimus, per ejusdem gratiam, vel ad salutem alienam, cùm aliis Sacramenta, vel nostras satisfactiones applicamus. Iuxta illud Apost: 1. Cor: 7. v. 9. *Dei enim sumus adjutores.* Plura hâc de re videri possunt parte primâ, Demonstratione de meritis bonorum operum, cap. vltimo, de Satisfactione Christi.

Tertia Objectio. Quidquid bonorum præstare, aut quidquid pro gloria DEI pati possumus, II.

 sumus,

sumus, id totum, & facere, & pati tenemur, jure creationis, redemptionis, & præcepti diuini: extremè autem temerarium fuerit debitum debito, velle persoluere.

Sed ad hanc objectionē falso fundamento nixam, fusè respondimus in Demonstratione de operibus supererogationis, cap: 3. per totum, & de meritis bonorum cap. 2. 3. vnde absolutè falsum est, nos ad omnia facienda, & patienda obligari, & debita debitis persoluere. quamuis enim opera nostra omnia quæ facimus, tàm DEI dicenda sunt, quàm nostra, tùm propter ordinarium concursum, quo nobiscum ad nostras omnes actiones Deus concurrit; tùm etiam propter gratiam ejus, quæ opera nostra omnia dignificat; tamen, & quia ab arbitrij nostri libertate proueniunt, & quia ex summâ suâ misericordiâ, ea omnia, tanq̃ nostra propria, dignatur acceptare; fit, vt debitum, tanquam penitùs ex proprijs de condigno satisfaciendo, persoluamus. sicut enim in bono opere pœnali, quod cum DEI gratiâ perficimus, nihil nostrum dici potest, quod non etiam sit Dei: Sic in eodem opere dicimus è contra, nihil esse DEI, quod non etiam sit nostrum. adeò, vt totum opus faciat Deus, & totum liberè operans, faciat homo. juxta quod hoc opus, Deo illud acceptante, satisfactorium, pro pœnâ temporali est. Res exemplo declaratur: Mancipium

aliquod,

aliquod, ſeu ſeruus ſit, qui Domino ſuo multa debeat; licet tàm res ejus omnes, quàm opera ſint Domini; ſi paciſci tamen cum eo Dominus dignetur, vt quidquid ſupra illud, quod ordinariè Dominò debetur, ſua induſtriâ, & labore, quamuis etiam per inſtrumēta Domini fuerit lucratus, hoc Domino pro debito perſoluat; poterit profectò ex hâc pecuniâ ſibi acquiſitâ, non minùs cum Domino, quàm cum quocunque alio, contractum juſtitiæ inire, ac pro omni debito, per eam Domino ſuo ſatisfacere. Ita quoque licet propter opera noſtra, summè laborioſa, & pœnalia, nullam pœnæ remiſsionem mereamur, quia hæc omnia jam ante Dei ſunt; quia tamen ea DEVS tanquam pro pœnâ temporali ſatisfactionem, dignatur acceptare; tenetur Deus propter hujuſmodi opera, remittere temporalem pœnam. Atque ita ad hanc objectionem reſpondimus abundè.


4. Obijciunt aliqui etiam Catholici, ſed exercitij tantùm gratiâ, dolor, ſeu pœna quælibet hujus vitæ, quamuis intenſiſsima, nullam omninò habet cum pœnis purgatorij proportionem, ergò non poterit eſſe condigna ſatisfactio pro illis. 12.

Reſpondeo: Si pœna noſtra Phyſicè conſideretur, & ſecundùm ſe, facilè concedimus antecedens; negamus tamen, ſi ſpectetur, vt eleuata, & dignificata, tùm à gratiâ

 ſub-

ſubjecti patientis, tùm ab operatione liberâ, & meritoriâ, â quâ dignificatur. Sic Eleemoſyna nullam habet proportionem, ſi ſecundum ſe conſideretur collata cum præmio gloriæ æternæ: quo ſenſu dixit Apoſtolus: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* At antecedente dignificatione, â gratiâ proueniente, redditur Eleemoſyna ad gloriæ præmium condigna. Sic etiam paſsio externa, ſi nudè accipiatur, non eſt condigna: Si verò dignificetur, ita, vt ſit opus ſupernaturale in gratiâ factum; tunc tantam accipit condignitatem, vt cum aliquâ parte pœnarum Purgatorij, imò aliquando etiam cum totâ poſsit coæquari, & pro illâ de condigno ſatisfacere. Et hæc de Satisfactione ſatis dicta ſunto.





De JEJVNIO ECCLESIASTICO. DEMONSTRATIO VIII.

Quâ ostenditur, Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia non obseruat statutos jejuniorum dies, quos Ecclesia vera primitiua semper obseruauit.

CAPUT I.

Ostenditur jejunium diebus certis in Ecclesiâ primitiuâ obseruatum esse.

NEgant Aduersarij, certa jejunij tempora, & certos in anno dies, ad jejunium deputari posse, quod asserunt libertati Christianæ repugnare. Catholici autem Ecclesiam secuti primitiuam, certos, & statutos ab Ecclesiâ dies obseruandos asserunt; 1.

& verò etiam diligentissimè obseruant. Quâ in re dùm consuetudinem ab Apostolorum temporibus huc vsq; obseruatam retinent, errare nullo modo possunt, nisi dicamus, totam primitiuam Ecclesiam, quæ Aduersariorum etiam assensu Ecclesia vera fuit, in re grauissimâ errâsse, quod impossibilè est. Probandum ergò est, totam Ecclesiam primitiuam certos, & non tantùm pro arbitrio, jejunij dies obseruasse.

2. Clemens Romanus Constit: Apost. l. 5.
An: 80. c. 17. *Jejunare igitur diebus Paschæ, incipientes à secundâ feriâ, vsq; ad sextam, & Sabbathum; sex diebus pane tantùm, sale, oleribus, & aquâ, mensæ adhibitis, abstinere his diebus à vino, & carne, dies quippe luctûs, & non festi sunt.*

Item Canon: Apost: 60. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Hypodiaconus, aut Lector, aut Cantor, sanctam Quadragesimam non jejunat, aut quartam feriam, aut sextam, deponatur, nisi imbecillitas corporis obstet. Sin verò Laicus sit, excommunicetur.*

Item Constit: Apost: c. 12. enumeratis aliquot diebus festis in Ecclesiâ seruandis ait: *Post quos dies seruandum est jejunium quadragesimæ, quod vitæ Christi, & legis latæ recordationem continet.*

An: 90. S. Ignatius Epist: ad Pilip: propè finem: *Festi-*

Festiuitates ne dehonestetis: quadragesimam, ne despernatis: imitationem enim continet conuersationis Domini.

Et mox: *Ne negligatis jejunare quartâ feriâ, & sextâ, ciborum reliquias pauperibus elargientes.*

Telesphorus Epist: ad omnes vniuersaliter, c. 1. *A nobis, & à cunctis Episcopis, in hâc sanctâ, & Apostolicâ sede congregatis statutum est, vt septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha, omnes à carne jejunent.* An: 127.

Clemens Alexandrinus l. 2. pædagogi, c. 1. *Etsi maximè propter homines omnia facta sint, non tamen omnibus vti bonum, sed neque semper. Nam tempus, occasio, modus, & aliquid relatis, non parum ei, qui constituitur, momenti adferunt, ad id, quod sibi est vtile.* An: 200.

Tertullianus de jejuniis c. 15. *Quantula est apud nos interdictio ciborum? duas in anno hebdomadas Xenophagiarum, nec totas, exceptis scilicet Sabbathis, & Dominicis offerimus Deo, abstinentes ab eis, quæ non reijcimus, sed differimus.* Item lib: 2. ad vxorem, c. 4. & alibi sæpè. An: 200.

Callist. Epist: ad Benedict: Episcopum, de jejunio Quatuor temporum, sic disserit: *Jejunium, quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, conuenientiùs nunc per quatuor tempora fieri decernimus; vt sicut annus per quatuor voluit tempora, sic & nos quaternum solemne* An: 220.

solemne agimus jejunium, per anni quatuor tempora.

An: 226. Origenes Homil: 10. in Leuit: *Habemus Quadragesimæ dies jejunijs consecratos. habemus quartam, & sextam septimanæ dies, quibus solemniter jejunamus.*

An: 250. S. Cyprianus tract: de jejunio Christi, docet, Christum Dominum quadraginta diebus jejunantem, eandem jejunandi formulam nobis proposuisse. *Forma igitur,* inquit, *jejuniorum proposita, fixoq; exemplo postquam quatuor dierum abstinentiam Dominus confirmauit, &c.*

An: 283. Petrus Alexandrinus, Canone vltimo: *Non reprehendet nos quisquam, quartam, & sextam feriam obseruantes, in quibus nobis jejunare secundum traditionem præceptum est.*

An: 310. Eusebius Papa: *Jejunia in Ecclesiâ à Sacerdotibus constituta, sine necessitate rationabili non soluantur.*

An: 311. Concilium Nicænũ, Can: 5. jejunij certi mentionem facit, dùm ait: *Habeatur autem semel Concilium ante dies quadragesimæ, vt omnibus, si quæ sunt, simultatibus amputatis mundum, & solemne Deo munus offerri possit.*

An: 336. S. Hilarius Canone 15. in Matth: scribit: eos qui olim ad S. Baptisma accedebant, fuisse *toto in jejunijs Passionis Dominicæ tempore demorantes.*

An: 370. Concilium Laodicenum Can: 50. *Non oportet*

oportet in quadragesimæ quintâ feriâ vltimæ hebdomadæ jejunium dissolui: & totam Quadragesimam inhonorari, sed per totos hos dies jejunare, & escis aridioribus vti.

In eundem sensum loquuntur plurimi alij Patres, qui statuti hujus ab Ecclesiâ jejunii testes luculenti sunt: & ipsos in particulari dies jejuniorum clarè nominant.

Nam D. Basilius Homil: de jejunio præsertim secunda, ait: legem, & institutum quadragesimæ, in vniuerso terrarum orbe, & vel media armatorum acie congregatâ obseruari. *An: 370.*

S. Ioannes Chrysostomus, illis ipsis verni jejunij diebus, doctas pias in Genesin commentationes pro concione explicauit. *An: 398.*

D. Ambrosius sermone 25. de hâc ipsâ materiâ hujus institutionis rationem reddit, & Sermone 36. sic ait: *Non leue peccatum est fidelibus, indictam quadragesimam à Domino, violare; & jejunia conseruata, ventris voracitate dissoluere. Scriptum est, qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare, si vis ergò Christianus esse, debes quod Christus fecit, facere. Ille qui peccatum non habebat, quadragesimam jejunauit, tu non vis quadragesimam jejunare, qui peccas?* Et post aliqua: *Non igitur sicut dixi, leue peccatum est, indictum violare jejunium.* *An: 347.*

S. Hie-

S. Hieronymus Epist: 14. ad Marcellam breuiter: *Nos vnam*, inquit, *Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo, jejunamus.*

Quin imò: *Quadraginta diebus* Cod: *de ferijs:* Valens, & Gratianus Christianis judicibus prohibent, ne Quadragesimæ tempore reum vllum supplicio afficiant.

Ex quibus clarè patet, 1. in antiquâ primitiuâ verâ Ecclesiâ, non tantùm in communi, juxta cuiuscunq; arbitrium pro Christianâ libertate fuisse jejunatum; sed certos etiam dies deputatos ad jejunandum fuisse, quibus si non jejunâssent Christiani, grauiter deliquissent.

Patet 2. cùm hæc certorum dierum jejunia communis totius Ecclesiæ primitiuæ consuetudo seruauerit; tanquam Apostolorum institutum, atq; Traditionem admitti debere, juxta regulam D. Augustini, l. 4. de Bapt: c. 24. *Quòd vniuersa tenet Ecclesia non Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.*

Patet 3. quòd cùm per eandem viam, & eâdem authoritate traditum nobis sit, certos jejuniorum dies obseruandos esse, per quam traditum accepimus Euangelium Matthæi, vel Ioannis esse verè verbum Dei immutatum, atq; genuinum, eodem modo v-

do vtrumq; credendum, & seruandum esse. est enim par in vtroq; ratio, ex eodem fonte deriuata.

CAPUT 2.

An, & quænam, & qualis sit obligatio, in Ecclesiâ jejunandi.

NOn disputabimus hoc loco an in verâ Ecclesiâ sit aliquando jejunandum, 3.
aut in nouo Testamento per legem gratiæ jejunium sit abrogatum; fatetur enim Brochmannus de jejunio, c. 1. Sect: 2. *jejunium non esse cultum ab hominibus introductum: sed esse rem diuinæ institutionis, & obseruantiæ, & disciplinæ in Ecclesiâ verâ perpetuò mansuræ.* quam doctrinam probat multis tàm veteris, quàm noui Testamenti dictis: ac inprimis, vt omittam vetera, ex nouo hæc adducit: Matth: 6. v. 16. *Cùm jejunatis, nolite fieri sicut Hypocritæ tristes &c. amen dico vobis, receperunt mercedem suam: Tu autem cùm jejunas, vnge caput tuum, &c. Et 9 v. 15. Nunquid possunt filij sponsi lugere, quàm diu cum illis est sponsus, venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt. Quibus addit hæc verba: Quæ,* inquit, *& similia satis docent, non esse antiquatum in nouo testamento jejunium, & notum est*

est Christum, Matth: 4. v. 2. Apostolos Actor: 10. v. 30. & 13. v. 2. 3. & 14. v. 23. & 1. Cor: 7. v. 5. *jejunâsse*.

Hæc Brochmannus. Quæ cùm fateantur Aduersarij, videlicet præceptum de jejunando, adhuc in verâ Christi Ecclesiâ debere obseruari: Quæstio inter nos, & Aduersarios, in hoc potissimùm consistit. An aliquo certo tempore jejunium obseruari debeat, an verò liberum sit, vnicuiq; tempus aliquod sibi deligere pro arbitratu suo. Pro cujus decisione quęstionis probabimus primò, penes Ecclesiam, seu summum Pontificem, tanquam ejus caput, potestatem esse jejunia à Deo generatim instituta, ad certos dies determinandi. Secundò, ostendemus Ecclesiam hâc potestate de facto vsam esse.

§. I.

Jejunium ab Ecclesiâ temporibus statutis in conscientiâ obligat.

4. PRo fundamento hunc syllogismum pono: In verâ Christi Ecclesiâ fuit semper, & est potestas præcipiendi aliquid quod in conscientiâ obligat.

Sed eâ potestate jejunium certis temporibus est ab Ecclesia præceptum. Ergò jejunium certis temporibus obligat in conscientiâ.

InMajori propositione consistit tota difficultas. Licet enim Aduersarij fateantur in Ecclesiâ quandam præcipiendi potestatem esse; negant tamen per hanc fideles obligari in conscientiâ, ad hujusmodi præcepta obseruanda, nisi fortè ratione scandali, aut contemptûs.

Probatur ergò major: 1. auctoritateScripturæ, Deut. 17. *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur ille homo, & auferes malum de Israël.* Si ergò in antiquâ lege parere cogebantur imperio summi Sacerdotis, non minus in nouâ lege censendum est, id faciendum esse. Cùm non minoris, imò majoris potestatis sit noua, quàm antiqua. Imperium autem illud Sacerdotis in conscientiâ obligasse constat, ex grauitate pœnæ in transgressionem constitutæ: nunquam enim leges pœnales, quæ puræ, hoc est, sine culpâ sunt, ad ablationem vitæ extenduntur.

2. Ex nouo Testamento: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Ioan: 20. v. 22. Sed Christus missus est à Patre, cum potestate non solùm prædicandi, & Sacramenta ministrandi, sed etiam præcipiendi. Igitur eandem Apostolis, & inprimis ipsi Petro tribuit. Ergò cum Christi nomine tanquam

ejus Vicarius præceperit, præcepta ejus in conſcientiâ obligabunt.

3. Rom: 13. v. 2. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Et infra: Ideoq; neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*. Quem locum non tantùm de principibus ſæcularibus, ſed etiam Eccleſiaſticis intelligendum eſſe patet indè, quod Apoſtolus dicat: *Non eſt poteſtas niſi à Deo*, quod æquivalet: *Omnis poteſtas eſt à Deo*, ſi omnis, ergò etiam Eccleſiaſtica. Quia datur aliqua Eccleſiaſtica poteſtas, teſte Paulo, 2. Cor: 13. *Hæc*, inquit, *abſens ſcripſi, vt non præſens duriùs agam ſecundùm poteſtatem, quam dedit mihi Dominus*. Et aliquam præcipiendi poteſtatem dari, ipſi aduerſarij fatentur. Quòd autem hæc poteſtas obliget in conſcientia, declarant illa verba: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. Item illa: *Qui reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*. Deindè ſequentia: *Ideò neceſſitati ſubditi eſtote*, id eſt, non eſt liberum, ſed neceſſarium. Ac poſtremò iſta, *non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*, hoc eſt, non ſolùm propter metum pœnæ, ſed etiam propter metum culpæ. Cùm ergò fideles non parendo hujuſmodi poteſtati Eccleſiaſticæ, & DEI ordinationi reſiſtant, & damna-

damnationem sibi acquirant, & necessariò ad id teneantur, non solùm ob iram, sed etiam propter conscientiam. Ergò potestas Ecclesiastica in conscientiâ potest obligare.

4. *Qui vos audit, me audit.* Luc: 10. quod siue de Apostolis, & eorum Successoribus sigillatim, siue de omnibus simul congregatis intelligatur, ostendit vel toti Ecclesiæ, vel ejus præsidibus, obediendum esse, tanquam Christo, & consequenter omnes fideles in conscientiâ ad hoc præceptum obligari.

Item: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*, declaratur, omnes in conscientia ad Ecclesiastici præcepti obedientiam obligari.

Deniq;, vt multa alia Scripturæ loca, clarissima, prætermittamus; etiam praxin hujus obligationis ex Scripturis in primitiua Ecclesia habemus. Nam Actor: 15. Ecclesia in Concilio Apostolico congregata, temporalē legem tulit abstinendi à sanguine, & suffocato, quam adeò religiosè seruabant Christiani, vt Tertulliano teste, extremum spiritum satiùs ducerent effundere, quàm, vt ex vetitis tantillum degustarent. Hanc autem legem fuisse in conscientiâ obligantem, plurima conuincunt. 1. Quia Apostoli vocant illam *onus*. 2. Quia dicūt esse *necessaria*, ergò necessariò obseruanda, 6.

uanda, non liberè; vt Aduersarij asserunt Ecclesiæ constitutiones obseruandas esse. 3. Quia Lucas Act. 15. vocat ea vera præcepta. 4. Quia tota primitiua Ecclesia docuit ea in conscientiâ obligasse, pro eo tempore, quo lex hæc vigebat.

7. Sed replicant Aduersarii, legem hanc obligasse propter scandalum, cùm enim ad euitandum scandalum lata fuerit, totum præceptum cadebat supra scandalum, quod præcepti finis erat, non supra esum idolothytorum. Ergò lex illa in se non obligabat.

Respondeo dici hoc nullo modo posse. Nam lex de non comedendis im̃olatis, &c. omninò noua fuit in nouo Testamento, quia de hâc nullum à CHRISTO præceptum datum inuenitur. Præceptum autem de non dando scandalo, non jam nouum, sed antiquissimum, & juris naturalis erat. Ergò nouum hoc præceptum cadere necessariò debuit supra esum immolatorum, non supra scandalum, quod vetitum jam antea jure naturali fuit. Et licet finis præcepti hujus fuerit euitatio scandali; abstinentia tamen ab illis cibis fuit medium ad euitandum scandalum; adeò, vt qui non seruaret illud medium, etiam præcisè in hoc peccaret. Sicut, licet finis omnium præceptorum sit charitas, præcepta tamen parti-

particularia, de non furando, de non occidendo, &c. non obligant ad diligendum, ſed obligant abſtinendum à re, & damno alieno. Ita etiam hoc præceptum, de non manducandis immolatis, non obligabat ſimpliciter, vel tantùm ad euitandum ſcandalum; ſed ad hujuſmodi ciborum abſtinentiam. Adeò, vt hæc Eccleſiaſtica lex, de non comedendis immolatis, diſtincta fuerit à lege naturali; de vitando ſcandalo, ſicut lex de non furando, diſtincta eſt à lege charitatis, quæ prioris finis eſt. Ergò per hanc legem non obligabantur ſolùm in conſcientiâ, ad non dandum ſcandalum; ſed etiam obligabantur in conſcientia, ad ciborum vetitorum abſtinentiam.

Ex quibus patet Eccleſiam ſaluâ libertate Chriſtianâ potuiſſe ferre, & de facto tuliſſe leges in conſcientiâ obligantes, & conſequenter quod initio hujus §, probandum erat; in verâ Chriſti Eccleſiâ fuiſſe ſemper, & eſſe præcipiendi poteſtatem, conſcientias fidelium obligantem.

Nunc autem, vt ad minorem ſuperioris ſyllogiſmi veniamus, probandum eſt, jejunium tali poteſtate in Eccleſiâ certis temporibus inſtitutum eſſe, idq; Apoſtolicâ Autoritate. Quod demonſtramus argumento ex doctrinâ D. Auguſtini deſumpto. Quod eſt tale. Illa omnia cenſenda ſunt

descendere ab Apostolicâ institutione, & autoritate, quæ ab vniuersâ primitiuâ Ecclesiâ, per continuam temporis successionem semper obseruata, & in nullo Ecclesiæ Concilio fuerunt instituta. Sed jejunium quadragesimale est tale, patet indè, quòd in nullo Concilio ejus institutio inueniatur, & ejus mentionem faciant Doctores omnes, qui concilia omnia præcesserunt. Ergò jejunium censendum est descendere ab Apostolicâ institutione, & auctoritate.

Quòd autem hoc jejunium semper fuerit inEcclesiâ seruatū enumeratione primorum temporum, & veræ Ecclesiæ Doctorum supra demonstrauimus. 2, Hoc jejunium ab Apostolis institutum, & toti Ecclesiæ ab ijsdem traditum fuisse; patet ex Canone Apostolorum 60. & Constitut: Apost: c. 12. vt supra videri potest. Quòd etiam confirmat duorum Patrum insigne testimonium, quorum primus est Hieronymus Ep: adMarcel: vbi sic ait: *Nos vnam quadragesimam secundum traditionem Apostolicam toto anno, tempore nobis congruo jejunamus.* Alter est S. Leo, qui serm: 6. de quadragesimâ, sic ait: *Quòd ergò dilectissimi, omni tempore vnumquemq; conuenit facere Christianum, id nunc sollicitiùs est, & deuotiùs exequendum: vt Apostolica traditio*

quadra-

quadraginta dierum jejuniis impleatur. Et Serm: 9. *à Sanctis*, inquit *Apostolis per doctrinam Spiritus sancti majora sunt instituta jejunia, vt per commune consortium Crucis Christi, etiam nos aliquid in eo, quod propter nos gessit, ageremus.*

Videmus igitur duos illos Ecclesiæ primitiuæ Doctores celeberrimos, vnum quidem circa annum 390. alterum circa annum 490. publicis Scriptis affirmasse, quadragesimam ab Apostolis primò institutam, ac Christianis traditam fuisse, quà in re tanti momenti, & tàm difficili si errâssent, & falsa scripsissent, proculdubiò ab æquæuis Ecclesiæ Doctoribus, vel certè à totà Ecclesià, aut aliquibus orthodoxis eorum Successoribus, erroris fuissent reprehensi; quod cùm nunquam ab vllo factum sit, quin imò ab omnibus idem potiùs vnanimiter assertum, quis non potiorem illis fidem habeat, quàm prodeuntibus aliquot pòst mille & ducentos annos ventris, & Gastrymargiæ mystis? Quibus sic probatis; Syllogismum superiorem repeto: Ecclesia vera potestatem habet præcipiendi aliquid, quod fideles omnes in conscientiâ obligat. Sed hâc potestate certis temporibus præcepit esse jejunandum. Ergò jejunium certis temporibus in conscientiâ obligat.

§. 2.

De aliis vsitatis in Ecclesiâ jejuniis.

9. QVamuis Brochmannus quæstione sextâ de jejunio candidè fatetur, jejunij feriæ quartæ, & sextæ, frequentem apud veteres mentionem fieri, citétq; pro eâ re Canon: Apost: 66. & S. Clementē constit: Apost: 7. c. 22. aliósq; Authores veteres plurimos. Horum tamen rejectâ autoritate, omnia hæc jejunia vnâ liturâ delet: non aliam ob causam, quàm quod de his nihil in sacris literis scriptum inueniatur; nam, inquit, si placuisset DEO, vt hujusmodi jejunia à fidelibus obseruarentur, id diserto verbo, & mandato præcepisset. Quasi verò plurima non essent, quæ tàm Aduersarii, quàm nos credere necessariò debemus verbo tradito, non scripto, nobis ad credendum commendata. Qualia ex professo plura recensuimus parte prima Demonstrationum, de Traditionibus, quo Lectorem beneuolum remitto. Rejectâ igitur hâc futili, & sæpè à nobis refutatâ ratione, Catholici affirmamus,

10. Iejunia feriæ quartæ, sextæ, & Sabbathi, vti & quatuor temporum, Vigiliarum, & alia partim ab Apostolis, partim ab Ecclesiâ, & Apostolorum Successoribus instituta, &

ta, & in Ecclesiâ primitiuâ semper obseruata esse. Cujus assertionis certitudo manifestè patet ex Scriptoribus primo capite allatis, & aliis, quos ipse Brochmannus citat. Cùm ergò de vetustissimâ horum obseruatione, à temporibus Apostolorũ constet, clarum est ab Apostolis fuisse tradita, juxta dicta §. 1. num: 8. & consequenter in horum obseruatione necessariâ, Ecclesiam non errâsse. Cùm ergò viri omnes illi Sancti, & Ecclesia tota primitiua, hanc de jejuniis doctrinam credendo, tradendo, & seruando non errauerint, vt certum est, errant profectò illi, qui ventrem magis, quàm primitiuam Ecclesiam secuti, hujusmodi jejunia reijciunt.

Talem autem in Ecclesiâ potestatem esse, quâ ad certos dies jejunia determinare possit, § primo est probatum, quibus hæc breuiter adnecto: Tanta nunc est Ecclesiæ in filios potestas, quanta fuit in veteri Testamento Ecclesiæ, ac quorundam priuatorum hominum in posteros suos, ac nepotes, sed illi potuerunt certis diebus indicere jejunium, & à quibusdam cibis abstinentiam, Ergò & nunc Ecclesia id poterit. Fecit autem id Ionadab, vt patet ex Ierem: 35. vbi ejus filij laudantur, quod obedierint parenti suo, qui vinum illis vsq; in sempiternum interdixerat. Esther quoq; II.

& Mardochæus, jejunium in memoriam liberati populi Iudaici in perpetuum indixerunt omnibus Iudæis. Item Zachariæ 8 fit mentio quatuor jejuniorum, quæ dicebantur jejunia mensium, quarti, quinti, septimi, & decimi, eaq; nullibi ab ipso Deo præcepta referuntur, sed variis de causis ab ijs introducta sunt, qui Iudaicam rempublicam regebant. Fuerunt ergò jejunia in Testamento veteri, non solum legibus diuinis, sed Ecclesiasticis etiam designata. Nihil ergò jam obstat, quo minùs Ecclesia noui Testamenti, quæ multo majoris autoritatis est, etiam hujusmodi jejuniorũ dies justâ de causâ determinare, vel instituere de nouo possit. Nec dicas, Iudæos ad jejuniorũ dies non fuisse in conscientiâ obligatos. Quia in primis certum est, ista jejunia à legitimâ potestate, hoc est, supremis Iudæorum principibus fuisse præcepta, à Deo summè laudata, & à toto populo accuratissimè seruata, ex quo deducimus, actus illos certo die jejunandi, aliàs per se bonos, & liberos, per legitimum præceptum factos fuisse necessarios. Sed hujusmodi actus necessarios, per se bonos, jamq; etiam præceptos intermittere, in conscientia est peccatum. Ergò Iudæi omnes, ad hæc jejunia seruanda, in conscientia obligabantur. Ex quibus infero. Si Ecclesiæ
12.
Iudææ

Iudææ principes, commissum sibi populum potuerint in conscientiâ certis diebus ad jejunandum obligare, multò magis id poterit Summus Pontifex, tanquam Christi Vicarius in terris, & in spiritualibus supremus Legislator. Si enī Ecclesia, seu Sumūs Pontifex, nullas posset leges condere, quæ in conscientia obligarent, nisi ratione scandali, aut contemptûs, vt volunt Aduersarij, sequeretur Ecclesiam, nullas omninò posse condere. Quia leges, de non scandalizando proximo, & de non contemnendis Superiorum præceptis, jam priùs jure naturali, & diuino obligant. Ergò Ecclesia tunc non conderet illas leges, igitur nullas omninò conderet. Sed aliquas ab Ecclesiâ posse condi, supra §. primo demonstrauimus, nec negant Aduersarij, ergò Scripturales leges, quas potest condere Ecclesia, per se etiam seposito scandalo, & contēptu obligabunt in consciētia. Sed tali lege constituit jejunia supra memorata, ergò hæc jejunia in consciētiâ obligabunt.

§. 3.

Quomodo jejunandum.

DVo hîc à Catholicis affirmantur: Primò, vnicam in jejunio refectionem, eamq; cœnam debere esse, non prandium; certum ciborum delectum, & abstinen- 13.

tiam

tiam à carnibus esse necessariam. De primo nunc agendum, ac demùm de altero.

Primo probamus id testimonio Scripturarum, Patrum, ac consuetudine continuatâ fidelium. Nam Iudic: 10. *Jejunârunt illo die, vsq; ad vesperam.* Idem habetur 2. Regum 4. & alibi. Patres verò talem in Ecclesiâ fuisse consuetudinem, passim testantur, ac in primis.

Tertullianus, lib. contra Psychicos. S. Athanasius lib. de Virginitate. S. Basilius Orat: de Iejunio. S. Epiphanius, in fine lib: aduersus hæreses. S. Ambrosius Serm: 8. Psalm: 118. S. Hieronymus Epist: ad Eustochium, vt omittamus innumeros à Bellarmino citatos, c. 2. de jeiunio, quod omnium fideliũ perpetua consuetudo confirmat. Sed cùm circa horam cœnam sumendi, apud Christianos aliqua fuerit diuersitas. Sciendum est vsum jeiunia soluendi, circa meridiem, & cœnulam sumendi sub noctem, ab Ecclesiâ non imperari, sed tolerari: neq; desunt inter Catholicos, qui vnicâ omninò refectione contenti, nihil penitùs cibi degustant, nisi sub vesperam, imò, & alii die jeiunii penitùs abstinent, neq; enim ignorant, jeiunium tanto esse perfectius, quanto diutiùs refectio differtur. Addendum præterea est, rerum ejusmodi determinationes, quæ non habentur

ex jure

ex jure diuino, posse per Ecclesiasticam legem, vel consuetudinem, pro locorum, & temporum diuersitate ita variari, vt quod vno loco, vel tempore non licet, hoc alio loco, & tempore liceat, vt multa huiusmodi refert S. Augustinus, Epist: 118. atq; ita licet his sæculis nostris, jeiuniorum seueritas aliquantulum relaxata videatur, non ideò tamen sunt damnandi Catholici, qui morem in Ecclesiam introductum, & à pastoribus approbatum, vel certè permissum, sequi volunt. Ita tamen, vt omnibus permittatur libertas, jeiunia perfectiùs agendi, si volunt, aut ad carnem suam domandam necessarium judicant.

Ad Secundum quod attinet, de ciborum 14.
delectu, & à carnibus abstinentiâ, hæc ad jeiunium necessaria esse, probant Exempla Scripturæ, & Patrum. Piorum enim consuetudo optima est interpres Ecclesiasticarum traditionum, & legum, quam jeiunandi formam videtur præscripsisse Daniel: c. 10. *In diebus illis*, inquit, *ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus*, &c. *& caro, & vinum non introierunt in os meum.* Deindè cùm Concilium Apostolicum Act: 15. legem tulerit, de abstinentiâ à sanguine, & suffocato, manifestè sequitur Ecclesiam posse saluâ libertate Christianâ certos cibos omnibus Christianis prohibere. & statuere,

tuere, quibus jeiuniorum tempore vesci licet, & à quibus abstinendum. Nam sicut primo illi Concilio Apostolico, Scriptura S. Spiritum testatur præfuisse, ita certum est ex promissione Christi, sæpè in Scripturis facta, toti Ecclesiæ, seu omnibus Conciliis legitimè congregatis, S. Spiritum præesse. Alias ex Scripturis autoritates SS. Apostolorum, ac eorundem primorum Discipulorum, nec non innumera SS. Patrum exempla, à carne, & aliis huiusmodi cibis abstinentiam, in testimonium adducit Bellarminus c. 50. de jeiunio: quæ ibidem videri possunt. Quibus etiam ratio suffragatur. Nam docente Augustino libro contra Faustum, c. 5. & ipsis etiam fatentibus Aduersariis; finis jeiunii est, prauas corporis concupiscentias edomare, & carnem in seruitutem redigere. Sed hoc optimè fit, per abstinentiam carnium, & similium ciborum maximè nutrientium. Ergò hujusmodi abstinentia ad jeiunium est necessaria. Ad quod frustrà duo reponunt Aduersarii: Primò, pisces optimè conditos, magis nutrire corpus, quàm carnem aridam, & exsuccam. Secundò, Vino magis irritari concupiscentiam, quàm ouis, aliisq; lacticiniis. Ergò si finis jeiunii spectatur, ab hisce duobus potiùs abstinendũ esse, quàm à certis carnibus, quod tamen non faciunt Catholici.

Sed

Sed respondeo ad primum, si carnium, & piscium collatio justa fiat, & aridi cum aridis, recentes cum recentibus, & hæ, & illi æqualiter condîti comparentur, nemo dubitat, quin pisces magis ad finem jeiunii conducant, quòd autem pisces sæpiùs lautiùs condiantur, quàm carnes, per accidens censeri debet, & vsui immoderato tribuendum. Cùm verò lex Ecclesiastica ferri non potuerit certâ constitutâ regulâ circa lautitias, ac ciborũ condimenta, siue quantitatem (cibi enim infinitis modis varian-tur, & quod vni multum est, alteri est parum, quod vni lautum, alteri est insipidũ) debet constitui regula penes abstinentiam, ab aliquo ciborum genere, quod, vt plurimum ex naturâ suâ magis nutrit, & delectat, quod magis carnibus, quàm piscibus conuenire, omnes concedunt Neq; censendi sunt jeiunii leges violare, qui piscibus lautissimis vescuntur, & ventrem suum in die semel implent, quia tales non contraueniunt legibus Ecclesiæ, quæ ad quantitatem, & condimentum neminem obligauit, sed solùm ad carnium abstinentiam. Quamuis libenter fateamur, eos perfectiùs, & legibus Ecclesiasticis conformiùs jejunare, qui ab eiusmodi lautitiis sese continent. Ideoq; multos in Ecclesiá reperire est, qui perfectionem hanc sectati, solis legumi-

guminibus jejuniorum tempore contenti viuunt.

Ad Secundum quod attinet de vino, facilis est responsio, illud videlicet permitti, quia calore suo corpus solummodò calefacit, materiam autem nullam parit, vti carnes, similesq; cibi. Fatemur tamen abstinentiam à vino, vbi valetudo corporis permittit, jejunio valdè congruentem esse, & ideò Ecclesiam Orientalẽ jejuniorum tempore non minùs à vino, quàm à carnibus abstinuisse testatur Basilius, aliiq; SS. Patres, in frigidioribus verò Regionibus, noluit à vino abstinentiam Ecclesia imperare, quia sine magno valetudinis periculo non posset à plurimis tolerari. Ecclesia enim cùm sit mater, non præcipit, quæ possent filios deijcere. sed ea tantùm, quæ valent carnis concupiscentias domare. Vndè fit, vt, si cui esus carnium, jejuniorum tempore ad valetudinem necessarius, à medicis esse judicetur, non difficulter etiam permittatur. Atq; ita his objectionibus occursum est.

CAPUT 3.

Soluuntur objectiones Aduersariorum.

Multis

MVltis supradicta conuellere conantur Aduersarij, & potissimùm Brochmannus. Nam primò adducit D. Augustinum, qui Epist: 86 ad Casalanum disertè negat, vspiam inueniri in Codice sacro jejunii tempus præcisè definitum. Quod nos etiã libenter concedimus. Nam si alicubi scriptum esset, nulla eâ de re intercederet controuersia, sed affirmamus traditionem esse ab Apostolis profectam, hoc est, Verbum DEI non quidem scriptum, sed traditum, consensu, & praxi totius Ecclesiæ vnanimiter ab Apostolis, huc usq; obseruatum, vti c. 1. probauimus. 16.

Secundò, profert autoritatem Gratiani, quem in jure Canonico, Dist: 4. c. 3. improbare jejuniũ quadragesimale affirmat. Sed planè fallitur, & contra se loquitur Brochmannus. Nam Gratianus citato loco solùm adfert verba Telesphori Papæ, superius c. 1. A. 127. à nobis allegata, quibus mandat Pontifex omnibus Clericis, vt jejunium septem septimanis ante Pascha seruent, quod omninò est contra aduersarios.

Tertiò, allegat autoritatem Spiridionis ex Sozomeno, l. 1. c. 11. qui carnes suillas hospiti proposuit tempore jejunij quadragesimalis. Sed respondeo primò, Sozomenum in pluribus fuisse mentitum, teste

D. Gregorio. Atq; ideò probabilissimū etiā esse, cum hîc à veritate aberrâsse.

1. Necessitas fuit, vt hoc faceret, cùm nihil aliud penitùs haberet, quod hospiti proponeret. Iejunium autem in necessitate non obligat. Multa deindè adducit Scripturæ loca, quibus delectum ciborum euertere conatur.

17. Primò, 1 Timoth 4. v. 1. 2. 3. 4. *In nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum; in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos DEUS creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs, qui cognouerunt veritatem, quia omnis Creatura DEI bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum DEI, & orationem.* Ex quo loco, tanquam primario, duo vrget Brochmannus, Dub: 3. de jejun: 1. Apostolum damnare omnes absolutè, qui certos cibos prohibebant, nullo nominatim excepto: ideoq; Catholicos malè explicare de Marcionistis, Encratitis, & Manichæis esse dicta. 2. Apostolum non attingere verbo, causam prohibitionis, sed ipsam tantùm prohibitionem exprimere. Ideoq; malè dici à Catholicis, Apostolum contra eos tan-

tùm

tùm agere, qui carnes prohibebant, quia immundas eas esse judicabant.

Sed locus ille nihil omninò probat, multò minùs nugaces instantiæ Brochmanni. 18.
Certum enim est totam hanc Pauli sententiam prolatam esse contra supradictos hæreticos. Marcionistas, Encratitas, Manichæos, & alios horum sequaces.

Quod patet primò ex verbis Apostoli adjunctis: *Prohibentium nubere.* Quis enim Catholicorum vnquam nuptias prohibuit? quin imò Matrimonium, pro re sancta habent. Ideoq; inter Sacramenta à Christo instituta ponunt, & plurimis datâ causà, Statum matrimonialem suadent. Cùm ergò hæc præcipua pars periodi non conueniat Catholicis, sed solùm hæreticis supra nominatis, manifestum est, totum huiꝰ Apostoli discursum, non ad Catholicos, sed ad dictos hæreticos, quo nuptias prohibebant pertinere.

2. Ratio quam addit Apostolus, cur non sint prohibendi quidam cibi, etiam Catholicos defendit. Sensus enim Pauli est, ut ex verbis constat, ideo non esse prohibendos cibos aliquos, *quia omnis creatura DEI est bona.* At quis vsquam hoc Catholicorum negat? imò id fatentur omnes ideoq; cum gratiarum actione

cibis omnib9 certis temporibus veſcuntur. Quod haud dubiè nunquam facerent, ſi cibos aliquos malos& immundos eſſe crederent. credebant autem hoc hæretici ſupradicti, qui nullo tempore carnes edere volebant, eo quod illas immundas &à Diabolo creatas eſse dicerent. Quod

19. attinet inſtantias Brochmanni, ad Primá ſic Reſpondeo. Sicut à Paulo generaliter damnantur omnes, qui certos cibos prohibent, ita etiam damnat eos, qui certos cibos generaliter pro omni tempore prohibent. quia ſicut nullum qui cibos prohibet, nominatim excipit, ita nullum tempus, quo illi cibos iſtos prohibent, nominatim ponit, ergo ſi cadat prima propoſitio, in omnem hominem prohibentem, etiam altera cadet propoſitio, in omne tempus prohibitum, ſed Catholici nō prohibent certos cibos generaliter pro omni tempore, ſed tantum pro determinatis diebus, ergo Apoſtolus non damnat Catholicos, ſed illos hæreticos qui certos illos cibos pro omni tempore prohibebant.

Ad Secundam Reſpondeo: Apoſtolū quidem non expreſſe ponere cauſam prohibitionis, ſed tamen ex probatione illius manifeſté causam colligi. Dicit enim non prohibendos eſse quosdam cibos, rationē aſſignat. *quia omnis creatura DEI bona eſt.*

Vnde

Vnde colligitur asseruisse quosdam, ideo non esse comedendos omnes cibos, eo quod aliqui cibi non essent bonæ creaturæ. Quod cùm nunquàm dixerint Catholici, sed soli Hæretici supra nominati, contra hos solos non contra Catholicos Apostolus manifestè agit.

Secundò. Opponit Brochmannus illud 20.
Matth. 15. vers. 2. *Non quod intrat in os coinquinat hominem* quod verum est eo sensu quo dixit Christus, nempe cibum corporeum non inquinare animam, quæ Spiritualis est. Sed concupiscentiam & inobedientiã per quam ille comeditur, ut patet in Adamo pomum comedente, aliàs enim asserendum esset, neq; gulâ neq; ebrietate hominẽ coinquinari, quæ non minus quam cibus & potus in os intrant. Qui sensus ex verbis Christi est clarissimus. Cum enim ibi dicat cibos, siue lotis, siue illotis manibus sumantur, cum intrant in os animam non coinquinare, manifestum est eum agere de cibis corporalibus secũdum naturam suam consideratis, quos fatemur non inquinare hominem sed hoc inobedientia, aliæq; circumstantiæ faciunt, ut ante dictum est Deniq; certum est ibi locutum fuisse Christum de cibis per legem licitis, cùm enim multi in veteri testamento cibi fuerint prohibiti has leges Christus

non oppugnat, ait ergo cibos licitos non coinquinare animam, replicat autē Brochmannus, hæc omnia fuisse per Christū abrogata: quod falsum est, quomodo enim Apostoli sanguinem & suffocatum statim vetuissent, si eam legem Christus paulo ante abrogasset?

21. Tertio Obijcit idem duo loca Primo Luc. 10. V. 7. *manducate quæ apponuntur vobis.* Verùm absolutè Secundum corticem accepta hæc sententia, penitus approbanda erit manducatio non sanguinis tantum & suffocati, quo tempore illam Apostoli inhibuerant, verum etiam veneni, quod quis nobis apponeret. Quocirca audiendi sunt potius Patres Ambrosius, Theophilactus & alij complures, qui illud Christi mandatum Discipulis datum exponunt, non de carnali quiduis quouis tempore manducandi libertate; sed de frugalitate ac temperantia, erga eos à quibus hospitio suscipiendi erant, exercenda: quasi diceret, non esse petendam lautitiam ciborum, sed appositis cibis Contentos esse debere, quos nemo, alios Christum intellexisse, nisi utiles, atq; licitos censuerit.

Quod autem ad Confirmationem suam addit Brochmannus illud 1. Cor. 10. V. 25. *Omne quod in macellum venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiā*, plus ponderis

ponderis non habet. Id vnum enim Apostolo propositum hic erat, vt fideles anxiâ inquirendi solicitudine liberaret, num caro in macello exposita Idolis fuisset immolata, an non. Nam si Paulus judicare voluisset, omni tempore ea quæ venduntur in macello manducari posse, contradixisset sibi, cùm in actis Apost. jubet obseruari concilij Apostolici decreta de abstinentia â sanguine & suffocato. Deinde quâ veritate potuisset dicere: *bonum est non manducare carnem & non bibere vinum neq; in quo frater tuus offenditur &c.* Rom. 14. V. 21. si præcepisset omni tempore manducandum, quod in macello venditur? sed fusiorem hujus rei Explicationem curiosus lector uidere poterit apud Corneliũ à Lapide in hunc locum. *Deniq; nos arguit Aduersarius ex Col. 2. V. 16 & seqq: nemo ergo nos judicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ aut sabbathorũ, quæ sunt vmbra futurorum &c.* &. V. 20. *Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis mundi hujus, quid ad huc tanquam viuentes in mundo decernitis? ne tetigeritis, ne gustaueritis, neq; contrectaueritis, quæ sunt omnia in interitum ipso vsu, secundum præcepta & doctrinas hominum &c.* 22.

Sed locus ille nihil contra nos vrget, nam ibidem de Iudaicis jejunijs & festis

agi, non de Christianis patet 1. ex verbis *Neomeniæ, & sabbathorum*, hæc enim sunt festa Iudaica non Christiana 2. ex eo quod subdit; *quæ sunt vmbra futurorum corpus autem, Christi*. q d. loquor de Veteribus festis, quæ fuerunt vmbra festorũ Christi. 3 id patet ex scopo totius epist: qui est agere contra Simonianos & Iudaizantes. 4. ita explicant omnes SS. Patres.

23. Sed contra regerunt Aduersarij: non posse valere Solutionem illam, quia dum Apostolus de festis & jejunijs istis loquitur, addit: ea omnia esse secundum *præcepta & traditiones hominum*. Sed leuiticæ illæ ceremoniæ & leges fuerunt diuina, non hominum decreta, ergo non loquitur de jejunijs, & festis legalibus.

Sed Respondeo leges illas ceremoniales à DEO quidem institutas fuisse, sed post Christum exspirasse; nec amplius vllum obligasse. Atq; ideo si postea quisquam ex propria pertinacia seruandas illas censuisset, jam non diuinę, sed meræ traditiones humanæ dici debebant Ergo dum loco citato festa & jejunia vocat *præcepta & traditiones hominum*, intelligit illos qui post obligationem veterũ legalium, adhuc eadem obseruari cupiebant. tales erant Iudaizantes, Simoniani, & Philosophi non nulli de quibus paulò ante dixeram.

erat. *Videte nequis vos seducat per philosophiam & inanem fallaciam.* Varij enim Philosophi varios cibos, tanquã immundos interdicebant Certum autẽ est siue de his siue de alijs locutus fuerit Apostolus eũ tantum loqui (teste D. Chrysostomo) de ijs, qui ciborum quorundam esum, tanquam immundorũ pro omni tempore vetabant, quos adeo quidem ex natura sua docebant immundos esse, ut ne tangi quidem, multo minus gustari, sine contaminatione possent. Ideoq; Chrysostomus & alij Doctores disertis verbis docent, *ne contigeritis; neq; contrectaueritis, neq; gustaueritis.* Significare ne tetigeritis cadauer hominis mortui, neq; sedem aut lectum mulieris menstruatæ; & ne gustaueritis, nempe Suillã leporinã aut alios in leuitica lege prohibitos cibos.

Concludo deniq;, & addo, per doctrinam & hominũ præcepta tam hic quàm alibi vt ad Titum: 1. Isa. 29. Matth. 15. Scriptorem Sacrum, non quascunq; constitutiones humanas intelligere, sed eas duntaxat, quę vel diuinis repugnant, aut illis certè non sunt conformes. Nam quæ ab hominibus infallibilem Spiritûi S. assistentiam habentibus mandantur, à DEO præcipi censentur juxta illud Luc 10. *qui vos audit me audit*, & Actor. 5. *Visum est* 24.

Spiritui S. & nobis & alibi sæpe. Præcepta verò, quæ de jejunijs, ac delectu ciborum Ecclesia constituit tam exemplis, quàm doctrinæ scripturarum, maximè conformia sunt. Cum Scripturæ passim ad jejunia hortentur, &eam in rem exempla plurima producant, Virorum Sanctitate maximorum, vt Dauidis. Danielis &c. de quibus non est dubium, quin pleni Spiritu diuino fuerint. Ergo non possunt vocari constitutiones hominum, quas circa jejunium certo tempore seruandum Ecclesia Christi Sponsa, plena ejusdem Spiritu determinauit.



DE

DE

CÆLIBATV SACERDOTVM.

DEMONSTRATIO IX.

Quâ oſtenditur Lutheranam Eccleſiam non eſſe ueram Eccleſiam quia Sacerdotes cælibem Vitam agere debere negat, quod Eccleſia vera primitiua ſemper aſſeruit, docuit, & ſeruauit.

CAPUT I.

Cælibatus Sacerdotum â primitiua Eccleſia probatur.

1. 

SAcerdotes eſſe debere cælibes Eccleſiæ primitiuæ doctrina eſt, non autem recens quoddam inuentum (ut calumniantur Aduerſarij) probant ea, quæ de illo in ſcripturarum monumentis poſteritati reliquerunt SS. Patres & Concilia in Eccleſiâ primitiua habita 1.

1. Cle

An: 80. 1. Clemens Romanus Can: Apostol: 18. *Ex iis qui cælibes facti sunt Clerici, jubemus vt solis Lectoribus, & Cantoribus liceat si voluerint uxores ducere.*

An: 218. Calixtus apud Gratianum distinct: 27. *Presbyteris, Diaconis, & subdiaconis &c. matrimonium contrahere penitus interdicimus, contracta quoq; matrimonia ab hujusmodi personis disjungi. & personas ad pœnitentiam redigi debere juxta sacrorum Canonum definitionem judicamus.*

An: 230. Origenes in Leuit: homil. 4. *Ante omnia Sacerdos qui diuinis insistit Altaribus, castitate debet accingi.*

An, 320. Concilium Nicænũ primum Canon. 3. ex Græco translato: *Omnibus modis interdixit Sancta Synodus neq; Presbytero neq; Diacono licere habere secum Mulierem extraneã nisi forte mater aut soror| aut Auia, Amita, vel Matertera sit.* Ibi: cum in hoc Concilio (quod etiam ab Aduersarijs recipitur) non includatur Vxor inter Mulieres quibus licet Presbyteris cohabitare, sequitur manifestè Vxorem excludi, atq; adeò Concilium supponit Vxorem non esse licitam Episcopis, Presbyteris &c.

An: 335. Concilium Arelatense c. 3. *Siquis Clericus à gradu Diacõatus secum Vxorem habere præsumpserit, à Communione alienus habeatur.*

Eusebius

Eusebius Cæsariensis in Cap. 3. Isaiæ. *Quis quis præsidentiâ Cathedræ dignus censetur, jamq; adscriptus est ordini Presbyteratus qui talis est Presbyter, aut circumfert Charactere͂ Presbyteri, par est eum expertem Vxoris esse.* An: 330.

Diuus Ambrosius ad cap: 3. prioris ad Timoth: fusè& copiosè probat Sacerdotes omnes debere cælibes esse. Item l. 1. officiorum c. 50. inquit: *Inoffensum exhibendū & immâculatum Ministerium, ne vllo conjugali coitu violandum cognoscitis qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio conjugali, Sacri Ministerij gratiam cognouistis &c.* An: 370.

Epiphanius hæresi 59 clare & fusè docet Sacerdotem debere castum esse, & sine Vxoris vsu. *Hoc inquit certò Sancta Ecclesia Dei cum synceritate obseruat.* Et Hæresi 79. *Nunquid inquit inhonestæ sunt Nuptiæ? nunquid impurum cubile? at â Prophetis & Pontificibus prohibentur propter majus Ministerium. Nam postquam prophetauit Moyses non amplius conjunctus est Vxori, non amplius liberos genuit. Habet enim uitam Domino vacantem. Vacare autem Domino non potest, qui Mariti officio fungitur.* An: 380.

Syricius Epistolâ ad Himenium Taraconensem Episcopum c. 7. seriò & instanter eum monet, multis rationibus adductis, An 384.

ductis, vt Sacerdotes omnes in sua Diecesi castos & sine Vxoribus esse jubeat, & si jam vxores habeant, ab illis penitus abstineant. Quod idem Epist: ad Episcopos Africæ fortissimè inculcat.

An: 390. Hieronymus aduersus Vigilantium c. 1. *Orientis Ecclesiæ, Ægypti & sedis Apostolicæ, aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes: aut si Vxores habuerint, Mariti esse desistunt.* Idem lib: 1. contra Iouinianum c. 14. & c. 19. Multis & prægnantibus Rationibus Cælibatum *Clericorum probat, & Apologia ad Pammachium* c. 3. & c. 8. *Apostoli inquit, vel virgines vel post nuptias continentes. Episcopi, Presbyteri, Diaconi aut Virgines eligũtur, aut Vidui aut certè post Sacerdotium æternum pudici.* Idem cõfirmat ad cap: 1. ad Titum.

An: 396. Concilium Carthaginense 2. cap. 2. *Episcopos Presbyteros & Diaconos ita placuit, ut condecet* Sacrosanctos *Antistites & Dei Sacerdotes, nec non & leuitas &c. continentes esse in omnibus ut quod Apostoli docuerunt & ipsa seruauit Antiquitas nos quoq; custodiamus. Ab omnibus dictum est, placet, ut in omnibus & ab omnibus pudicitia custodiatur qui Altario deseruiunt,*

Idem asserunt, jubent, & multis rationibus confirmant sequentes.

An: 400. Chrysostomus homil: 5. in Genes: & Epist: 125. ad Cyriacum. Augu-

Augustinus *de adulterinis Conjugijs l. 2. c. 10.* *An: 400.*

Concilium Toletanum *primum c. 1. & cap: 4.*

Innocentius. *1. cap. 9. & Epist: 4. clare & prolixe.* *An: 406.*

Synesius *Epist: 105. ad Fratrem qua causâ reddit recusati Sacerdotij.* *An: 410.*

IoannesCyprius*Vitæ S. Epiphanij c. 38.* *An: 422.*

Honorius & Theodosius A. *A. in L. eum qui c. de Episcopis & Clericis.* *A. 422.*

Socrates *lib: 1. c. 8 & lib: 5. cap: 12.* *An: 430.*

Sixtus Tertius *de castitate.* *An. 430.*

Isidorus Pelusiota *l. 2. Epist: 284. Palladio Episcopo.* *A: 440.*

Concilium Arausiacanum *primum c 22. & 23.* *A: 441.*

Leo primus epistola 84. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem c. 4. & epistola 92. ad Rusticũ Narbonensẽ Epis: c. 3. *A. 450.*

Concilium Andegauense *apud Baron: 4. 453.* *A: 453.*

Concilium primum Turonense. *c. 1. 2. & 6.* *A: 461.*

Deniq; Concilium *Agathense, Gerundense, Toletanum 2. Aurelianensse 2. 3. 4. 5. Auernense 1. & alia plurima.*

Addo his Iustinianum Imperatorem C. *lib. 1. Tit: 3. de Episcopis & Clericis Num: 45. Et in Nomocan: titul: 9. cap. 29. & Authent.* *An: 530.*

Col: 1.

Col: 1. Quomodo oportebat Episcopos &c. Tit. 6. c. 1. & 5. Item Nouella 133. de Episcopis & Clericis c. 14 & c. 29.

Omitto innumeros alios posteriorum Seculorum, quos omnes Authores, Sanctæ
2. Ecclesiæ Doctores, & Concilia, vel necessarium est dicere errasse, & contra scripturas docuisse, & fecisse vel certe Veritatem secutos fuisse. Primum necessariò dicere coguntur Aduersarij, dum nituntur probare ex scripturis â Sacerdotibus Vxores posse duci. Quod si uerum esset, sequeretur omnes illos citatos Patres & concilia scripturis se opposuisse, & consequenter Hæreticos & ab Ecclesia alienos extitisse. Quàm autem hoc absurdum, ipsi prudentes Aduersarij sine passione & pertinaciâ negare nunquam poterunt. Si autem dicti Patres scripturis se non opposuerint, nec hac in re contra illas aliquid docuerint: Ergo *vera* erit illorum sententia, Cælibatum in Sacerdotibus necessarium affirmans: non quidem ex præcepto diuino quale nullum adducunt citati Patres; sed ex Constitutione, & Obseruatione Apostolicâ & Ecclesiæ Decreto, quæ ob multas causas infra producendas istud statuit: A quo veræ Ecclesiæ præcepto & vnanimi totius Sanctæ Antiquitatis consensu cũ recedãt Lutherãi, necesse est eos â vera Ecclesia recedere eiq; inobediẽtes esse.

CAPUT 2.

Obligatio CÆlibatûs Clericalis explicatur & confirmatur.

Vt clarè procedamus explicanda est sententia Catholica.

AFFirmamus ergo, cum Altaris sacrũ Ministerium simpliciter & ex Naturâ rei Vsui conjugali non repugnet (quippe per se bono, & honesto) Sacerdotibus Cælibatum nullâ lege naturali vel diuina præcipi. Sed totum hoc Præceptum ab Ecclesia costitui, quæ mandat, vt omnes Sacrum ordinem suscepturi, ipsi Deo Castitatem voueant. Et quamuis Ecclesia neminem absolultè possit cogere, ad seruandam continentiam; tamen in ordine Sacro, quẽ libere confert, quibus vult, adijcere Legem & Conditionem potest, ut qui talem Ordinem suscipiunt, eo ipso Continentiam profiteantur, vt tantò firmius & constantius in officio perseuerent, si tamen accideret aliquem Sacros Ordines suscipientem siue per ignorantiam siue per malitiam non vouere; nihilomninus per Ecclesiasticam Legem ad continentiam compellitur, vtpote quæ sacro ordini Continentiam adnecti mandat; adeò vt talis ad

lis ad Matrimonium etiam inhabilis factus, nonquidem ex proprio Voto; sed immediate ex Lege Ecclesiastica ad seruandam Continentiam obligetur. Vnde patet hic duplicem Ecclesiasticam Legem intercedere. *Prima* est quâ simpliciter præcipitur, vt omnes Sacerdotes continētes sint, Altera ad hanc magis confirmandam, vt omnes suscepturi sacros ordines Votum Castitatis edant. Quam legem non nouam aut recentem esse, sed etiam primis illis Apostolorum temporibus latam & obseruatam, constat. Primò ex Constitutionib⁹ Apostolicis apud Clementem, & ex omnibus S.S. Patrum ac Doctorum Testimonijs capite superiore allegatis a. quod à Christi temporibus nullus assignari possit vel Apostolus, vel Episcopus vel Presbyter, qui in officio suo perseuerans Vxorem unquam duxerit, vel prius habitam cognouerit Ecclesia approbante.

4. De Græcis autem quos obijcere solent Aduersarij, Res sic habet: Nulli Græco vnquam licitum fuit, nec modo est post susceptum semel Sacerdotium Vxorem ducere. Si vero ante susceptum Ordinem, Vxores habuissent, postea promissâ mutuo consensu Continentiá ab Vxoribus se continere debebant. Istud posterius autem non in omnibus Orientalibus Ecclesijs

clesijs semper obseruatum fuit: Sed vbi Canones Ecclesiastici synceri permanserunt: non māserūt autem nisi in paucis locis post synodū Trullanam, adeò ut demū etiam Ecclesia Romana in eam Sacerdotum Consuetudinem consenserit, tanquam Orientalibus licitam & concessam, vt videlicet Conjugibus ante Sacerdotium ductis in ipso etiam Sacerdotio vterentur: ita tamen, vt vna mortua aliam ducere non possent, ut videre est in Capite: *Quæsitum* de Pœnitentia & Remiss: ac alijs in locis. Indultum autem illud non erat, juxta priscos Canones & antiquam Legis Consuetudinem. Neq; tunc Votum Continentiæ Sacro Ordini adnectere præcipiebantur ab Ecclesiâ: Sed tantum simplici lege jubebantur esse Cælibes, in qua tamen lege adhuc Ecclesia eorum infirmitati condescendens *Secundum quid* dispensabat, vt nempe ductis ante Ordinem Vxoribus cohabitare possent, non autem, vt diximus, nouas ordinibus jàm susceptis ducere.

Vnde constat obseruantiam Clericalis Cælibatûs antiquissimam & Apostolicam constitutionem esse, & â verâ primitiuâ Ecclesiâ, quæ fatentibus etiàm Aduersarijs casta sponsa Christi erat, Sacerdotibus mandatam, cùm autem veræ Christi

ſponſæ præceptis omnes Chriſtiani obtemperare teneantur (niſi velut Ethnici & Publicani haberi & eſſe velint) ſequitur omnes quibus hoc præceptum latum, hoc eſt Sacerdotes, ad ei obtemperandum obligatos eſſe.

Habet hoc Præceptum ſolidum in ſcripturis Fundamentum Nam 1. ex Apoſtolo 1 Timoth 5. colligitur, Viduas quæ ab Eccleſiæ ſubſtantia alebantur, non fuiſſe receptas niſi Cotinentiam Deo promiſiſsēt. Quanto magis credibile Altaris Miniſtros, uidelicet Sacerdotes ac leuitas aliter acceptos & ordinatos non fuiſſe, niſi promiſsâ prius continentiâ. ita enim oportebat pluribus de cauſis.

6. 1. Propter ingentem Reuerentiam quæ Miniſterio Corporis Dominici debetur. Nam ſi in veteri Teſtamento, cum Iudæi aliquid ſacri tractaturi erant, ab Vxoribus debebant abſtinere; comeſturi quippe Agnum Paſchalem renes accingere præcipebantur, id eſt, edomare Carnis Voluptates. Exodi 12. 11. accepturi legem audiunt â Moyſe: *Eſtote parati in Diem tertium, & ne appropinquetis Vxoribus veſtris.* Exod:29.15: Abimelech noluit dare panes propoſitionîs comedendos Dauid niſi eum intellexiſſet ab Vxore aliquamdiu abſtinuiſſe. 1. Reg: 21, verſ. 4. 5. Ergo Chriſtiani

ſtiani Sacerdotes, qui ferè cottidie res ſacras tractant & comedunt Panem Angelorum ſeu Corpus Chriſti, ab Vxoribus perpetuo abſtinere debent.

2. Quia hoc innuit Apoſtolus ad Titum 1. v. 7. *oportet inquit Epiſcopum eſſe hoſpitalem, benignum* σώφρονα (quod prudentem, ſobrium vel caſtum ſignificare poteſt) Iuſtum, Sanctum, continentem ſcilicet â Mulieribꝰ vt cũ alijs Hieronymꝰ exponit. 7.

3. Idem Apoſtolus ait. 2. Timoth: 2. v. 4. *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſecularibus.* Ergo nec Sacerdos conjugio: quid enim magis Seculare? quaſi dicat: ſicut Romanis militibus illicitum erat Vxores ducere, ne ab earum ſollicitudine in bellis impedirentur, ita â fortiori ab iiſdem abſtinere Chriſti milites debebunt, qui maximè ſunt Sacerdotes, ne in officiis ſuis Vxorum ac liberorum ſollicitudine turbentur. 8.

4. Iubet Paulus conjugatos ex conſenſu abſtinere, vt orationi inſtare poſſint. 7. Corinth: 7. v. 5. Ergo Sacerdotes qui quotidie Orationi inſiſtere debent & jubentur, etiam perpetuo ab Vxoribus abſtinere debent. 9.

5. Deniq; ratio Cælibatum ſuadet 1. quia Reditus Eccleſiaſtici, quos fideles ad officium diuinum offerunt, paſſim ad cauſas profanas applicarentur. Epiſcopatus, 10.

Parochiæ & similia quasi jure hæreditario deuoluerentur, ad hæredes Filios Sacerdotum. Quâ Ratione prouentus Ecclesiastici diminuerentur & officium Diuinũ paulatim interiret, quia non sufficeret ad alendos successores. a. Oportet Episcopos, & omnes Sacerdotes liberales, benignos, & hospitales esse, Misericordiam in pauperes exercendo. At quo modo id fieri poterit, si Liberis & Vxori suæ prouidere debeant? oportet enim Parentes filijs Thesaurizare vt ait Apostolus 1. Corinth: 12.

Ex quibus omnibus jam dictis sic argumentor. Cum Cælibatus inueniatur ab Apostolis post Vocationem obseruatus, ab ijsdem etiam Sacerdotibus alijs commendatus cùm exigat rerum tractandarum Reuerentia, & communis Ecclesiæ Necessitas &c. Ergo merito à totâ Primitiuà Ecclesià fuit obseruatus, & â Pontificibus, & â Concilijs lege Ecclesiastica præceptus. Nunc ab Obiectiones veniamus quibus Cælibatum Aduersarij euertere conantur.

CAPUT 3.

Aduersariorum Obiectiones contra Cælibatum refutantur.

Fusissimi

FVsissimi sunt Adversarij in hac Catholicâ Doctrina refellenda, quod meritò mirũ videri cuiq; debeat, cum ipsi non petantur, dum enim Catholici negant â Sacerdotibus vxores posse duci, non comprehendunt eorum Prædicantes quos affirmamus Vxorum & Liberorum esse capacissimos, ac licitè nuptias posse celebrare. Quis enim hoc ipsis prohibeat, cum veri Sacerdotes non sint? nec vnquam diuina tractent? 11.

Obijciunt ergo cum Brochmanno. 1. *Honorabile Connubium in omnibus & Thorus immaculatus.* Hebræor: 13. v. 4. 5. in omnibus Ergo etiam in Sacerdotibus.

℞. 1. *In omnibus* idem esse, quod omni ex parte honorabile, siue Rationem Sacramenti, siue bonum Fidei, siue Prolem spectes. ℞. 2. vel in omnib⁹ significat omnes simpliciter, vel omnes legitime conjũctos. Si primũ, tunc etiam Connubium erit *honorabile* inter cujusuis gradûs consanguineos, quod â nemine admittetur. Si secundum: tunc Connubium non erit *honorabile* inter Sacerdotes, eò quod non legitime conjungantur, ut pote contra Ecclesiæ Præceptum, & Voto Continentiæ adstricti: Intelligit ergo Apostolus Connubium honorabile esse in omnibus illis qui legitimè copulantur, quales non sunt Sacerdotes. 12.

13. 2. Obijciunt: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius Vxoris virum:* 1. Timoth: 3. v. 4. & Tit: 1. v. 6.

Ex quo multipliciter argumentantur 1. quasi dixerit Paulus Episcopum non oportere Scortatorem esse; sed honestè cum vna Vxore contentum viuere. Ita Lutherus, Brochmanus, & passim Lutherani. 2. Quasi dicat: Episcopus simul non habeat multas Vxores, vt Iudæi permissu Dei habuerunt, sed vnam tantum, ita tamen vt illa mortuâ aliam & aliam & multas habere possit successiuè. Ita Magdeburgenses cum Caluino. Verum Respondeo: Secundum, nullo modo dici potest; quia certum est, Polygamiam ante Christi tempora tam apud Gentiles, quàm Iudæos fuisse abrogatam, adeò vt Polygami jam tunc plane fuerint infames, ut constat ex multis Legibus. Ergo frustra Paulus monuisset, non debere esse Polygamos Episcopos, cũ absolutè nullos, ne quidem Laicus Polygamus esse posset. Itaq; cum Paulus exigit, vt Episcopus sit vnius Vxoris uir, proculdubio sermo illi est de vna Vxore, qualiter Laici successiuè solent ducere. Quo pacto Respondeo ad primum: Cum Apostolus loquatur, de vnica Vxore, quæ successiue duci solit, certum est eum intelligere Episcopum vel in præsenti tantum

tum habere debere vnam Vxorem, vel tantum vnicam habere debuisse, Vtrumuis dicatur, neutrum est contra nos. Quo ad primum enim fatemur, etiam Antiquissimis Apostolicis temporibus Viros conjugatos sæpius in Episcopos assumptos fuisse, idq; propter cælibum raritatem: Sed tales tunc ab Vxoribus debebant mutuo consensu abstinere, & erant in ipso conjugio continentes. Iuxta illud Pauli ad Tit. 7. *oportet Episcopum esse hospitalem, continentem.* Cum autem illa raritas & consequenter necessitas jam cesset, nō amplius etiam tales assumuntur quamuis assumi possent, si Coniuges Continentiam consensu mutuo vouerent. Verum de talibus Apostolum non loqui certum est. Vt quid enim diceret Episcopum oportere esse Virum vnius Vxoris, si nunquam ea vti posset? Loquitur ergo de secūdo Episcopum videlicet nullum posse eligi, qui plures olim quàm vnicam Vxorem habuisset, hoc est, Monogamum, adhuc capacem Episcopatus esse; non Polygamū. qui sensus probatur, 1. quia sic omnes Ecclesiæ primitiuæ, Patres, hunc locum D. Pauli explcant. 2. quia Ecclesia hoc Diui Pauli dicto mota, nunquam Polygamum ordinauit Episcopum sine particulari dispensatione, nec vllum Exemplum allegare possunt Aduersarij.

ſarij. 5. quia eâdem formulâ loquendi Paulus vtitur. 1. Timoth: 5. ℣. 9. *Vidua eligatur non minus Sexaginta annorum quæ fuerit vnius Vxor &c.* Ergo ſicut in hoc loco, excludit ab oficio Diuino Viduam, quæ fuerit plurium Maritorum Vxor: ſic etiam in noſtro Loco de quo modo controuertimus, excludit ab Epiſcopatu virum, qui fuerit plurium Vxorum Vir.

Certus igitur hic ſenſus eſt, & â totâ primitiua Eccleſia ſcriptis & Exemplis vnanimiter receptus, nec vnum Eccleſiæ Doctorem aſſignare poſſunt Aduerſarij qui hunc locum intellexerit de præſenti Conjugio Epiſcoporum.

Obſeruandū autem eſt quando aſſerit Aoſtolus Epiſcopū oportere vnius Vxoris Virū eſſe, non eum, hanc Epiſcopi dotem poſitiuam; ſed negatiuam tantū intelligere; nō quod præcipiat, vel laudet, vt Epiſcopus vnam Vxorem habeat, ſed ſi habuerit, vnā tantum habuerit quod. ſi nullā habeat, habueritue non ineptum ſed aptiorē Epiſcopatui cenſendū, vult Apoſtolus. Vult enim Epiſcopū eligi; quam poſſit fieri, caſtiſſimū. Nam alioquin ipſe Paulus contra hanc peccaſſet vtpote qui Timotheum, & Titum creauit Epiſcopos, qui teſte S. Ignatio ad Philadelphios perpetuam coluerūt Virginitatem.

nitatem. Vnde patet non fuisse præceptum habere vnam Vxorem, sed fuisse vetitum habere vel habuisse etiam successiuè plures quam vnnam Vxorem.

3. Obijcit Brochmannus: *Nunquid non habemus potestatem Mulierem, Sororem circumducendi sicut & cæteri Apostoli & fratres Domini & Cephas?* 1. Corinth: 9 v. 5. Ergo Paulus & cæteri Apostoli fuerunt conjugati. Græcè legitur enim ἀδελφὴν γυναῖκα quod vertunt *Sororem Vxorem.* ℞. illud Græcũ dupliciter legi posse. Nam γυναῖκα tam mulierem quamcunq; significat, quàm Vxorem, vt ipsi etiam fatentur Aduersarij. Nunc autem quomodocunq; legendum censent; nihil probant, jmò contra illos est. Nam si legamus *Sororem Mulierem* clarum est significare Mulieres fideles quarum liberalitate vel Ministerio juuabantur in itineribus Apostoli, juxta morem Iudæorum, vt etiam speciatim de Christo legimus Luc: 8. & ita S. S. Patres communiter interpretantur. si autem dicant legendum esse *Sororem Vxorem* tunc nihil euincunt aliud, quam quod Apostoli Vxores habuerint easq; circumduxerint; ita tamen, vt eas tanquam sorores habuerint, & continentes vixerint, quod non est contra nos. Non tamen hoc modo legendum esse probat Matth: c. 19. v. 27 Vbi asseritur Patrem 14.

& Ma-

& Matrem, Fratrem, Vxorem & cætera omnia ab Apoſtolis relicta eſſe, jmò de nullo Apoſtolo (ſolo Petro excepto) ante Conuerſionem probari poteſt, quod habuerit Vxorem. vt expreſsè Tertulianus lib: de Monogamiâ ante medium vbi ait; *Petrum ſolum inuenio Maritum*. De Paulo certè videtur eſſe clarum Cor: 7. ℣. 7. *Volo* inquit *omnes eſſe ſicut me ipſum* id eſt: vellem ſeu optarē ſi commode fieri poſſet, Vos omnes eſſe Cælibes & continentes ſicut ego ſum, vt interpretantur omnes S. S. Patres.

15. Verum primam Explicationē noſtram conatur euertere Brochmannus ex ſcopo quem in his habuit Apoſtolus. Nam, inquit cauſam ob quam non circumferat Apoſtolus reliquorum Apoſtolorum Exemplo Sororem Vxorem, Paulus allegat eam, ne videlicet grauet Eccleſiam. Iam verò ſi Mulieres quæ memorātur fuiſſe in comitatu Apoſtolorum tales fuiſsēt, quales comitabantur Chriſtum, ſcilicet neceſſaria ſuppeditantes Luc: 8. c. 12. Hac ratione non grauata ſed ſubleuata Eccleſia fuiſſet.

Sed Reſpondeo falſum eſſe eum fuiſſe Scopum Pauli, quem allegat Brochmann⁹. Toto enim capite inculcat, & docet ſuo Exemplo, quam ſint vitanda Scandala, narratq; ſe ſtipendium & Alimenta Prædicatoribus debita accipere noluiſſe, idq;

majoris

majoris tum meriti tum ædificationis causa. Quasi dicat. Nunquid ego possum circumducere Mulieres Sorores, quæ me alant, sicut faciunt cæteri Apostoli? possum profectò, sed nolo, ne alios scandalizarem. nec inde tamen sequitur quod cæteri Apostoli alios scandalizauerint, circumducendo fœminas, quia ipsi hoc faciebant apud Iudæos, vbi moris erat, & ideo nemo scandalizabatur, vt patet in Christo Lucæ. 8. At Paulus qui apud Gentiles prædicabat scandalum dedisset, si apud eos hoc fecisset. Et hunc genuinum esse sensum, euidenter ex ipso Textu patet.

4. Obijcit. *propter Formicationem autem vnusquisq; suam Vxorem habeat & vnaquæq; suum Virum.* 1. Corin: 7. ℣. 2. Si *vnusquisq;*, ergo & Sacerdos. 16.

℞. Per vnumquemq; intelligi liberum nec voto, morbo, senio, alioue impedimento adstrictum. Leges enim & documenta accpienda sunt pro subiectâ materiâ, & tantum dantur capacibus non impeditis. Sacerdotes verò cum impediti sint, & Voto alio adstricti, non sunt capaces illius documenti: Eis autem qui habiles & soluti sunt, Apostolus non præcipit, sed consulit & permittit, vt si timeant fornicationem, Vxorem ducant, & ductâ vtantur potius, quam in periculum fornicationis

nis incidant. Alioquin enim secum pugnaret, qui toto hoc Capite Castitatem suadet.

17. 5. Obijcit. prohibitionem Connubii esse Doctrinam Dæmoniorum 1. Timoth. 4. v. 1. 2. 3. Cum autem Catholici Connubia prohibeant & damnent, Doctrinam Dæmoniacam habent.

℞ Falsum esse, à Catholicis Connubia damnari quinimo ab illis honorantur, ineuntur; & Matrimonium inter Sacramenta ponitur. Apparet autem fraudulentum Aduersariorum Sophisma, qui argumentantur à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Hoc modo. Pontifices Clericis prohibent Nuptias, ergo prohibent Nuptias, quod carpit hic Apostolus. Perinde enim est, ac si dicam. Senatus vetat ne Sartores in Ciuitate exerceant Artem murariam: Ergo Senatus vetat Artem murariam. Quæ argumentatio quam sit absurda, quis non videt? eodem modo si Imperator nolit ad Militiam admitti Clericos, Doctores, Medicos, Theologos &c. Num ideo prohibet Clericatum, Medicinam, Theologiam &c? Ergo, à simili, licet Ecclesia certis personis non permittat Matrimonium non ideo tamen Matrimonium prohibere dicenda est Loquitur autem hic Apostolus contra Saturninum, Ebionem, Marcionem,

Marcionem, Seuerianum & alios eorum temporum hæreticos, qui nubere & generare à Sathanâ dicebant esse. ideoq; absolutè & simpliciter omne Matrimonium damnabant. Catholici econtra, omni homini liberum esse censent, vt rem bonam, Sanctam, & ad Bonum vniuersi necessariam. Quod autem aliquibus V.G. Clericis non permittatur Matrimonium inire, non fit aut ratione personarum, aut ratione Matrimonij istis prohibiti: Sed ratione statûs cui hoc est annexum, vt quicunq; voluntariè se illi applicare volunt, à Matrimonio abstineant. Atq; ita Connubium nulli est prohibitum, sed tantum, si libere status talis est assumptus, qui cum connubio non consistit, jubetur id seruari, quod tali statui annexum est.

6. Obijciunt alij: *Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adjutorium simile sibi.* Gen: 2. v. 19. Quod dictum si 18.
non spectet etiam ad Sacerdotes, Sequitur eos non esse homines. Respondeo. Si vera hæc sequela esset, etiam eodem modo deduci posset inde, illa 144000. quæ teste Ioan: Apo: c. 14. v. 4. sequebantur Agnũ, Virgines enim erant, non fuisse homines. Item Paulum dum. 1. Corinth. 7. v. dixit. *Bonum est homini Mulierem non tangere* non fuisse de homine locutum. Imò omnes qui in

qui in Cælibatu de facto viuunt, homines non esse. Illud igitur pronunciatum Dei, eò tantum tendit, vt per hoc significaretur ad multiplicationem generis humani, tunc temporis Viro fuisse necessariam consortem: quæ necessitas cum non vrgeat, hoc tempore quo Apostolus affirmat: *Bonum esse homini Mulierem non tangere*, etiam contra Cælibatum dictum domini illud non vrget, sicut nec aliud quod adducere solent Aduersarij: *Crescite & Multiplicamini* Gen: 9. vers: 1. Quibus verbis nihil homini DEVS præcipit: Sed tantum illi benedicit, & licet hæc verba fateremur esse præceptum: tamen mandatum hoc tantū dirigeretur ad humanum genus in communi, non autē ad singulos in particulari. Nam cum Aduersarij fateantur, etiam suos Prædicantes Cælibem vitam posse ducere eosq; laudent, si qui hoc faciant, ipsi quoq; asserere coguntur nullum in his verbis intercedere præceptum, sed tantum Benedictionem.

Hæc sunt præcipua quæ contra Catholicam Doctrinam de Cælibatu Clericali protendunt Aduersarij, quibus omnibus facilè discussis manet inuicta Ecclesiæ Romanæ Doctrina, & Castitas Triumphat.

DE

DE
CONTINENTIA ET CASTITATE.
DEMONSTRATIO X.

Quâ ostenditur Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia docet Statum conjugalem præstantiorem esse castitate, quâm tota Primitiua Ecclesia conjugio præstantiorem esse semper credidit & docuit.

CAPUT I.

Ecclesia Primitiua Continentiam Conjugio præstantiorem affirmat.

NOn est hic nostri instituti in Continentiæ laudes excurrere, aut probare eam in Ecclesia Primitiua laudatam & tanquam magnum bonum

L. magno in pretio habitam fuisse: nemo enim aduersariorum id negat, & omnium Sanctorum libri atque volumina nec non exempla & ipsæ Sacræ litteræ id disertissimè asserunt, probabimus ergo Continentiam Simpliciter longè præstantiorem & præmio digniorem esse conjugio, quod cum passim Aduersarij negent in carnem & libidinem proni, audiant Ecclesiæ veræ Primitiuæ ea de re sensum & certissimam doctrinam.

A: 170 Theophilus Antiochenus lib 2. Alleg: in Marc: *Hi sunt qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum DEI & faciunt fructum tricesimum quod ad Conjuges pertinet: aliud Sexagesimum quod ad viduas respiciens dicit; aliud centesimum Virginibus fructus iste conuenit.*

An: 200. Clemens Alexandrinus lib: 4. Strom: *mysticè nos docet Apostolus, eam quæ vera gratiæ est electionem, non quod alia tanquam mala reprobet, sed quod bonis censeat esse meliora, significauit dicens: qui matrimonio jungit Virginem suam benè facit, & qui non jungit melius facit.*

An: 200. Tertullianus lib 1. contra Marcion: c. 29. *Sanctitatem sine damnatione nuptiarum nouimus & sectamur & præferimus, non vt malo bonum; sed vt bono melius, non enim projicimus, sed deponimus nuptias,* Item lib: 5. *Continentiam*

tinentiam & Virginitatem nuptijs antepono & alibi sæpe.

Ammonius Alexandrinus in Harmon: 4. Euang: c 9. *difficultate attentâ quæ incidit in re vxoriâ, cælibatum prætulit: Eunuchos esse nonnullos testatus, qui se castrarent regni cælestis gratiâ.* An: 230.

Cyprianus de disciplina & habitu Virg: *Multi Spadonum more viuentes castrantur ad regnum, nec hoc jubet Dominus sed hortatur. verum cum habitationes multas apud Patrem suum dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat; habitacula ista meliora vos petitis Virgines.* An: 250

Et Sermone de Natiuitate Christi. *Etsi bona sunt & â Deo instituta conjugia, melior tamen est continentia & Virginitas excellentior, quam non cogit necessitas, aut mandatum; sed perfectionis suadet consilium.*

Zeno Veronensis Serm: de Contin: *Nuptias non condemno, sed nuptijs meliora præpono, & quidem etiam Apostolo sic hortante:* dico autem innuptis & viduis bonum est illis, si sic permanserint sicut ego. *Jam te hic Christiane cognosce, elige quod velis: remedium, an sanitatem.* An: 260

Eusebius Cæsareensis lib. 4. Vitæ Constant: ca. 26. *Alij sine liberis viuunt; non quod sobolis propagationem successionemq; abhorreant, sed quod acerrimum perfectionis* An. 320.

amorem muliebri connubio anteponant.

An: 370. Basilius Magnus lib. de vera Virginit: *Conjugium naturale est, vbi etiam lex conuenientia natura disponit. Virginitas vero supergressa naturam, legis vinculis non tenetur adstricta, qua incorruptionis excellentem virtutem Creatori & Auctori legis jure pretiosi muneris offert &c* vbi præmium Castitatis describit.

An: 370. Ambrosius Epist: 81. *Neq; verò nos negamus Sanctificatum à Christo esse Connubium, diuina voce dicente: erunt ambo in carne vná, & in vno Spiritu, sed prius est quod nati sumus, quam quod effecti; multòque præstantius diuini operis mysterium, quam humanæ fragilitatis remedium.* Et paulò post, *bonum Conjugium per quod est inuenta humana successionis posteritas. Sed melior Virginitas, per quam regni Cælestis hæreditas acquisita, & cælestium meritorum reperta successio.*

An: 380. Gregorius Nanzianzenus carmine de Pudicitia.

Bonum ligari nuptijs castè modò
Deoq; plus des quam thoro connubij.
At præstat esse liberum vinclis tamen.
Deoq; totum, rebus & superis dare.

Item Orat: 31. *bonum est matrimonium, sed quod virginitate præstantius sit, dicere non possum: neq; enim magnū aliquid esset Virginitas nisi*

nisi re aliqua bona melior & præstantior esset.

Cyrillus *Hierosolymit: Catechesi* 4. *Conjugium argento, Virginitatem auro comparat* & Catechesi 15. *Inscriptum est inquit, omne conjugium rectè custoditum: inscripta est Continentia propter Deum instituta, præcipuam enim coronam in scripturis habet Virginitas, cujus gratia lucebis sicut Angelus* An: 380.

Syricius Epist: ad Mediolan: Eccl: Extat apud Ambros: Epist: 80 *Nos sane nuptias aspernanter non accipimus, quibus velamine intersumus, Sed Virginum nuptias DEO deuotas majore honorificentia veneramur.* An: 385.

Hieronymus ad Eustoch: de custodia Virginit. c. 8. *dicat aliquis, vt audes nuptijs detrahere, quæ à DEO benedicta sunt? non est detrahere nuptijs, cum illis Virginitas antefertur, nemo malum bono comparat: glorientur & nuptæ cum à Virginibus sint secundæ,* & alibi fusè. An: 390.

Gaudentius de Lectione Euang tract. 1. *Benedixit ergo quod constituerat à primordio legitimum Christus conjugium, dum pergere ad nuptias non renuit inuitatus: & tamen Virginitatem docuit esse meliorem, dum magis per eam nasci dignatur.* An: 390

Ioannes Chrysostomus lib de Virginit: cap. 10. *mihi ipse persuadeo Virginitatem conjugio multo præstantiorem esse, neque tamen propterea conjugium in malis pono* & cap. 11. An: 400.

Virginitas est bonum, id ego quoque fateor, atqui nuptijs etiam melior, & istud tibi assentior; ac si libet illud adjungam, tanto nuptijs eam præstare, quanto cælum terræ, quanto hominibus Angeli antecellunt, ac si quid præterea audendum, est etiam magis &c.

An: 400. Augustinus de Sancta Virginit. cap. 21. *Nos Secundum scripturarum Sanctarum fidem, sanamque doctrinam, nec peccatum esse dicimus nuptias, & earum tamen bonum, non solum infra Virginalem, sed etiam infra vidualem continentiam constituimus.* &c.

2\. Quid enumerem innumeros alios quorum hac de re testimonijs volumina omnia plena sunt? patet ergo Ecclesiam Apostolicam Primitiuam quæ 400. primis à Christo annis floruit, semper credidisse Virginitatem, & Continentiam, in se longè præstantiorem & præmio digniorem esse quam sit conjugium; cui cum ex opposito diuersum sentiant, ac doceant Aduersarij Lutherani; euidenter sequitur, eos à vera Primitiua Apostolicâ Ecclesiâ recedere: & consequenter in verâ Ecclesiâ non esse. Catholicos verò primis hac in re Ecclesiæ Apostolicæ vestigijs inhærentes etiamnum certam indubitatam & omnino veram Apostolicam Ecclesiam habere.

CAPVT 2.

CAPUT 2.

Confirmatur Sententia Catholica statum Castitatis Conjugali præponens.

Duobus modis hanc veritatem stabiliemus 1. Sacrarum litterarum testimonijs & argumentis ex illis deductis. 2. Rationum Efficacitate & robore.

§. 1.

PRobatur Auctoritate scripturæ. Ad primum quod attinet testem adducimus Christum qui Math: 19. ℣. 10. 11. 12. dicentibus Apostolis:(ob multa tam difficilia, quam periculosa quæ de matrimonio audierant) *si ita est causa hominis cum vxore non expedit nubere.* respondit. *non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est* &c. *qui potest capere capiat.* quibus verbis aperte significat, sine vxore viuere, seu Virginem manere, longe præstantius & illustriꝰ aliquid esse, quam matrimonio jungi. quasi dicat, ita est, O discipuli, vt dicitis, non expedit nubere: sed quia hoc admodum difficile est, ideoq; neq; omnes 3.

intelligunt, & donum hoc Dei est, qui potest intelligere intelligat ita esse, & consequenter hoc faciat, & à matrimonio abstineat, quem sensum vt genuinum & litteræ planè conformem, nemo non passionatus reijcere potest. præfert ergo Christus Castitatem Conjugio.

4. 2. Illustre autem est testimonium Pauli 1. Corint: 7. quo nihil potest clarius dici. Ac imprimis cum quæsiuissent Corinthij an illæ Virgines, quæ conuertuntur ad Christum manere debeant Virgines? respondet Apostolus ℣. 25. Virginitatem nemini præcipi; sed omnibus consuli quasi matrmonio meliorem, idq; ob Sex causas.

1. Est ℣. 26. ob necessitatem instantem seu præsentis temporis, quod breue nobis datum est ad lucra non temporalia sed æterna comparanda: hisce autem comparandis tota insistit Virgo.

2. ℣. 27. quia conjugatus conjugio quasi vinculo aligatus est vxori; cælebs autem solutus est & liber: hinc dicit *si solutus es ab vxore noli quærere vxorem*, quod non diceret, si matrimonium virginitate præstantius esset, ad deterius enim hortaretur.

3. ℣. 32. Quia Virgo tantum cogitat quomodo placeat Deo, conjugatus diuisum

sum habet cor, & curam in vxorem & Deum.

4. ℣. 28. quia cælebs caret tribulatione carnis, quæ est in conjugio.

5. ℣. 34. quia Virgo Sancta est, & corpore, & Spiritu, conjugatus sæpe nec corpore nec Spiritu.

6. ℣. 35. quia Cælibatus facultatem præbet Virgini sine impedimento Dominum obsecrandi, cum conjugatus mille habeat impedimenta deuotionis, & pietatis.

Denique Paulus ejusdem capitis ℣. 38. vt quæstionem omnem decideret vtitur his verbis: *igitur & qui matrimonio jungit Virginem suam, bene facit, qui non jungit, melius facit.* & quomodo dicere posset euidentius, si exprimere vellet quod asserimus?

Versus autem 39. dum viduis marito defuncto libertatem pronunciat nubendi, aut certè in viduitate continuandi. statim ℣. 40. subjungit *beatior erit si sic permanserit*, hoc est sine viro, *Secundum meum consilium*; &c. ergo beatior siue præstantior conjugio cælibatus est, vt quid enim beatiorem prædicaret Viduam, in viduitate permanentem, nisi existimasset viduitatis statum præstantiorem esse conjugali? nisi fortè dicere præsumant Aduersarij, Apostolum suadendo id quod deterius est malum consilium dedisse Ex quibus patet A-

 postolum

postolum loqui de Virginitate & continentiâ, vt de re modis omnibus conjugio præferenda non solum ad vitanda huius vitæ incommoda, verùm etiam, vt vitæ statu magis Deo grato, & accepto.

6. Tandem Castitatis eminentia demonstratur ex præmio quod eidem sacræ literæ designant 1. Sap: ℣. 13. *Felix sterilis & incoinquinata, quæ nesciuit torum in delicto; habebit fructum in respectione animarum Sanctarum* & paulò post de Spadone, *dabitur ei fidei donum electum; bonorum enim laborum gloriosus est fructus.*

Sap. 4. ℣. 1. *O quàm pulchra est casta generatio, cum claritate! immortalis est enim gloria illius, quoniam & apud DEum nota est, & apud homines.*

Eccle: 26. ℣. 20 *omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ* Gal. 5. ℣. 22. *fructus autem Spiritus est continentia, castitas.* Apoc: 4. ℣. 34. *nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia: hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt.* In his & alijs pluribus Scripturæ locis licet nulla fiat castitatis cum conjugio comparatio, sufficit tamen ad probationem nostram castitati eas tribui laudes, & ea præmia decerni à Diuino spiritu, quæ nullibi conjugio vel attributa, vel decreta leguntur.

Hæc

Hæc igitur & similia plurima castitatis supra conjugium eminentiam satis stabiliunt.

§. 2.

7. Probatur eadem doctrina ratione ad hominem. Brochmannus testimonijs istis conuictus fateri cogitur *Cælibatum conjugio præferendum in his, qui dono continentiæ diuinitus præditi sunt, non autem in omnibus promiscue, qui vruntur.* ex quo concesso tale argumentum deduco: Cælibatus in illis qui castitatis donum habent est præstantior matrimonio, vt concedit Aduersarius. Ergo absolutè & in se Cælibatus matrimonio est præstantior. probatur consequentia, quia in nullo potest esse Castitas, nisi qui donum ejus habet (in ijs enim, juxta ipsum, qui vruntur amplius castitas non est) atqui in eo qui donum ejus habet, Castitas matrimonio præstantior est. Ergo Castitas in omnibus absolutè præstantior est matrimonio; & consequenter semper est præstantior vbicunq; est, cum nullibi esse possit, nisi vbi donum ejus est. Et confirmatur. quia matrimonium tam bene Donum Dei est, atq; Castitas, vt clarè significat Apostolus 1. Corinth: 7. ℣. 7. *vnusquisq; proprium donum habet à Deo alius quidem sic, alius autem sic.* vbi consolatur Conju-

gatos quod donum, ac statum conjugalem sint amplexi, cum antea potuerint amplecti Virginalem & ℣. 17. allocutus Corinthios fideles dubitantes an qui infidelem conjugem haberent jam Christiani facti eam abdicare possint, negans ait, *Vnicuique sicut diuisit Dominus, vnumquenque sicut vocauit Deus, ita ambulet*, vbi matrimoniũ quod etiam cum infidelibus inierant nominat Diuisionẽ gratiæ & vocationem DEI; quod idem est ac gratia, & donum DEI. Cum ergo matrimoniũ sit donum DEI, & etiam Castitas sit donũ DEI, & Aduersarij concedant in ijs qui donũ Castitatis habent Conjugio præstare Cælibatũ, manifestè sequitur Castitatis Donũ absolutè præstantius, esse dono conjugali. Si dicas Castitatẽ esse
8. majus donũ statu conjugali, non quia in se & absolutè sit præstantius, sed quia rarius & difficilius. Respondeo hoc frustra dici, quia non ideo præstantius est, Castitatis donum quia difficilius & rarius est, sed contra, ideo difficilius est rarius est, quia in se & absolutè est præstantius, major enim & difficilior requiritur conatus, ad donum aliquod præstantius acquirendum, quam ad aliud quod minus præstans est; hinc fit vt donũ matrimonij plures facilius acquirant, quam castitatis. Denique vna ratio sit instar omnium, quod tota Ecclesia Primitiua quæ

doctri-

doctrinam hanc immediatè ab Apostolis hausit, constanter senserit semper & docuerit Castitatem conjugio præferendam esse, quâ in re cum errare non potuerit, necesse est errare illos, qui contrarium defendunt. Verum ad hæc clarius intelligenda, magni refert illam inter nos & Aduersarios sæpe disceptatam quæstionem in medium producere; an cuiuis seriò volenti & conanti, donum Castitatis concedatur? pro quo §. m sequentem his addamus.

§. 3.

Qvivis serio volens & conans Castitatem seruare potest. Negant hanc assertionem Aduersarij pertinaciter, nos scripturis & ratione nixi constanter affirmamus: Castitatem à quolibet volente, conante, & seriò petente liberè seruari posse. 9.

Ad quod obseruandum primo est: quædam à DEO sine hominis cooperatione dona dari: qualia sunt, sanitas, robur, Prophetia, pulchritudo &c. & hæc in potestate nostra non sunt, alia verò cum hominis cooperatione à DEO conceduntur, & consistunt in auxilio diuino sine quo non possemus facere id quod cum auxilio ejus facimus. Talia sunt; perseuerare, patientem esse, vincere tentationes. & ejusmodi, quæ verissima DEI dona sunt; nisi enim Deus

nos gratiâ sua præueniret excitando; adiuuaret, dirigendo cooperando, &c. nihil boni faceremus quibus tamen non obstantibus, illa ipsa opera, ab humanâ electione pendent, & in nostra potestate sunt; licet enim DEVS juuet, non tamen cogit aut necessitat, sed quisq; potest eligere gratiam oblatam si vult: ad quod genus donorum Continentiam spectare dicimus.

10. Alterum quoq; obseruandum est, circa pœnitentiam, perseuerantiam, fidem aliosq; bonos actus duplex Dei auxilium, seu gratiam â Theologis distingui. vna sufficiens vocatur, quæ omnib⁹ pro tēpore & loco datur. & illa fit tantum vt possimus operari. Altera est efficax, quá re ipsâ operamur. hæc posterior, est donū DEI singulare; quæ non datur omnibus solus enim ille fidei, v. g. donum habet qui re ipsa credit. sic quoq; solus ille donum habet Castitatis, qui re ipsa Castus est, & tales quidem respectu aliorum raros esse notum est, tantum abest vt sint omnes, de his ergo dictum est â Christo; *non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.*

Nihilominus tamen simul verum est, *omnes qui volunt: posse continere*, quia *sufficiens auxilium* ad continendum aut ad gratiam impetrandam nulli denegatur; sicut etiam de fide scriptum est; *non omnium est fides.*

fides. 2. Theso. 3. & tamen omnes credere possunt si volunt, cum prædicatur Euangelium; alioquin non peccarent, qui non crederent. De horum auxiliorum differentijs plura dicere non est hujus loci.

II. His jam obseruatis probandū est Castitatem donum Dei esse, & tamen in arbitrio nostro positam. Quod sit donum Dei jam supra demonstrauimus, nec vllus id Aduersariorum negat. Quod autem sit in potestate nostrâ præueniente & comitante gratiâ, vt diximus, probatur 1. quia Scripturæ ad continentiam hortantur Math. 19. *Sunt Eunuchi qui se castraverunt propter regnum cælorum*, Si autem hoc donum, ita Dei esset, vt non ab electione hominis penderet, dicendum esset: sunt Eunuchi â Deo facti, non verò qui se ipsos castrauerunt, Deinde verba illa Sacra, *qui potest capere capiat*, ad Continentiam hortationem habent, vti & illa Pauli 1. ad Cor. 7. *de Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, At vero quis sapiens hortaretur vnquam ad id, quod non est in potestate nostrâ? aut quis vnquam homines hortatus est, vt Prophetæ fierent, ex debilibus robusti, ex turpibus formosi? nec dicas hortationes istas dirigi ad illos qui hujusmodi donum habent, quia illud falsum est. Nam si juxta Aduersarios qui non habent, donum

donum castitatis nequeunt continere, qui habent non possūt non continere, ad quos hæc hortatio spectabit?

2. Ait Paulus 1. Cor: 7. ℣. 36 *quod vult faciat, non peccat si nubat*, quibus verbis ad conjugium aut cælibatum liberam dat eligendi potestatem, quam frustra daret si in hominis arbitrio non esset posita eligendi
12. libera potestas.

3. Laudantur & præmiantur Cælibes in Scriptura ut §. 1. demonstrauimus; at pro operibus extra nostram potestatem positis, non meremur præmium; neq; enim simpliciter ob prophetiam præmiamur.

4. Hæc doctrina à simili declaratur: non minus, jmò majus donum Dei est Fides quam sit Continentia: de Fide enim Scriptum est Ioan. 6. ℣. 66. *Nemo potest venire ad me nisi fuerit ei datum à Patre meo* Et Act: 13. ℣. 48. *Crediderunt quequot erant præordinati ad vitam æternam* Ad Ephes: 2. ℣. 8. *gratiâ estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, DEI enim donum est* & tamen possunt omnes qui volunt, credere, & rectè ad fidem omnes exhortamur, quamuis credere non possint, nisi præueniente & cooperante Dei gratiâ juuentur sicut ergo credere, vel non credere, liberū cunctis est (nam frustra hortaremur si credere illis liberum non esset) licet fides maximū Dei

donum

donum sit, ita etiam vnicuiq; liberum erit continere, vel matrimonio conjungi quamuis Continentia magnum Dei donum sit.

5. Absurdum quod ex sententia Aduersariorum clare sequitur, deberet ab hâc omnes deterrere. Nam sit quisquam qui Anno trigesimo ætatis, vt sæpe fit, matrimonio jungatur, quia citius non potuit: peto, an toto præcedente tempore donum Castitatis habuerit an non? si habuit; non potuit sine crimine vxorem ducere, neq; id illi fuit liberum, nam qui verè donum Castitatis habent, non possunt non casti permanere, vt ipsi fatentur Aduersarij (alias donum castitatis non haberent) Et illud reijcere sine crimine non possunt, Si verò toto illo tempore non habuit donum Castitatis, & grauiter interea carnis stimulis tentatus fuerit; aut si in matrimonio existens stimulos eosdem sentiat, infirma vel absente Conjuge, poterit tunc impunè liciteq; fornicari, & mæchari, quia cum non habeat Castitatis donũ, castus permanere nequit, aut si possit hisce stimulis impudicis sæpè, & tanto tempore liberè resistere per preces Deo fusas, vt asserit Brochmannus; Cur hoc non possit liberè totâ vitâ facere, toties ad Deum recurrendo, quoties à carne periculum offertur! ita profectò S. Paulus stimulis hujusmodi agitatus cum 13.

DEI gratiâ semper potuit resistere. Respondet Brochmannus in hoc casu mariti, qui absentem vel infirmam habet conjugem, posse eum cum successu confugere ad preces pro dono continentiæ obtinendo: quod donum tunc est necessarium, & ejusmodi precatio in necessitate diuinæ promissioni superstruitur, de exauditione in rebus planè necessarijs Luc. 11. ℣ 5.6. Ioan. 13. ℣.13. 14. cum enim tunc non liceat marito conjugium dissoluere, nec apud alias remedium vstionis quærere, tenetur permanere continens, ergo necessaria est illi Castitas quam tenetur petere infallibiliter eam consequuturus.

14. Sed contra 1. tam forti vinculo ligatur qui votum Castitatis habet, quam qui conjugio ligatus est, ergo qui votum habet non minus tenebitur in casu vstionis per preces confugere ad DEUM, pro dono castitatis retinendo, quàm is qui conjugio ligatur, & si maritus absente vel infirmâ conjuge ex vi promissionis DEI, poterit obtinere donum Castitatis pro tempore quo in necessitate est, etiam poterit ex eadem promissione donum istud voto obligatus obtinere, pro eo tempore, quo in pari necessitate est: quod cum sit perpetuum perpetuo obtinere poterit.

15. Contra 2. falsum est quòd hic supponit

Aduersa-

Aduersarius videlicet in rebus necessarijs petendis certam aliquam promissionem factam esse, neq; enim in illis locis Luc: 11. v. 5. 6. *petite & accipietis* Et Ioan: 13. v. 13. 14. *si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*, vllibi additur *in re necessaria*. hinc nullibi legitur in Scripturis petenti fidem, Spem, Charitatem aut continentiam conjugalem, promissionem aliquam infallibilem ac particularē factam esse. verum quidem est, promissiones istas generales, requirere quasdam conditiones certas, inter quas tamen non est, ut res quæ petitur sit necessaria ad salutem; sicut absq; vlla auctoritate supponunt Aduersarij, sed requiritur ut id quod petitur, saltem sit vtile ad salutem, & secundum Dei voluntatem teste Ioanne: 1. C. 5. ℣. 14. 15. *quodcunq; petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos, & scimus quia audit nos quicquid petierimus, scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo*, quid clarius dici potest? Hujusmodi autem, inter alia quoq; donum Castitatis est, quod secundum Dei voluntatem & nostram vtilitatem esse, patet inde quod Christus continentiam laudauerit, suaserit, & maxima ei præmia promiserit, vt supra demonstrauimus. imò & post votum nobis eandem esse necessariam, constat ex obligatione, quá ad votum

tenemur adimplendum, juxta illud Psal. 75. ℣. 2. *vouete & reddite Domino DEO vestro*, ex quibus omnibus euidenter constat, cuilibet volenti, conanti, & per debita media petenti donum Castitatis, liberum esse illud, consequi, non minus quam alia dona omnia supernaturalia, qualia sunt, credere, sperare, diligere. Et sicut illa cum DEI gratiâ perpetuò retinere possumus, ita & vnumquemq; posse cum eâdem gratiâ perpetuam seruare Castitatem, quod ita esse, tota vera Ecclesia Primitiua credidit & innumeris exemplis confirmauit.

CAPUT 3.

Refelluntur obiectiones Aduersariorum.

16. CONtra ea quæ § 1. & 2. docuimus, Castitatem videlicet Conjugio præstantiorem esse, varia objiciunt non tam nostri, quam Castitatis Aduersarij.

1. Ille status longè optimus censetur qui diuinitus in Paradyso institutus est, talis est status conjugalis, ergo. Sed contra, admissa majore, sic subsumo: sed talis est status Virginalis, ergo; Adam enim non jam conjugatus, sed Virgo est Creatus.

2. Vrgent

2. Vrgent illud Apoſtoli Hebr: 13. ℣. 4. *Honorabile eſt conjugium in omnibus & thorus* ἀμίαντος, *ſeu immaculatus.*

3. Legitimam viri & fæminæ conjunctionem Apoſtolus appellat *magnum myſterium* conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ Ephes. 5. ℣. 31. Et prudens vxor â diuino Spiritu vocatur peculiare DEI donum: Prou: 19. ℣. 4. Et in Conjugio caſtè viuentes vocantur Sancti 1. Theſs: 4. ℣. 3. 1. Timoth: 2. ℣. 5. Tit. 2. ℣. 4. 5. adeo vt non minùs mulier, quæ in fide, dilectione, & Sanctificatione permanet, dicatur ſaluanda per filiorum generationem. 1. Timoth: 2. v. vlt: quam Virgo quæ ſe corpore & animâ impollutam ſeruat.

Verum reſpondeo omnia hæcScripturæ loca nihil omnino contra doctrinam noſtram facere ſolum enim probant conjugiũ rem bonam, laudabilem, & Sanctam eſſe, quod Catholici omnes fatemur, & approbamus, & Conjugiũ vt rem omnino Sanctam, & â DEO inſtitutam commendamus; per hæc autem Scripturæ teſtimonia ne quidem veroſimiliter probatur Conjugium Caſtitati præferendum eſſe, quod Aduerſarijs maximè probandum incumbit. Conjugium ergo donum DEI bonum eſt, ſed longè melius eſt Caſtitas, ſicut Patrum Auctoritate & totius Eccleſiæ Primitiuæ 17.

 teſtimonio

testimonio nec non rationibus superius demonstrauimus.

18. At vero contra illa, quæ §. 3. docuimus videlicet vnumquemq; seriò volentem & conantem, posse consequi Castitatem, plus scula obijciunt.

1. Dictum Christi: *non omnes capiunt verbum hoc sed qui potest capere capiat* Math. 19. ℣. 11. dicunt enim hoc loco per verbũ *capere* non significari *intelligere* vt supra explicuimus, sed significari commodè, conuenienter capere, seu capacem ad intelligendum esse, vt sit sensus: non *omnes sunt capaces verbi hujus, qui est capax ille capiat*. Hujus autem sermonis soli sunt taliter capaces Eunuchi, vel qui ab hominibus facti sunt; vel qui se ipsos castrauerunt propter regnum Dei: Et confirmant quia lasciui multi adolescentes satis intelligunt, quantas secum molestias vita conjugalis trahat, non tamen istum capiunt de vitâ cælibe sermonem; eò quod capaces non sint, atq; ideo non est liberum illis castè viuere, quia non est liberum vnicuiq; capacem esse, hoc est, verbum hoc conuenienter capere, Sed Eunuchi quibus peculiariter donauit Deus.

19. Verum 1. per verbum illud *Capere* hoc loco significari, intelligere vel animo comprehendere docent Omnes Ecclesiæ

Primitiuæ

Primitiuæ Doctores, quibus potiùs est standum, quam hominibus aliquot obscuris & perpaucis.

2. Verbum illud (*non omnes capiunt*) non significare *non esse capaces omnes*, apertè patet ex eo, quod alias in eadem periodo Christus sibi contradiceret, nam dum paulò post dicit, esse Eunuchos, qui se castrauerunt propter regnum Cælorum, clarè dicit vnicuiq; liberũ esse, se castrare id est, castè viuere, quod non esset verũ, si vnusquisque non esset capax verbũ istud capiendi. 20.

3. Demus verba hæc, *non omnes capiunt*, habere sensum quem dicunt Aduersarij, tunc dicim9 Christũ significare non omnes esse capaces in actu secundo, vt Theologi loquuntur: quia non omnes actualiter castitatem sunt amplexi, sunt tamen capaces in actu primo, hoc est, omnes sunt capaces, vt castè viuant si velint.

2. Obijciunt illud Pauli 1. Cor: 7. ℣. 7. *Vnusquisq; proprium donum habet ex DEO, alius quidem sic, alius autem sic.* Ergo inquiunt, debet vnusquisq; viuere juxta donum quod accepit, & consequenter qui accepit donum matrimonij, non est in potestate ejus non ducere vxorem, & contra. 21.

Respondeo verum quidem esse, vnumquemq; postquam electionẽ ex arbitrij sui libertate fecit, debere dono quod accepit

viuere contentum, quod memoratis verbis indicat Apostolus, non tamen inde sequitur. ante electionem non esse cuiq; liberum accipere conjugij vel castitatis donũ. DEus enim singulis electionem liberam relinquit, vt vel matrimonium, vel Cælibatum eligant (ad verumuis enim neminem necessitat) vbi autem alterutrum DEI gratiâ vocatus elegerit, alterum dat donum, vt videlicet in electo statu possit conuenienter viuere; castis, vt caste: conjugatis, vt castè conjugaliter. de hoc autem dono loquitur Apostolus, vt videlicet cum eo quod sic accepit vnusquisq;, post electionem viuat contentus, juxta illud ejusdem, *vnumquemq; sicut vocauit DEus ita* ambulet.

22. 5. Objiciunt ejusdem cap. ℣. 2. *propter fornicationem autem vnusquisq; vxorem suam habeat.*

℟. si hoc quidpiam probaret, probaret nimis multum. Sequeretur enim omnes, etiam illos qui certò donum Castitatis habent, vxorem debere ducere: quod nec Aduersarij admittunt, jmò & morbo, senio, alioue impedimento adstricti & omnes alij simul atq; per ætatem capaces essent, debere copulari; quod penitus absurdum est.

Dicendum ergo, Paulum hic alloqui solos conjugatos, non autem eos, qui sunt

Cælibes, de his enim tantum loqui incipit ℣. 5. probatur ex eo, quod hic dicit, *habeat* non autem *ducat*. quia scilicet loquebatur illis, qui jam duxerant vxores, q. d. Vnusquisq; conjugatus vxorem suam habeat, id est, habere pergat, non repudiet, eâq; casté vtatur, si enim Cælibes fuisset allocutus, ipse sibi contradixisset, vt pote qui toto eodem capite Castitatem suadet, si tamen aliquis contendat, hæc ad Cælibes etiam pertinere: dicendum est, eum non mandasse, sed permisisse & suasisse, vt si quisquam habilis & capax, in fornicationem incidere timeret, potius vxorem duceret, quam vt in hoc flagitium labatur. non autem hoc fuisse Virginibus omnibus mandatum, patet ex toto Epistolæ decursu, vbi contrarium vbiq; suadet, clarè asserens se nullum habere de Virginibus præceptum.

4. Obijcinnt. ℣. 9. *Si non se continent, melius est enim nubere, quam vri*, ergo debent omnes nubere quia hoc melius est quam vri.

Respondeo de solutis ac non impeditis hic agere Apostolum, neq; verbum *vri* hic significat tentari libidinis ardoribus aut simpliciter calere, quasi diceret, melius esse nubere quam aliquas tentationes pati: Sed verbum *vri* significat, libidinis flammis vinci, cedere, & consentire; nam *vri*

dicitur ab igne, non qui ejus calorem sentit, sed qui ab eo læditur, & actualiter aduritur, sic Ecclesiæ Primitiuæ Patres secuti verbi proprietatem explicant; atq; ita melius est vxorem ducere, si continere nequeat, quam fornicari, & mæchari quod si tamen absolutè velit aliquis, hæc esse dicta non solum liberis sed etiam voto tunc ligatis;

Respondeo hoc quoq; verum esse posse in hoc sensu, quod minus peccent Virgines voto simplici Castitatis adstrictæ si nubant, quam si continuò in fornicatione viuant, nam si contra votum nubant, validum est matrimonium, & semel tantum peccant non seruando votum, si verò permanente voto fornicentur, toties peccant quoties fornicantur. atqui minus malum semel pecare tantum contra votum nubendo, quam sæpe contra votum fornicando. ita S. Aug: l: de Virginitate. c. 34. quem sequitur Cornelius à Lapide hîc.

5. Objiciunt illud I. Timoth. 5. ℣. 14. *volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias esse.* &c. de viduis hic Paulo sermo, vt ex toto contextu patet, illis ergo, quia conjugij habitum difficiliorem & periculosiorem habent ad Continentiam, quam Virgines, pro remedio incontinentiæ suadet & offert nuptias, si voto non sint.

sine opstrictæ; quod magis optabat, eò quod multarum inconstantiam expertus esset, quod indicatur per particulam illatiuã ergo, cum ait. *volo ergo juniores nubere, quia* scilicet *multæ cum luxuriatæ fuerint in Christo nubere volunt*, nam illas quæ Constantiam & continentiam satis probassent, voluit Apostolus continere, & manere Cælibes vt patet versu. 8. *dico* inquit *non nuptis & viduis bonum est illis, si sic permaneant sicut & ego*, ET ADDIT, *quod si se non continent, nubant*.





De

CVLTV AC VENERATIONE SACRARVM IMAGINVM.

DEMONSTRATIO. XI.

Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia negat vllum cultum ac Venerationem Sacris Imaginibus deferendam esse, quam Ecclesia vera primitiua semper detulit, ac deferri debere credidit & docuit.

CAPUT I.

Ecclesia vera primitiua SS. Imagines coluit & venerata est.



Estes hujus Assertionis sunt præcipui Ecclesiæ Doctores, qui Cultum Imaginum Traditionem Apostolicam vocant. Ac inprimis.

Athana-

Athanasius Alexandrinus Interrogationum & Responsionum ad Antiochum Principem c. 38. *Absit, vt quemadmodum Græci faciunt, nos Christiani tanquam Deos Imagines adoremus. Affectionem duntaxat & Charitatis nostræ studium erga figuram personæ per Imaginem expressæ declaramus* &c. & paulò infra: *Nos Christiani non aliâ ratione Imagines colimus, nisi quemadmodum etiam cum Filios nostros & Patres osculamur, Animi nostri desiderium indicamus. Sicut & Iudæus olim Legis Tabulas, & Duo Cherubim aurea, & sculptilia adorabat, non lapidis auriue Naturam colens, sed Dominũ qui ea vt fierent, præceperat.* I. An. 340.

Basilius Magnus contra Iulian: *Historias*, inquit, *Imaginum illarum honoro & palam adoro, hoc enim nobis traditum à Sanctis Apostolis, non est prohibendum &c.* A: 370.

Helladius Cæsariensis in Vitâ S. Basilij. *Pius Vir, Dominæ nostræ adstabat Imagini, in quâ etiam Mercurij celebris Martyris figura descripta erat: adstabat autem supplicans &c.* An: 380.

Hieronymus Epist: 27. ad Eustoch: De Epith: Paulæ: *Prostrata ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* An. 390.

Ioannes Chrisostomus in Liturgiâ. *Sacerdos autem egreditur portans Euangelium, præcedente Ministro, cum Lucernâ, & conuersus* A: 400.

uersus ad Christi Imaginem, Caput inclinat &c: & dicit hanc Orationem &c.

An: 400. Augustinus Lib: 3 de Trinit: c. 10. Loquens de Imaginibus, & alijs Sacris signis: *Sed quia*, inquit, *hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt.*

An: 440. Sozomenus l. 5. c. 20. Narrat Iulianum Apostatam curasse Cæsaræ Philippi, dejici Statuam Christi, & ejus loco erigi suam. Sed illa quantocyus fulmine tacta dissilijt. quo facto in furorem concitati Ethnici, priorem Statuam, Christi traxerunt, & in partes fregerunt: cujus fragmenta, ait, à Christianis religiosè & cum veneratione collecta in Ecclesiâ posita, vbi viuente adhuc Sozomeno, custodiebantur.

A. 500. Auctor Librorum de Visitatione Infirmorum, inter opera Augustini lib. 2. c. 3. *Habent Christianorum Arcana Dominicæ Crucis quasi quoddam venerabile Monumentum, quod de Crucis ipsius Imaginatione Crucem cognominant: quod & nos omni veneratione dignissimum censemus, & ad recordationem Crucifixi nostri veneramur, Adijcitur etenim super Crucem initi patientis Imago, per quod Salutifera Iesu Christi nobis renouatur Passio: hanc complectere humiliter, venerare suppliciter &c.*

Greg-

Gregorius Magnus lib: 7. Epist: 5. Loquens de Imagine B. Mariæ & Cruce, quæ positæ fuerant, in Synagogâ Iudæorum, quas jubet inde auferri, ad Ianuarium Episcop: Caralitanum, sic ait: *His hortamur affatibus, vt sublatâ exinde cum eâ, quâ dignum est veneratione, Imagine atq; Cruce, debeatis quod violenter ablatum est, reformare.* An: 59.

Omitto innumeros alios subsequentium Seculorum Patres, atq; Ecclesiæ Doctores. Item Concilia plurima quæ Sacrarum Imaginum Cultum, ac Venerationem in Sanctâ, & Verâ Ecclesiâ semper viguisse testantur. Ex quibus hoc certum deduco. 2.

Cum Ecclesia vera primitiua Sacras Imagines semper, ac per continuam successionem, docuerit sacro, & religioso cultu venerandas esse, & verò etiam venerata sit; nec Sanctos Patres hunc cultum, verbis & scriptis inculcantes, vnquam reprehenderit; imo è contra Iconoclastas semper condemnauerit, sequitur Ecclesiam Lutheranam eum cultum sacris Imaginibus denegantem cum verâ primitiuâ Ecclesiâ non consentire.

CAPUT 2.

Cultus

Cultus ac veneratio Imaginum explicatur & confirmatur.

3. STatus quæstionis formandus est, qui est hujusmodi: Non quæritur hic à nobis, an licitum sit Imagines pias, & ex sacris Historijs petitas, in Domibus, Templis, aut Locis publicis sculptas habere, vel exponere depictas. Hoc enim licitum & laudabile esse, ipsi passim Lutherani sentiunt, & docent, ac nominatim Brochmannus de Lege cap: 7. q. 1. vbi fusè contraria Caluinistarum Argumenta reijcit.

Sed quæritur, an hujusmodi Imagines Cultu aliquo interno vel externo honorare ac venerari liceat. Catholici asserimus juxta Concilium Tridentinum, quod sess: 25. docet hoc, & explicat his verbis: *Doceant Episcopi* &c. *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas, eisq; debitum honorem & venerationem impertiendam: non quod credatur inesse in ijs diuinitas, vel Virtus propter quam sint colendæ: vel quod ab eis aliquid sit petendum; vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant; sed quoniam Honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant: ita vt per*

Imagines

Imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur, id quod Conciliorum præsertim verò secundæ Nicanæ synodi decretis contra Oppugnatores, est sancitum.

Ex quib⁹ verbis constat 1. Totius Ecclesiæ semper fuisse mentem, & etiamnum esse, Imaginibus cultum ac Venerationem legitimam deberi. 4.

Constat 2. Honorem qui Imaginibus exhibetur referri ad Prototypum, quod illæ repræsentant; ita vt omnis Veneratio ad Christum & Sanctos quorum colimus Imagines, præcipuè terminetur.

Constat 3. nullam diuinitatem, aut Virtutem Imaginibus inesse, & consequenter propter hanc non esse colendas, aut quidquam ab ijs postulandum, quasi illæ nobis aliquid tribuere, aut impetrare possint. Ideoq; venerationem quam eis exhibemus, nullam Idololatriæ Speciem habere, manifestum est.

Gentes enim in Idolis spem suam collocabant; ab illis quiduis posse se impetrare confidebant: ita vt spes eorum omnis, & Veneratio, ad hæc opera manuum hominū directè semper & immediatè, & vltimatè terminaretur.

Nunc autem Sacras Imagines iuxta 5.

hanc Concilij Tridentini declarationem rectè coli à Catholicis probatur.

Quicquid sacrum ac sanctum est, vt sacrum & sanctum veneratione dignum est, & coli debet Imagines Christi & Sanctorum sacræ sunt, ac Sanctæ. Ergo veneratione dignæ sunt & coli debent.

Major Propositio probatur ex scripturis:

6. 1. Certum esse constat ex sacris *Literis*, idem esse; Sanctum, & veneratione dignum seu venerabile. Nam Exodi 12. ℣. 16. dicit Dominus: *Dies prima erit sancta atq; solemnis, & dies septima eâdem festiuitate venerabilis.* Ergo quod est sanctum, est venerabile, & coli debet.

2. Præcepit Deus quædam adorari, addità causa, quia sancta sunt. 1. Arcam Domini Psal: 98. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Per scabellum autem pedum Dei designatam Arcam declaratur Paral: 28. ℣. 2. *Cogitaui, vt ædificarem domum, in quâ requiesceret Arca fæderis, scabellum pedum Dei nostri.* Itē voluit Devs honorari locum, in quo per Angelum cum Moyse egerat, additá ratione *quia sanctus esset.* Exodi. 3. & Act: 7. *Solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.*

3. Constat

3. Constat Deum grauibus intentatis pœnis vetuisse ne res quædam Sanctæ, ac sacræ irreuerenter tractarētur; ac inprimis de Arcâ fæderis est clarum, quia morte percussus Oza est, eò quod minus reuerenter Arcam tetigisset. 2 *Reg*: 6. Item de Vestibus Sacerdotum; de Victimis, & sacrificijs, ac cibis oblatis Deo, vt ex plurib⁹ Exodi, Leuitici & Numerorum locis patet. Ex quibus euidenter sequitur verita, majoris Propositionis, videlicet quicquid sacrum & sanctum est, vt tale, dignum est veneratione, & coli debet.

Nunc minor Propositio probatur: quia Sanctum est, quod ex Institutione suà peculiarem ad Deum, vel Christum relationem habet, & per quod Deus mira dignatur operari: sic peculiarem hujusmodi relationem, habuit Arca; eò quod Scabellum dei esset: sic fimbriæ Christi, quam hæmorroissa tetigit, & curata est, major virtus infuit quam vestium aliarum fimbrijs: quia hæc & similia constat ex effectu, Deum magis honorari voluisse, quam res alias. Sed Imagines Dei, Christi & sanctorum peculiarem aliquam relationem ad Deū, Christum & Sanctos ex Institutione suâ habent; cum omnis Imago propria sit, & peculiariter istius cujus est imago. Ita vt quilibet in suà Imagine erectà vel dejectâ 7.

 se ho-

se honorari vel despici intelligat: Et mira sæpe per Imagines hujusmodi DEVS operatus est, vt constat ex innumeris miraculis, quæ toto Orbe teste, ad Imagines sanctorum facta sunt; ergo Imagines Sanctorum sacræ sunt, & sanctæ; & consequenter veneratione dignæ, & coli debent.

8. 2. Cultus Imaginum probatur à cultu Arcæ, Cherubinis & serpenti æneo exhibito. Constat enim vt supra dixi, Arcam ab Israelitis fuisse adoratam Ios: 7. ℣. 6. Ante illam cantatum fuisse & saltatum venerationis ergo, 2. Reg: 6. ℣. 11. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 21. 22. quem honorem participabant Imagines duorum Cherubin ex vtrâq; parte propitiatorij Arcam tegentis constitutæ. *Venerabantur enim* (vt ait Hieronymus Ep: 17. ad Marcell c. 3.) *quondam Iudæi sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubin & propitiatorium & Arca Testamenti, Manna, Virga Aaron & Altare aureum.* Vnde sic: cum promiserit filius Dei homines sanctos futuros, *sicut Angeli dei in Cælo sunt.* Matth. 22. ℣. 30. Imo æquales Angelis. Luc: 20. ℣. 26. si fas est venerari Imagines Angelorum, fas quoq; est sanctorum Hominum Imagines venerari. Idem de serpente æneo, qui Christi figura erat, teste ipsomet Christo. Ioan: 3. ℣. 14. dici

potest,

poteſt, quod honoratus fuerit; erat enim loco ſublimi poſitus ut ſalutem læſis in ſe aſpicientibus afferret. Si ergo tam Arca, quam Cherubini, & ſerpens æneus honorari & coli potuerunt, & de facto culta ſunt; cur non idem abſq; Idololatriæ notâ dici poterit de Imaginibus Chriſti Dei & Sanctorum?

Opponit hîs Brochmannus de Lege cap: 7. quæſt 3.

1. Arcam negat fuiſſe honoratam, aut honore vllo cultam, ſed Deum, qui per Arcam populum admonebat de ſuâ ibidem præſentiâ. Verùm Reſpondeo; Brochmannum pro nobis agere. Fatemur enim Deum fuiſſe adoratum per adorationem Arcæ, ſiue Arcam fuiſſe viſibile præſentiæ Dei peculiaris ſignum, non tamen inde ſequitur; ipſam Arcam non fuiſſe cultam tanquam tale ſignum, quod ſcripturæ, locis innumeris teſtantur; dum aſſerunt, coram Arcâ omnes Religioſos cultus eſſe factos, licet illi cultus per Arcam ad Deum referrentur. Ita quoq; affirmamus coram Imaginibus Dei, honoris ac venerationis ſigna poſſe & debere fieri, quæ primariò ad Deum referantur. *Nam* (vt ait Aguſtinus) *non hoc veneramur quod videtur & tranſit, ſed illud potius quò talia* 9.

 cuncta

cuncta referenda sunt. Deinde quia omnem Arcæ venerationem denegat Brochmannus, quæro cur Oza percussus à Deo fuerit, tactâ irreverenter Arcâ? an quia Deum tetigit? an verò quia rem Deo singulariter consecratam? Primum certè non dicet, ergo alterum. Si ergo rem Deo consecratam tangere, punitur morte; manifestè sequitur, oportuisse rei huic aliquid inesse, quod veneratione dignũ esset. Hoc autem aliud non fuit, quam quod ad Dei cultum & venerationem singulariter instituta fuerit.

10. Sed fortè replicabit: de Arcâ constat, à Deo ad hoc institutam esse. Non autem constat de Imaginibus, quas Catholici dignas veneratione censent. Respondeo: Certum esse, Deum, dum præcepit honorari Arcam, non præcepisse ullam Idololatriam, quam semper detestatus est; ergo præcepit actum aliquem in se licitum & laudabilem, quem omnes imitari possunt. Sed hujusmodi Actus, est etiam Imaginum Sacrarum cultus, ergo eum omnes licitè, & laudabiliter exercere possunt, & debent. Ergo licet in particulari non præceperit coli Imagines; tamen dum præcepit venerari Arcam, præcepit Actum aliquem pium quem in alijs similibus omnes imitari possunt, ac debent. Atq;

ita quando Catholici Imagines Sacras venerantur exercent actum Religionis, quem Deus erga Arcam præcepit exerceri.
2. Opponit Aduersarius, Contra serpentem, negando ex scripturis probari posse vllum venerationis signum illi exhibitum fuisse. Imò, ait, ideo ab Ezechiâ Rege comminutum esse, quia Israëlitæ illum venerati sunt. Sed respondeo licet expressè non reperiatur in scripturis, serpentem fuisse cultum, tamen cum in loco sublimi pro signo positus fuisset, & vera esset figura Christi, Ioan: 3. non poterat tam salutare signum non veneratione coli: ideoq; S. Augustinus, & pleriq; S. S. Patres, quando agũt de religiosis signis, quæ merentur venerationem, semper inter ea serpentem illum numerant. 2. Cum ille serpens postea (vt Caluinus ipse asserit Harmo: in Numeros) *tanquam gratiæ specialis symbolum, fuit instar pretiosi Thesauri repositus, & multis sæculis diligenter seruatus in sanctuario Dei*, euidenter sequitur, eum fuisse ab Hebræis honoratum. Tam sancto enim loco, & honorifico eum reponere ibidemq; multis sæculis seruare, quid aliud est quam veneratione & honore dignum æstimare? Quod autem eum deinde Rex Ezechias comminuerit; non ideo fuit, quia populus eum venerabatur: sed ratio II.

 statim

statim additur. 4. Reg: 18. ℣. 4. *siquidem vsq; ad illud tempus Filij Israël adolebant ei incensum* Cum enim sacrificium sit Latriæ Actus & quidem, vt consequens est, soli Deo debitus, incensum autem Legis antiquæ sacrificijs, annumeratum esse constet, ex Lib: 3. Reg: c. 12. ℣. 32. 33. Idq; solis sacerdotibus reseruatum, vt ex temerarij Osiæ lepra 2. Paral: 26. 17. 18. memoratâ, perspicuũ est, ingentis profectò criminis rei fuêre; qui incensum serpenti obtulerunt. Nunc ad alias Rationes Doctrinæ nostræ procedamus.

12. Ratio 3. Certum est ex Epist: Pauli ad Philipp: c. 2. Nomen Iesu venerandum esse. *donauit* enim, illi *Nomen quod est super omne Nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur*, & quotidianâ Experientiâ videmus etiam Lutheranos hoc Nomine audito caput detegere, vel illud inclinare. quæ omnia venerationis signa sunt, huic Nomini meritò delata. Ex quo hoc Argumentum formo: Nomen quodlibet (teste Aristotele lib: Periherm: c. 1.) est Imago, seu repræsentatio Rei nominatæ, siùe personæ, quæ per hoc significatur; ergo venerari alicujus nomen, nihil aliud censetur esse, quam imaginem alicujus venerari. Quando igitur docet Apostolus venerandum esse Nomen *Iesu* simul etiam docet Imaginem

nem ejus venerandam esse. Præterea cum aliæ omnes sacræ Imagines ex quacunq; materia confectæ, non minus sint Imagines, quam vocales istæ siue nominales (quin etiam hæ illas superant, quod sculptæ v. g. permanentes sint, Vocales verò fluxæ ac fugaces) sequitur non posse sculptis denegari eum honorem, qui vocalibus debetur.

4. Ad Hominem. Brochmannus de Cæna Domini asserit Eucharistiam sumpturos genu flectere debere & Hostiam ostensam adorare. Imo VVratislauiæ praxis est communis vt Prædicante sacra verba pronunciante, & Hostiam vnâ manu exhibente omnes Mulieres in genua procidere & Hostiæ honorem facere consueuerint. Nunc ex his aliquem interrogo: Cur hæc signa venerationis exhibes? an quia ibi Christus præsens est? sed hoc in eorum principijs est falsum, cum negent ibi Christum esse ante sumptionem. Ergo dicere coguntur ad Hostiam tanquam ad sacram rem, Christum repræsentantem, hæc signa Reuerentiæ spectare. Alias enim se Idololatriæ reos facient. 13.

5. Deniq; certum est, non diffitentibus ipsis Lutheranis Imaginem Regis esse venerabilem ciuili quodam cultu & honore, & è contrario hujusmodi Imaginem capa-

cem esse injuriæ & contumeliæ, adeo vt graui pœna ciuiliter digni censeantur, qui Regis aut Cæsaris Imaginem contumeliâ afficiunt vt patet ex *L. famosi* ad Legem Juliam Majesta: & ex Iuris consulto, Scæuolâ Leg: senatus consulto D. *de injurijs* & Callistrato L. 28. 5. *ad statuas D de pœnis.* Cur ergo Imagines Christi & sanctorum non licebit venerari? & si contumelijs affectæ fuerint, cur non iniuria ijs quorum sunt Imagines censebitur illata? At dices, cum quibusdam Lutheranis his sacris Imaginibus licitum quoq; esse Honorem ciuilem, & politicum deferre, non autem sacrum, ac Religiosum

14. Verum respondeo disparitatem esse. Ideo enim Principum Imagines, honore ciuili & politico coluntur, quia Principes quorũ sunt Imagines illo tantum & non alio honore coli possunt Cum autem Deus, Christus: & sancti longè alio atq; eminentiore honore & reuerentiâ colantur; æquum est eorum Imagines non aliquo ciuili aut politico, sed cultu multò nobiliore & altiore coli. Quicquid enim sanctum est, altiori cultu venerandum est, quam prophanum & Ciuile, juxta illud Leuiti 10. *Habeatis scientiam discernendi inter sacrum & prophanum.* His itaq; satis est probatus sacrarum cultus, & religiosa

veneratio.

veneratio. Nunc ad Obiectiones Aduersariorum procedamus.

CAPUT 3.

Refelluntur Obiectiones Aduersariorum.

OBijciunt 1. Exodi 20. ℣. 4. 5. & Deut: 5. ℣. 6. *Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in Cælo desuper, & quæ in Terrâ decorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terrâ, non adorabis ea neq; coles.* 15.

Respondeo. 1. Hoc Argumentum ad hominem nimium probare; si enim purè ad literam accipiatur, verbis his vetatur, non solùm colere Imagines: sed etiam eas facere. Cum autem Aduersarij Imagines admittant, asserantq; eas laudabiliter in Templis poni, asseruari posse, impugnat illos Deus, dum his verbis prohibet Imaginem omnem aut similitudinem ejus fieri. Ergo Locum illum non minus contra se, quam contra nos allegant.

Respondeo 2. Finem hujus prohibitionis spectandum esse qui fuit ne hujusmodi imagines in populo adorarentur. Sed oppones: Ita sit; nihilominus ad hunc obtinendum finem, Deus omne sculptile prohibuit

hibuit, ut ex verbis clarè patet, & euidentius ex Deut. 4. ℣. 15. vbi expressè Moyses ait: *Non vidistis aliquā similitudinem in die, quâ locutus est vobis Dominus in Horeb: nè forè decepti faciatis vobis omnem similitudinem &c: & errore deceptus adores ea, & colas quæ creauit Dominus Deus &c:* quibus verbis adeo clarè & vniuersaliter prohibetur omne sculptile, vt si Lex omnem prorsus Imaginem vetare voluisset, non potuisset id efficacius, quàm his verbis fieri. Fateor id quidem, ita tamen vt ea prohibitio tantum Aduersarijs qui Imagines admittunt, quantum nobis Catholicis repugnet. Quocirca.

15. Respondeo 3. Legem illam in veteri Testamento omnem Imaginem vetantem non fuisse naturalem, sed merè cermonialem, qualis fuit de Sabbatho colendo, & plures aliæ. Legem autem istam tunc necessariam fuisse, in causâ fuit summa Hebræi populi procliuitas, quâ in Idololatriæ vitium ruebat. Voluit ergo Deus omnem Idololatrandi occasionem possibilem auferre, omnem omnino Imaginem vetando.

Cum autem Lex hæc tantum, vt dixi, Ceremonialis fuerit, non minus quam cætera Ceremonialia, cum Synagogâ est sepulta, statim ab Apostolorum tempore & subse-

ſubſequenti Apoſtolis vicino; conſtat enim ab initio Eccleſiæ & omnibus retro ſæculis à Viris ſanctiſſimis & vniuerſa Chriſtianitate ſacras Imagines cultas & honoratas eſſe, vt luculenter cap: 1. hujus Controuerſiæ demonſtrauimus. Quod autem meritò vetus & vniuerſalis illa Lex, de non faciendis Imaginibus in nouo Teſtamento abrogata fuerit, ex hac ratione patet; quia quando Lex aliquid propter ſolum abuſū prohibet, quod per ſe decens eſt & bonum: vbi ceſſauerit abuſus, ceſſat Lex, & quod per ſe decens eſt & bonum vim ſuam habet. Sed facere Imagines, Chriſti, Dei, & Sanctorum, vt eaſdem honoremus, non minus eſt decens & bonum, quam facere Imagines Principum à nobis ciuiliter honorandas vt Capite ſuperiori probauimus. (cedit enim in honorem ipſorum tam Principum quam Sanctorum) ergo Lex illa prohibens Imagines ſolùm fuit per accidens, propter periculum videlicet abuſûs vniuerſalis, quod periculum fuit in Hebræo populo aſſiduum, ob ſummam ejus & continuam in Idololatriam procliuitatem. Hæc autem Procliuitas, cum jam ſit in Chriſtiano Populo ſublata, & idololatricus ille tenebrarum Spiritus, per Lumen Chriſtianæ Gratiæ ejectus euanuerit; quem Prophetæ per

Chriſtum

Christum eijciendum prædixerunt. Zach: 13. Sophon: 2. Nahum. 1. Isa: 30. & jam ejectũ experientiâ docemur: nullâ amplius in Christiano populo in Idololatriam procliuitate apparente quippe cum nullus tam abjectæ & obcæcatæ mentis sit, vt picta seu sculptilia, tanquam ipsa Deus sint, in quæ fiduciam reponant, jam adoret, aut honoret) sequitur sublato omni periculo, quod per accidens tunc erat, nunc meritò Legem illam Ceremonialem cum Legibus alijs & totâ Synagogâ pariter cessare.

17. *Obijciunt 2.* Iudæi & prisci Idololatræ eo modo sua Idola coluerunt, sicut nunc Imagines Catholici, nam sicut nunc Catholici in Imaginibus dicunt se venerari Christum aut sanctos quos illæ referunt; sic Iudæi in Idolis venerabantur vnũm verum DEVM Ergo sicut hi Idololatriæ condemnantur; sic ejusdem reos esse Catholicos necesse est. Quod autem Iudæi & Idololatriæ eo modo Idola sua coluerint, quo Catholici, varijs exemplis scripturarum probant, & præcipuè Brochmannus de Lege cap: 7. quæst. 3.

1. Sculptile quod formauit Michas, vt ex verbis ejus patet; dum de facto suo lætus ait. *Nunc scio quod benefaciet mihi Deus* Iud: 17. ℣. 3.

2. Danitæ simulacrum illud per Leuitam

tam consulentes, hoc responsum retulêrunt â Leuitá: Dominus respicit Viam vestram Iud: 8. ℣. 4.

3. Manifestius Intentum suum ostendere conantur in fabricatione Vituli Exodi 32. quem non vt Vitulum sed visibile veri Dei signum adorarunt, vt patet ex illis verbis atclamantium: *Hi sunt Dij tui Israël qui duxerunt te de Terrâ Ægypti* ℣. 4. & clarius probatur ex verbis Aaronis: *Cras* inquit *solemnitas Domini est* ℣. 5. Ergo Deum verum Vitulus ille referebat, non enim adeo dementes erant, vt Apin aliquem, aduersæ partis Deum in illo adorarent. Cum itaq; cultus ille vituli in scripturis vocetur cultus *Iehouæ* quod veri Dei nomen est, sequitur illos non vitulum, sed coram vitulo respectiuè verum Deum coluisse. Cum autem etiam Catholici doceant, non Imagines, sed respectiuè Christum, vel sanctos se per Imagines venerari, sequitur illos hoc eodem modo quo Idololatræ Iudæi facientes, reos ejusdem criminis Idololatrici teneri. Verùm hæc omnia scripturis repugnare manifeste patet. Nam quod dicat Aduersarius Iudæos & Gentiles non Idola sed verum Deum coluisse, adeo falsum est, vt nihil falsius ex scripturis probari possit. Veniant quæso in mentem Aduersarijs illa expressa spiritûs 18.

spiritûs sancti effata inprimis de Iudæis Deut. 32. *Immolarunt Dæmonijs & non Deo &c.* de Gentibus Psal: 95. *Dij Gentium dæmonia &c.* 1. Cor: 10. *Quæ immolant Gentes, dæmonibus immolant & non Deo.* deinde cum Prophetæ omnes maximè autem Isa: 46. Dauid Psal: 115. & 134, Habacue 2. Baruch. 6. alij conati fuerint docere populum; Idola aurea & argentea, non esse Deos, quia non audiunt non loquuntur, sed opera manuum hominum &c: manifestè sequitur populum putasse hujusmodi Idola Deos esse, ideoq; vt Dijs sacrificia ipsa immolâsse. Stulti enim fuissent Prophetæ si id quod nemo asserebat tanto conatu refellere adlaborâssent. Nunc Exempla particularia refellenda sunt.

19. 1. Quod de Michâ asserit Brochmann⁹, eum lætum de Idolis suis fabricatis dixisse: *Nunc scio quia benefaciet mihi Deus,* planè falsum est. Non enim hoc dixit, quia Idola habuit, sed quia in domo sua secum habuit personam sacram seù Leuitam, propter cujus sanctitatem sperabat se benedictionem à Deo habiturum. Verba Textûs clara sunt: *Nunc scio* inquit *quia benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis Sacerdotem.* Iudic: 17. ℣. 13.

20. 2. Simulacrū Michæ tam à Michâ quam Leuitis ac Danitis pro Deo habitum fuisse, patet

patet euidenter. ex verbis ita positis Iudicum 18. ℣. 10 vbi Michas questus est, de injuriâ eum Danitis *Deos meos* inquit *quos mihi fecistis, tulistis* &c. Ergo illud quod fecerat simulacrum, DEVM existimabat esse, cui etiam vt tali Leuita semper immolauerat. Cum igitur Leuita retulit Danitis *Dominum respicere illorum Viam; per Dominum* intelligit simulacrum Michæ, in quo Dæmon verbis aut alio quopiam signo responsa Leuitæ dabat.


3. Quod autem ante Vitulum, non Vitulum sed verum Deum adorauerint Iudæi, vt ait Aduersarius, scripturæ manifestæ falsitatis conuincunt. Vt enim multas rationes omittam, quibus clarissimè contrarium monstratur, debuisset Aduersario hæc scripturarum loca in mentem reuocare. Deut: 32. *Deum qui te genuit dereliquisti & oblitus es Domini Creatoris tui* Et Psal. 105. *fecerunt Vitulum in Horeb & adorauerunt sculptile, & obliti sunt Deum, qui saluauit eos, qui fecit Magnalia in Ægypto mirabilia in terrâ Cham, terribilia in Mari rubro* Hierem 2. *Ambulauerunt post vanitatem, id est post Idola: & non dixerunt: vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de Terrâ Ægypti.* Quid clarius dici potuisset ad ostendendũ quod Hebræi tunc non Deũ verum in Vitulo, sed relicto Deo, ipsi Vitulo 21.

honores obtulerint, eumq; pro Deo habuerint?

Patet ergo longè alium cultum fuisse, quem Idolis suis Iudæi deferebant, quam ille sit, quem modo Imaginibus exhibent Catholici; qui sacras Imagines non vt Deum venerantur, sed respectiuè Deum, quem illæ referunt, agnoscunt & adorant.

Solutæ sunt ergo Rationes fundamentales Brochmanni, quas contra Imaginum sacrarum Cultum magno conamine producit. Atq; ita demonstrationem hanc rectè stabilitam finimus.





De CVLTV ET VENERATIONE SACRARVM RELIQVIARVM.

DEMONSTRATIO XII.

Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia negāt Reliquijs Sanctorum, Venerationem, quam ijsdem deferendam esse Ecclesia primitiua semper docuit, & credidit.

CAPUT I.

Sacræ Reliquiæ ab Ecclesia vera primitiua cultæ & honoratæ fuerunt.

DEmonstrat hanc Veritatem Ecclesiæ primitiuæ consuetudo, & auctoritas S S. Patrum clarissimis testimonijs declarata; quos hic solito nobis more recensere libet. I.

Clemens Romanus Constit: Apost: lib: 6. c. 29. *An: 80.*

6. c. 29. *Eorum qui apud* DEUM *viuunt, ne reliquiæ quidem corporum sunt inhonoratæ: siquidem Elisæus propheta postquam defunctus est, mortuum suscitauit, attigit enim corpus ejus, corpus Elisæi; & excitatus reuixit. quod quidem nunquam accidisset, nisi corpus Elisæi Sanctum esset.*

An: 150. Iustinus Martyr Quæst: 28. *Sanctorum corpora, & sepulchra Martyrum; & Dæmonum amoliuntur insidias & morborum ab arte medica comploratorum conferunt sanationes.*

An: 176. Ecclesia Smyrnensis Epist: ad Ponti Ecclesias. *Nos Diui Polycarpi ossa, potiora lapillis pretiosis è cineribus sublata eo loco reposuimus, qui erat decorus, consentaneusq́.*

An: 320. Eusebius Cæsariensis *lib: 2. c. 14. Astyrus cum Martyri Marino in mortis articulo præsto adesset, simulatq́ è vita migrârat, cadauer tollit, splendida & pretiosa obtegit veste, atq́ humeris impositum inde deportat, quod cum magnifico & sumptuoso linteo involuisset, decenti sepulchro condidit &c:* & paulò post D. Iacobi Cathedram, ait, totius antiquitatis veneratione cultam & mirificè cohonestatam non propter materiam, ex qua erat confecta, sed ob virtutes Apostoli, & mirabilem Sanctitatem.

Item de præparatione Euangelicâ lib: 13. c. 7. *Similiter etiam omnes, qui præclarè vixerunt, quoquo modo mortui sunt venerabimur*

bimur Hac nos quotidie factitam⁹. qui vera pietatis milites, vt Dei amicos venerantes, ad monumenta quoq; illorum accedimus, votaq; eis facimus tanquam veris Sanctis, quorum intercessione, ad Deum non parum adjuuari profitemur.

Athanasius in vitâ Antonij *Legatarius Antonij benedicti, qui tritum palliũ cum melote imperio ejus meruerat accipere, Antonium in Antonij muneribus amplectitur, & tanquam magnâ hæreditate ditatus, lætanter per vestimentum recordatur imaginem sanctitatis.* An. 340.

Hermes contra Theostenem lib. 4 luculenter probat à miraculis, & signis ad reliquias & potissimum ossa sanctorum factis, eadem honoranda, & colenda esse. manifestum enim, inquit, est, *quod ossa Sanctorum non sunt mortua, sed plena virtute.* An: 350.

Dorotheus Tyrius in Synopsi varia commemorat Sanctorum corpora, quæ tempore Constantij filij Constantini Magni eleuata sunt, & translata, vt pote S. Lucæ. S. Andreæ Apostoli & Thimothei. Titi, & aliorum ad eaq; honorata, solemniterq; culta, morbos esse pulsos, & alia miracula sanationum plurima perfecta. An: 350.

Basilius Magnus Hom: in psalm: 135. *Mors si cuiquam irrogatur pro Christi nomine, pretiosæ censentur reliquiæ Sanctorum ejus* &c: *Et nunc Martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam* An: 370.

ob gratiam corpori insidentem sit quadantenus sanctificationis particeps. Idem Orat: in Martyrem Iullittam, fuse describit honores, ac venerationem ejusdem Martyris corpori exhibitam, nec non miracula ad reliquias illius facta.

An: 370. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 18. fusè probat virtutem aliquam, & potentiam Sanctorum corporibus inesse, pro quo adducit exemplum Elysæi, cujus ossa mortuum suscitarunt, ac tandem rationem hujus miraculi addens; vt demonstretur inquit *quod absente etiam animâ inest virtus quædam ejusmodi corporibus Sanctorum, propter tot annis inhabitantes in illis animas justas, quarum ministerio vsa sunt.*

A: 370. S. Ambrosius lib: 9 Epist: 85. *Eruuntur nobiles reliquiæ sepulchro ignobili, ostenduntur Cælo trophæa*&c. Exhortatione ad Virgines, *Condant alij aurum atq; argentum, ac de latentibus eruant venis &c: temporalis ille thesaurus est &c: nos legimus Martyris clauos &c: munera itaq; salutis* (corpora videlicet S.S. Martyrum Vitalis & Agricolæ) *accipite quæ nunc sub sacris altaribus reconduntur.*

Item lib: 10. Epist: de Inuentione S.S. Geruasij & Protasij ac deinde Serm: 91. de eorundem inuentione, fusissimà quâ pollebat Eloquentiâ, commemorat incredibilis

biles honores, his S. Corporibus à populo exhibitos, & innummera deinde secuta miracula.

Præterea de Nazario & Celso sic loquitur: *cur non honorent corpus illud fideles, quod venerantur & Dæmones? Honoro itaq; corpus, quod Christum honorauit in gloriâ, quod cum Christo regnabit in Cælo.*

Gregorius Nazianzenus Orat: 3. seu priore in Iulianum inuectiuâ & Orat: 4. quæ est in eundem posterior Item Orat: 18. quæ est in Cyprianum, fusissime docet Sanctorum reliquias religioso cultu venerandas esse. sicut &c. *An: 380.*

Gregorius Nyssenus Orat: in S. Theodorum Martyr: *An: 380.*

Epiphanius in vitâ Ezechielis. *An: 380.*

Prudentius Hymno. 5. de S. Eulaliâ & de S Laurentio, de S. Fructuoso hymno 6. *An. 380.*

Syricius Epist: 4. *An: 390.*

Hieronymus Epist: 53. ad Riparium & libr: aduersus Vigilantium cap: 2. 3. &c. 4. Item in vitâ Hilarionis. Et Epist: 17. ad Marcellam c. 5. & in Epitaphio Paulæ cap: 6.

Ruffinus Eccles: Hist: lib, 2. c. 28. *An: 390*

Chrysostomus Hom. 32. in Epist: ad Roman: in morali Item lib: contra Gentiles. Laudatione in Martyrem Ignatium Hom: 66. ad pop: Antioch: & alibi. *An: 400.*

An: 400. Augustin9 de curâ pro mortuis agendâ cap: 17. de ciuitate DEI lib: 1 c 13 & lib: 22. c. 8. lib: 9. Confess: c. 7. item Epist: 137. & alibi.

2. Alios omitto innumeros subsequentium omnium sæculorum Patres, & Doctores, qui reliquias Sanctorum magnâ semper veneratione cultas, & ab omnibus religioso cultu honorandas esse tradiderunt nec defuerunt in omnibus orbis Christiani partibus omni tempore. habita Concilia quæ illud ipsum docuerunt, vt videre est, apud Bellram: lib: 2. de reliq: c. 3.

Itaq; qui non planè peruicaces sunt, aut præjudicio malè excæcati, ipsâ luce clarius videre possunt, doctrinæ de reliquiarum, & Sanctorum corporum ac monumentorum veneratione tantam conformitatem esse inter hodiernam Romanam, & veram illam primitiuam, veterem Ecclesiam, vt gutta guttæ similior esse nequeat.

Patet ergo Lutheranos hac in re cum Eunomio, Vigilantio & alijs quibusdam hæresiarchis a S.S. Patribus & totâ primitiuâ Ecclesiâ hæreseos damnatis consentire; ideoq; & illos etiam ejusdem reos criminis teneri, cæcos igitur eos oportet esse, vel omnino pertinaces, qui non videant, aut videre nolint, se toti Ecclesiæ primitiuæ repugnare, quæ Reliquijs Sanctorum religi-

religiosam semper venerationem detulit, quam cum eis denegent Lutherani, videant quantum fallantur, & à doctrinâ primitiuæ Ecclesiæ recedant.

CAPUT 2.

Religiosus S.S. Reliquiarum cultus asseritur & probatur.

Explicandum est primò, quid per Reliquias intelligamus.

RElIquiæ Sanctorum quando nominantur, intelliguntur Sanctorum corpora, quælibet itidem corporum particulæ, ossa, capilli, dentes, cineres, vestes etiam, & alia quibus vsi sunt. Hæc omnia contemnenda & abijcienda esse cum suis sequacibus Lutherus docet. quibus tamen non nihil religiosior videri voluit. 1.

Brochmannus de lege c. 7. q. 4. cujus hæc verba sunt: *non certè adeo ab omni humanitate alieni sumus, ut reliquias Sanctorum, imprimis ipsorum corpora nullo planè honore dignas censeamus, tanquam habitacula Spiritus Sancti, & organa per quæ DEus res optimas, & maximas operatus est, quæ etiam à DEo curantur, & quæ de sepulchris vocem*

sanctorum exspectant. & hæc omnia S scripturæ testimonijs confirmat. Verum vel de honore & cultu ciuili hic loquitur, vel de religioso. Si primum non minorem hujusmodi corporibus censet exhibendum esse cultum, quam olim Gentiles corporibus Æneæ, Achillis, Hectoris, & Cæsarum suorum tribuerint Romani, quod omninò falsum, & absurdum censent Catholici. si secundum, sentit nobiscum. Sed primum, eum docere, ex ijs, quæ dicit postea, conspicuum est:

4. At verò quid de Reliquiarum honore & cultu Ecclesia Catholica sentiat, docet Concilium Trid. sess: 24. his verbis: *Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Christo viuentium Sancta corpora, quæ viua membra fuerunt Christi, & templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda, à fidelibus veneranda sunt: per quæ multa beneficia à* DEO *hominibus præstantur: ita vt affirmantes, Sanctorum reliquiis venerationem, atq; honorem non deberi, vel eas, aliaq; sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atq; eorum opis impetrandæ causâ, Sanctorum memorias frustra frequentari; omnino damnandi sunt. prout jam pridem eos damnauit, & nunc etiam damnat Ecclesia.* Ex quib⁹ verbis patet hujusmodi reliquias, & corpora meritò thecis pretiosis includi; sub

sub altaribus asseruari; religiosi cultus signis, processionibus, & solemnibus translationibus honorari posse prout hæc omnia reliquijs hisce Sanctis, exhibuisse veterem Ecclesiam primitiuam capite superiore demonstrauimus.

Illis autem cultum hujuscemodi deberi nunc probemus.

Fundamentum religiosi Reliquiarum cultus est scriptura sacra, in quà legimus sacras reliquias honorifice translatas, & ad attactum illarum mirabilia patrata. Nam, 5.

1. Moses discessurus ex Ægypto honorificè transtulit patriarchæ Ioseph ossa. Exodi 13. ℣. 19 cur ergo superstitio appelletur ossa Sanctorum in locum honorificum transferre?

2. Ossa Elisæi cum mortuum hominē attigissent, illico reuixit mortuus. cum autem similia miracula innumera ad sacras noui Testamenti reliquias, esse facta constet; cur non honore censeantur dignæ, per quas tam mira Deus operatur? Sed miraculosi hujus effectus in ossibus Elisæi, causam assignat aliam Brochmannus. non, inquit, ex hoc miraculo corpori Elisæi, aut similibus, deduci debet, illa veneranda esse; Sed miraculum istud factum est, vt certi redderentur Iudæi de terrenâ, illâ

illâ victoriâ, quam moriturus Elias prædixerat reportaturos Israelitas contra Syros. Verum quæ connexio prædictionis Eliæ cum ossibus Elisæi: & cum omnia ex scripturis probari velint Aduersarij, vbi vel apice vno, hæc ratio miraculi hujus assignatur?

3. Isaias c. 11. ℣. 10. de Christi monumento asserit. *Et erit sepulchrum ejus gloriosum.* videlicet quia gentes omnes illud visitaturæ, & cultu religioso veneraturæ erant, plurimis ad illud miraculis patratis, non quia id magnis sumptibus erat ex saxo exscindendum, (vt ridiculè asserit Brochmannus) cum innumeri alij Principes & diuites longe pretiosius, & elaboratius habuerint sepulchrum de quo tamen nunquam dicitur, futurum gloriosum.

6. 4. Nouum quoq; testamentum luculenta testimonia suppeditat nam. 1. mulier hæmorrhoissa cum fide reuerenter tangens Christi fimbriam, curatur. Math 9 ℣. 21. 22. 2. per vmbram Petri ab infirmitate multi liberantur Act: 5. ℣. 15 3. per semicinctia, sudaria Pauli ab infirmitate, plurimi curantur. Ergo hæc ejusmodi per quæ tanta dignatus fuit Deus operari merito religiosâ veneratione coli debent. His replicat, Brochmannus; non ea fuisse mortuorum, sed viuorum opera. quasi vero minus

to minus essent potentes apud DEum, ad impetrandum aliquid immortales, quam mortales? Arca certe inanima fuit, ad quam tam admiranda patrauit DEus. & ossa Elisæi sine vitâ fuerunt. Ergo nihil refert reliquiæ ne mortuorum sint, ân viuorum: cum tam in his, quam in istis suam possit DEus potentiam ostendere.

Deniq; cum certum sit, res multas quamuis inanimas (Arcam videlicet, & quæ in ea continebantur, Virgam Moysis, Manna) diuino jussu, religioso cultu fuisse affectas, (vt demonstratione de S.S. Imaginibus fusius probaui) hoc inde argumentum formo: ratio ob quam DEus, Arcam & alia religiosè voluerit honorari duplex tantum assignari potest 1. vel quia rationem habuerunt rei ad DEum peculiariter spectantis; nempe sedis, seu scabelli DEi. 2. quia per illa DEus tanquam per aliquid, quod voluit agnosci peculiare suum, & per quod, vt tale voluit honorari, mira dignatus operari est. Sed vtraq; hæc ratio in Reliquijs clarissime elucet. Ergo eodem cultu honorandæ sunt.

Major certa est, aut aliam rationem assignent Aduersarij.

Minor probatur quoad primum: quia longè potiorem rationem rei peculiariter

ad DEum

ad Deum ſpectantis habet quam Arca, v.g. Sacroſanctæ ſignum Crucis, in quo non Angelus quiſquam, (velut in Arcâ) perſonam Chriſti repræſentans, ſed ipſe Deus in propriâ perſonâ noſtræ ſalutis opus conſummauit. Nunquid etiam SS. Corpora Sancti Spiritus habitaculum fuiſſe conſtat, & vaſa ſeu inſtrumenta electa, per quæ Deus locutus, & miranda patrare dignatus eſt?

Quoad alterum, certum eſt, per Sanctorum corpora & alias reliquias, Deum, tanquam per res, quas vt ſuas, & amicorum ſuorum agnoſci & honorari voluit; non pauciora, nec minora miracula feciſſe, quam per ipſam Arcam. niſi ream mendacij arguamus Eccleſiam totam primitiuam, & omnes SS. Patres c 1. memoratos; & omnium teſtimonia ſæculorum, quæ innumera ad SS. Reliquias miracula patrata profitentur, quibus refragrari non ſine inſaniâ manifeſtâ licet. Certum autem eſt, duabus potiſſimum de cauſis ad Reliquias Sanctorum hæc à Deo miracula patrari. 1. vt oſtendat, & confirmet Sanctos illos ad quorum reliquias tam miranda fiunt, verè Sanctos fuiſſe, veram Chriſti fidem habuiſſe & etiamnum cum Chriſto glorioſos eſſe; vt demonſtratione de Notis Eccleſiæ docuimus. 2. vt oſtendat Deus ſe illos honorari

norari vt amicos ſuos velle, per quorum interceſſionem, & ad quorum oſſa, & alias Reliquias, hominibus beneficia tanta confert. Videmus enim nullá re fortius ad Reliquias aliquas colendas homines moueri, & vrgeri, quam cum vident tantam exire de hujuſmodi virtutem, tanta ad illas miracula patrari,

Quamobrem has ob cauſas modo allegatas facile concedent Aduerſarij, niſi penitùs pertinaces ſint, Reliquias Sanctorum religioſo cultu honorari poſſe, & debere. facilius autem ſi conſiderare non faſtidiant, quæ his adjungimus. 8.

1. Catholicos Sanctorum Reliquias honorare vt eum præcipuè venerentur, cujus illi gloriæ velificati ſunt teſtimonio fidei clari, & illuſtres qui dixit: *qui vos recipit, me recipit.*

2. Quod ea dignâ veneratione colant, quæ Deus illuſtria prodigiorú admirabilitate reddidit.

3. Quod id colant & obſeruent, quod organum diuini Spiritus, & gratia in maximis rebus conſequendis, & virtutibus, inſtrumentum fuit.

4. Quod ijs corporibus jam deſponſa, deſtinataq; ſit reſurrectionis gloria; quodq; eorum corruptionem beatæ immortalitatis germen comitetur.

5. Vt Sanctorum Martyrumq; ex hau-

ſtos la-

ſtos labores, obita ſummâ conſtantiâ certamina, lætiſſimos triũphos in memoriā reuocent.

6. Vt ad eorum imitationem incitentur, cum ſimilia noſtris corpora habuerint, DEum eundem, fidem, atq; legem, eaſdem deniq; pollicitationes perennium bonorum.

7. Vt eorum pignorum præſidio & geſtatione dæmonibus fiant formidabiles quod exemplis innumeris probari poteſt, dæmonum, Reliquias Sanctorum metuentium, fugentium.

Deniq; conſiderent, Aduerſarij cautelam quam in Reliquijs colendis earumq; delectu adhibet Eccleſia Romana, dum Antiſtitibus præcipitur vt inuigilent, & animo excubent, ne ficta temerè & inaniter miracula, ne incertæ & nouæ reliquiæ omnino admittantur. Hæc inquam ſi perpendant Aduerſarij, rem piam ac Sanctam eſſe Reliquias ſacras religioſo cultu venerari, aſſerere cogentur.

CAPUT 3.

Obiectiones Aduerſariorum diluuntur.

9. PRæcipua aduerſariorum argumenta in compendium redacta, ſunt iſta: primũ

ex

ex Scripturis; Math: 23. ℣. 29. reprehendit Pharisæos Christus *væ vobis* inquit, qui *ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta justorum.* Ergo non sunt hæc ornanda, multo minus religioso cultu veneranda.

Respondeo cum Chrysostomo Homil: 75. in Math: negando Christum reprehendisse Pharisæos propter ornatum quem adhibebant sepulchris prophetarum.

Ratio enim & verba Chrysostomi sunt hæc: *non quia ædificant, nec quia patres suos accusant, væ illis dixit, sed quoniam ita facientes, & ita dicentes, patres suos condemnare audebāt, cum ipsi peiora committerent* nec obstat his quæ dicit Lucas cap: 11. *testificamini quia consentitis operibus patrum vestrorum, quia illi prophetas occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra,* nam ex his verbis colligitur significasse Christū, hanc actionem Pharisæorum duplicem finem habuisse. 1. vt prophetas honorarent, & arguerent majores, à quibus occisi erant. propter quod non reprehendit eos Dominus.

2. Vt ostenderent se tegere velle illos, quos occiderant, majores, & ita consentirent in necem prophetarum. Sicut qui aliquem occidit, non semper eum sepelit, vt honoret eum, sed vt compleat actum

homicidæ. quia ergo Iudæi secundum faciebant, & ab hominibus videri volebant facere primum; ideo illos de hypocrisi arguebat. quod autem secundum intenderint, indè patet; quod quærerent occidere Dominum prophetarum, tantum abest, vt dolerent occisos à suis Majoribus alios prophetas. juxta quem sensum concedi potest eos reprehensos à Domino fuisse quia ornabant monumenta prophetarum, videlicet non ex bono fine, sed ex hypo-
10. crisi, & intentione malâ.

2. Obijciunt omnem cultum arbitrarium, seu voluntarium damnari à Paulo Colosſ: 2. ℣. 23. at cultus Reliquiarum cum à Deo non sit institutus, est hujusmodi, ergo ab Apostolo damnatur.

Respondeo negando minorem, cultus enim reliquiarum non est cultus voluntarius, seu tantum ab hominibus excogitatus, sed à Deo inspiratus. approbat enim Scriptura cultũ sepulchri, fimbriæ Christi, vmbræ Petri, sudariorum, & semicinctiorum Pauli, & alios ex sacris literis supra enumeratos.

3. Obijciunt, absconsum esse Moysi corpus, ne Iudæi illud colerent; ergo similiter Reliquiæ abscondendæ sunt.

R: non ideo Moysis corpus absconditum esse, ne illud simpliciter Iudæi colerent,

rent, sed cum essent in Idolatriam propensissimi, ne illud pro Deo haberent; & tanquam Deum adorarent. quod periculum cum non sit apud Christianos, fit, vt Reliquiæ securè coli possint.

4. Brochmannus vnico tantum fundamento posito omnem Reliquiarum cultum euertere conatur, ait enim, ideo non esse reliquias honorandas, quia id nullibi in totâ sacrâ scripturâ præcipitur. II.

Verum respondeo 1. si hoc quidquam concluderet, non minus contra ipsum, quam contra Catholicos pugnaret, cum enim ipse asserat reliquias quoq; certo modo honorandas esse, quomodo hoc affirmare audet, cum id nullibi in totâ scripturâ præceptum legerit?

2. Licet nullibi de Reliquijs sacris honorandis præceptum sit, nullibi etiam vetitum inuenitur, atq; adeo hoc argumentum nihil probat: sufficit nos habere exempla. nam res aliquas inanimas jussas esse coli & honorari, vt Sanctas, & honore tali dignas, certum est ex Arcâ fœderis, & alijs non paucis, vnde præceptum hoc deduci potest: videlicet etiam voluisse Deum, vt rebus eandem cultus, & honoris rationem habentibus, honor & cultus idem deferretur. in Reliquijs autem Sanctorum eandem & majorem rationem esse

cultus & venerationis, quam in Arcâ, capite 2. clarè probauimus. ergo præcipitur vt idem cultus illis deferatur.

3. Cum etiam exemplis. Scripturæ constet quædam corpora, & ab hominibus, & à Deo fuisse honorata, manifestè sequitur etiam hoc nunc posse fieri ab hominibus.

Nam in primis fuit honoratum corpus Ioseph Exod. 13. dum illud Moyses cum toto populo Hebræo honorificè transtulit in terram Sanctam. Item honorauit Iosias ossa prophetæ, dum alijs omnibus ossibus è templo ejectis, Sancti prophetæ ossa ibidem reperta, reseruari voluit Deus autem honorauit corpus Moysis, proprijs manibus id sepeliendo. Deut: vlt: Item corpus Elisæi, virtute miraculorum illud decorando. Cum ergo & Deus & homines in sacris litteris Reliquias & ossa Sanctorũ legantur honorasse, summæ impudentiæ censeri debet, negare licitum esse, Reliquiarum & ossium Sanctorum cultum. blasphemè enim Deum, & Scripturam Sacram tales reprehendunt.

5. Deniq; ajunt cultu reliquiarum, cultum Deo debitum imminui.


Respondeo falsum istud esse, sed contra potius augeri assero. quia cum Reliquiæ Christi peculiari modo Christi sint; &

Reli-

Reliquiæ Sanctorum res sint amicorum Dei, seu Christi, fit vt quò quis plus defert honoris non solum Christo sed & rebus etiam minimis, quæ peculiariter sunt Christi, eo majorem reuerentiam & amorem erga Deum habere se demonstret. Et sicut honor personis Principis delatus & rebus quæ sunt peculiariter principis in principem redundat; Princepsq; non sibi solùm, sed etiam talibus personis, & rebus, vult honorem peculiariter deferri. sic & Deus: ut in Arcâ, alijsq; rebus patet. Ergo honor & cultus reliquiis delatus, quæ singulariter sunt Dei, & amicorum ejus, in Deum totus & finaliter redundat. non igitur per reliquiarum cultum honor Deo debitus minuitur, sed augetur quod clari⁹ patet ex rationibus pro reliquiarum cultu superiori capite num: 56. adductis.

Stat ergo inuicta Catholicorum erga Reliquias Sanctorum pietas.





DEMONSTRATIO. XIII.

Quâ ostenditur Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia negat celebrandos esse Sanctorum festos Dies, quos Ecclesia vera Primitiua coluit & celebrauit.

CAPUT I.

Ecclesia primitiua Sanctorum festa seruauit.



I. An: 80. *Onstitut: Apost: l. 8. c. 33. quibus diebus sit feriandum famulis.*

In diebus SS. Apost: vacent &c. in die Stephani protomartyris item vacent, ac reliquis diebus Sanctorum Martyrum, qui Christum vitæ suæ anteposuerunt.

An: 170. *Ecclesia Smyrnensis Epist: ad Ponti Ecclesias, de S. Polycarpo Martyre: Celebremus ejus Martyrij diem instar natalis festi, cumq; exulta-*

exultatione & gaudio quantum fieri potest, maximè recolamus: idq; cum ad Martyrem memoriam qui antea tale certamen confecerunt: tumq; ad eorum exercitationem, mentisq; ad talem constantiam præparationem, qui postea Christum in eo genere mortis confessuri sunt.

Origines lib: 30. in Iob. *Mortis diem celebramus, vtpote omnium dolorum depositionem, diem mortis celebramus quia non moriuntur hi, qui mori videntur. Propterea & memorias Sanctorum facimus.* An: 230.

Cyprianus Epist: 34. de Celerino & cæteris Martyribus *Sacrificia pro eis semper, vt meministis offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniuersariâ commemoratione celebramus.* A. 250.

Eusebius Alexandrinus Æmil: de SSis colendis. *Ob hanc causam præcepit nobis memorias Sanctorum celebrare, vt acceptis hymnis & auditis laudibus benignum* DEVM *exorent vt preces nostras caducas admittat Oportet ergò vt qui memorias Sanctorum celebramus, multâ religione celebremus.* An: 260.

Felix Primus Epist: 2. *Tales perturbatores Ecclesiæ non solum prædicta agunt mala, sed & memorias Martyrum execrantur. Quapropter & in præsenti constituimus Synodo, vobisq; & omnibus Ecclesiis tenendum & agendum mandamus, vt super Memorias Marty-* An: 270.

rum Missæ celebrentur ne memoriæ eorum extingui à talibus aut veneratio eorum possit prohiberi.

An: 320. Eusebius Cæsariensis Vitæ Constantini lib: 4. cap: 23. *Etiam ad ipsos gentium præfectos Imperatoris nutu & voluntate edictum perlatum est, vt illi perinde Dominicum diem venerarentur. ijdem consecratos Martyribus dies honore prosequebantur, & festorum solemnitates in Ecclesijs celebrabant: quæ omnia secundum Imperatoris voluntatem gerebantur.*

An: 350. Synodus Gangrensis canone 20. *siquis arrogantiâ vtens & Martyrum congregationes abhorrens, & sacra quæ in ijs celebrantur & eorum memorias recuset, anathema sit.*

An: 370. Ephræm Syrus lib: 2. de Pœnitentia: *Cum Sanctorum memorias celebramus, memores simus omnium debilium, viduarum pupillorum peregrinorum & pauperum.*

An: 370. Basilius Magnus in 40. Martyres. *Quis modus aut quæ satietas Martyrum memoriam prosequendi erit, Illi præsertim, qui eorum amore ac charitate magnopere tenetur? Nam honor in bonos à conseruis collatus beneuolentiæ significationem habet apud communem Dominum.*

An: 370. Ambrosius multis in locis ac præcipuè lib: 1. de Virginibus & lib: 3. item sermone 63. 67. & sermone 7. qui est de S. Laurentio & 72. de S. Cypriano. Grego-

Gregori⁹ Nanzianzenus Orat: 3. quæ est in Iulianum *Nec magnos pugiles extimuisti Ioannem illum, Petrum & Paulum, Iacobum, Stephanum Lucam&c: quib⁹ præclari honores & festa sunt constituta, in quib⁹ Dæmones propellūtur& morbi curātur & alijs multis in locis.*

Gregorius Nyssenus Oratione in Theodorum Martyr. & oratione in Gregorium Miraculorum Opificem. *Apud omnes vbiq; populos sanciebat, vt nomine eorum, qui pro fide decertassent, dies festi atq; solemnes conuentus celebrarentur; ideoq; lætabantur in honorem Martyrum ferias agentes.* An: 380. 2.

Omitto innumeros ejusdem & sequentium sæculorum Patres atq; Concilia quæ vbiq; testantur in primitiua Ecclesia dies festos Sanctorum celebrandos fuisse, ideoq; jam etiam illos celebrandos esse.

Ex quibus luce meridianâ clarius patet.

1. Celebrationem solemnem dierum festorum non recens inuentam, sed in ipsa primitiua & Apostolis vicinissima Ecclesia institutam & magna cum pietate seruatam fuisse. patet. 2. Lutherum dum ait in libello de formula Missæ *Omnium Sanctorum festa prorsus abroganda putamus.* Item de Cæremonijs Ecclesiæ seruandis *Festa Sanctorum in vniuersum aboleantur*, ab hoc tam vetusto instituto recessisse,

cessisse, cum sequacibus suis, & consequenter dissentire à Primitiuâ Ecclesiâ; Festa verò ab Ecclesiâ instituta cum Catholici piè & religiosè obseruent, hac in re, vt in alijs omnibus cum *Ecclesia primitiua* consentire.

CAPUT 2.

Festos dies celebrandos esse probatur.

LVtherus locis paulò ante memoratis omnia festa quidem absolutè tollenda esse censuit; non ita tamen nunc ejus asseclæ.

3. Nam VVratislauienses & pleræq; Lutheranæ per Germaniam Respublicæ non nihil hac in re Magistro suo religiosiores videri volunt, ideoq; festos quosdam dies celebrant, Paschæ videlicet, Pentecostes Natiuitatis & Ascensionis Domini Apostolorum omnium S. Ioannes Babtistæ, S. Stephani, Conuersionis D. Pauli, Qui sic coluntur vt diem medium templorum frequentationi, alteram verò partem seruilibus operibus tribuant, quo in cultu licet propiùs ad Catholicos accedant, quam Lutherus & omnes Caluinistæ; in tribus tamen à nobis potissimum dissentiunt.

1. Quòd

1. Quòd dies festos alijs non festis esse Sanctiores negent, sed eos tantũ asserant determinatos certi ordinis ac politiæ causâ, neq; aliam habere sanctitatẽ, quam quod ab Ecclesiâ ab alijs diebus in publicum Dei cultum, separati sint. 4.

2. Quòd præter hæc memorata festa, Sanctorum aliorum nullum sacrum diem celebrandum censeant.

3 Quòd negent ullum ad hos dies festos celebrandos in conscientiâ obligari, sed â libertate Christianâ suum cuilibet arbitrium permitti.

Quæ tria cum Doctrinæ Catholicæ repugnent Ostendam primò non solùm ordinis ac politiæ gratiâ, sed propter Mysterium etiam potissimum dies festos celebrari; ideoq; alijs diebus eos sanctiores ac sacratiores esse.

1. Festi Dies ex institutione suâ ordinati sunt ad cultum Dei (spectant enim ad præceptum primæ tabulæ, & legem naturalem) sed quod ex institutione suâ ordinatum est ad cultum Dei Sanctum est & venerabile; neq; ad ordinem & politiam primariò & per se institutum est; ergo dies festi Sancti sunt & venerabiles, neq; ad ordinem aut politiam primariò instituti, & consequenter alijs diebus ad hunc finem non peculiariter ordinatis, Sanctiores ac sacratiores sunt habendi. 2. Si

2. Si festa tantũ forent politiæ & ordinis causâ solùm instituta sequeretur tam contra Luheranos quàm Catholicos omnia omninò festa, præter Dominicas & quæ semper in eas incidunt, tollenda esse. Cum enim sæpe vel in diem sabbathinũ vel aliũ Dominicæ vicinũ aut in forenses negotiationes destinatum incidant, ordinẽ politicũ longè magis turbant, quam constituunt.

3. Certum est Dominicum diem coli in memoriam resurrectionis Domini, vt fatentur omnes, ergo non solum ratione ordinis ac politiæ, sed potissimum ratione mysticæ significationis celebratur. Quod cum de Dominicâ die certum sit, id etiam eâdem ratione de alijs dicendum erit.

4 Si tantum ratione ordinis ac politiæ festi dies essent, sequeretur omnes festos dies in se æquales esse. Quod esse falsum ipsi Lutherani fateri coguntur; dum Dominicas, & quædam festa, vt Natiuitatis Dom: & alia nonnulla toto die celebrant, alia vero medio tantum die, vt innuant quædam alijs esse digniora. Quod si non in se (cum omnes dies in se pares sint) ergò ratione Mysterij, quod vnum diem alio digniorem & sanctiorem facit.

5. Deniq; his accedit quod passim SS. Patres & Ecclesia Primitiua, vt cap: 1. demonstrauimus, Dominicas & quosdam

dam dies festos, sacros, Sanctos Mysticos, religiosè colendos nominent. Ergo significant & asserunt, majorem aliquam ijs inesse Sanctitatem quam diebus alijs. Non igitur; tantū politiæ causâ sed propter Sanctitatem celebrandi sunt.

Si autem aduersarij contendant, dies omnes æquales esse ratione Ordinis, faciles illud damus. Ita tamen, vt concedant etiam inæquales esse ratione Mysterij, quod illo die celebratur, cum enim in die Paschatis honoremus Christi resurrectionem, negari non potest, quin Paschatis dies sit solemnior quàm dies alij.

Secundum in quo ab aduersarijs dissentimus de festis etiam plurium Sanctorum aliorum, quæ ab Ecclesia proponuntur celebrandis facilè probatur, Cum enim in sacris literis Veteris testamenti festa celebrentur ad recolenda diuina beneficia (vt ex sabbatho & sortium festo patet) etiam Sanctorum aliorum festa in hunc finem celebranda sunt. 5.

Magnum enim benificium censendum est alicujus sancti beata consummatio: Inde enim toti Ecclesiæ militanti fortitudinis exemplum & novus apud Deum patronus & de diabolo novus & perfectus triumphus agitur. Quas ob causas cùm Apostolorum festa Lutherani celebrent,

etiam

etiam Sanctorum aliorum quos Ecclesia proponit eadem ratione celebranda erunt.

Potissimum cum tota Primitiua Ecclesia hoc seruauerit & porrò etiam seruandum in posteros decreuerit. vt cap: 1. per inductionem dæmonstrauimus.

6. Tertium negant Aduersarij vllam, vti diximus in conscientiâ obligationem esse, ad dies festos celebrandos, verum contrarium probatur. Certum est dies festos vt festos jure diuino celebrandos esse, ergo omnes dies, qui festi sunt etiam obligant in conscientia; quia omnia, quæ in jure diuino præcipiuntur ita, obligant Nec refert quod ab hominibus festa sint determinata. nam cum jus diuinum nullos dies determinet, debuit in Ecclesia potestas esse eos determinandi, si enim talis potestas in Ecclesia non esset, neq; dies Dominicus, neq; festum Paschatis neq; aliud vllum festum obligaret. Ergo cum omnia alia festa ab eadem potestate in jure diuino fundatâ, sint statuta; eodem modo omnia sicut dies Dominicus in Consciētiâ obligabunt. Diem autem Dominicum in conscientia obligare fatentur aduersarij.

CAPUT 3.

Refellun-

Refelluntur Obiectiones Aduersariorum.

Contra Primum obijciunt Aduersarij asserentes dies omnes æquales; & festos, Ordinis ac Politiæ causâ tantum venerandos esse. 1. Rom: 14. ℣. 5. *Alius judicat inter diem & diem alius omnem diem.* Ergo Omnes dies sunt æquales. 7.

℟. 1. Apostolum nihil hic agere de festis, nullam enim de his in præcedentibus mentionem fecit, Ergo nihil est contra nos. 2. agit ergò de Iejunijs, vt sensus sit, alius judicat diem inter diem, alius omnem diem. Id est, aliqui Iejunant certis diebus, vt feriâ 4. 5. 6. vel sabbatho: alij jejunant omni die, & vtriq; rectè agunt. Nihil ergo est contra dierum festorum Sanctitatem.

2. Obijcit Brochmannus, Omnis dies in nouo Testamento ad precandum æque aptus est Ioh: ℣. 4. 13. Timoth: 2. ℣. 8 & quiuis dies celebrandis sacris naturâ suâ æquè accommodus est. Luc: 18. ℣. 1. 2. 3. 1. Thessa: 2. ℣. 13. Et Apostoli, vt hoc exemplo declararent, quouis die ad sacra celebranda cum suis Auditoribus conueniebant. Act: 1. ℣. 14. & 2. ℣. 42. Ergo dies vnus altero non est sanctior. 8.

Respondeo 1. Argumentum hoc tam

bene

bene festis Lutheranorum repugnare, quàm nostris.

Respondeo 2. per hanc obiectionem nihil aliud probari, quam omnem diem aptum esse, vt laudetur Deus, & honor ejus promoueatur; quod omninò certum est. Atq; ideo in Ecclesia etiamnum omni die oratur, & sacrificia offeruntur. Stat tamen quod asserimus dies aliquos ad similia aptiores esse alijs, propter Sanctitatem, & mysterium, quod recolimus in illis. Experientia enim constat tam apud Catholicos quàm Lutheranos, longè solemnius & feruentiùs, coli diem Paschatis quàm alios; idq; propter maximũ Mysteriũ cui rememorando dies ille consecratus est, Ergo constat diem vnum altero solemniore esse.

Contra alterum, hoc est, Festorum multiplicitatem in Ecclesiâ Romanâ determinatam, varia quidem sed exigui momenti obijciunt ê quibus hæc præcipua.

9. 1 Obijciunt plurima noua festa, quorum nulla in primitiua Ecclesia fit mentio.

Respondeo. Id absurdum nullo modo posse dici, cum etiam semper recentia Dei beneficia recipiamus, & occasiones celebrandorum festorum. quando enim eadem sæpe ratio ponitur ob quam antiqua

festa celebrata sunt in Ecclesiâ Primitiva; sequitur etiam eundem effectum seu solemnitatem posse statui. Quod à Iudæis in sacris literis obseruatum legimus, nam successiuo tempore varia sunt ab ijs instituta festa, præter illa quæ Deus ipse per Moysen instituerat, vt patet de festo sortium, propter liberationem tempore Hester, & de festo ob victoriam Iudith; deq; festis dedicationum tempore Salomonis, & alijs ab Esdra & Machabæis institutis

Obijciunt 2. ab Imperatoribus prophanis festa quædam promulgata esse; vt Assumptionis à Mauritio, Purificationis à Iustiniano, quibus cum non esset potestas hæc instituendi, sequitur ab alijs non debere celebrari. 11.

Respondeo. Falsum esse Antecedens. nullus enim hæc instituit Imperator, sed à dictis Principibus aliquid solum fuit additum ad ciuilem festorum horum celebritatem. Constat enim multis centenis annis ante dictos Cæsares duo hæc festa, ab Ecclesiâ primitiuâ fuisse instituta, & seruata.

Deniq; obijciunt 3. Quod hic festorum cultus videatur Idololatriam sapere, cum enim in lege veteri sanctificare festa, sit præceptum primæ tabulæ, & ideo ad solius Dei cultum spectet, dum festa Sanctorum 12.

 coluntur,

coluntur, creaturis tribuitur, quod soli Deo conuenit.

Respondeo 1. Si hoc quicquam probaret etiam contra Lutheranos militaret, qui festa Apostolorum celebrant.

Respondeo 2. Festa Sanctorum Deo dicari, sed in Sanctorum memoriam quorum festa celebrantur, atq; ita licet honor ille seu cultus etiam terminetur immediatè ad sanctos, non est tamen cultus ille latriæ, qui soli Deo debetur, sed Duliæ qui etiam creaturis defertur; procul ideo abest Idololatriæ suspicio.

13. Contra 3. de festorum obligatione, sic arguunt:

Si festorum obseruatio obligationem inducit, erit intolerabilius jugum Christianorum, quàm fuerit Iudæorum de quo Petrus ait Act: 15. *Nec nos nec Patres nostri portare potuimus* quia longè plura festa Catholici celebrant, quàm in ueteri lege Iudæi. Accedit quod Socrates lib: 5. c. 21. Dies festos liberos esse scripserit, & impositam necessitatem reprehenderit.

Respondeo. Licet plura Christiani celebrent festa, quàm olim Iudæi, non tamen inde sequi jugum illorum grauius esse, quam horum: festa enim Iudæorum in se grauia verè fuerunt, quod inde constat, quia singulis Sabbathis vetebantur accen-

cendere ignem, cibum coquere, facere iter nisi ad modicum spatium, oportebat præterea ter, in anno ad quædam festa, proficisci Hierusalem, etiamsi longissimè abessent. Item in Paschate per dies septem comedere cogebantur insipida azyma, qui Deut: 15. ideo vocatur panis afflictionis; & lactucas agrestes amaritudine plenas, & alia multa, quibus onerosa festa reddebantur. At nostra festa nihil habent laboris ideoq; vocari jugum intolerabile nequeunt. Quod autem Petrus veterem legem vocet intolerabile jugum, non illud ob festa, sed propter innumeras alias minutissimas cæremonias, dixit. Socratis testimonium nullius momenti est, cum enim ipse Nouatianus hæreticus fuerit, contra nos ejus auctoritas ruit.

Et hæc de Festis dicta sufficiant.



EPILOGVS

Siuè

ANACEPHALEOSIS

Omnium quæ, in utraq; parte dicta sunt.



Abes, Amice Lector, in duobus his Opusculis, sex supra viginti præcipua Religionis Capita, de quibus hoc tempore, Catholicos inter & Lutheranos, concertatur. Ostendimus Doctrinam, quam de illis Ecclesia Romana tradit, partim in Sacris literis clarissimè fundari, partim etiam ex ijs infallibiliter deduci. Cum autem inter nos & Adversarios, de Sacræ Scripturæ sensu, & intelligentia præcipuum certamen sit, & utraq; pars dissidentium, verum ac genuinum, se habere sensum asserat; necessario Iudicem appellandum esse, ratio persuadet; qui tantam inter Partes emergentem Controversiam componat, judicetq;, utra Doctrinam suam è sacris literis rectè intellectis, certius & manifestus confirmet; ac consequenter demum etiam declaret, Catholicane an Lutherana vera Apostolica Ecclesia, & immaculata Christi Sponsa sit, adversus quàm portæ Inferi nihil sint prævaliturae.

At

At vero cum in hoc Iudice deligendo nova denuo & potissima difficultas sit, & ipsam pro Iudice scripturam, de qua litigatur, Adversarij obtrudant, clarè demonstravimus ipsam Legem (qualis est Scriptura,) non posse esse sui ipsius Iudicem. Res Exemplo declaretur: Christus in ultimâ Cœnâ Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum in Apostolorum omnium consessu instituturus, hæc verba protulisse legitur: Matth. 26. ℣ 26. Luc. 22. ℣ 19. *Hoc est Corpus meum*, quæ verba cum simpliciter, & uno modo omnes intelligant, & semper intellexerint Catholici. Lutherani uerò plurimos, imò aliquot supra viginti, non minus inter se: quàm á Catholicis diversas, de illis explicationes adferant necessariò Iudex est quærendus, qui infallibiliter demonstret, quæ tandem ex omnibus genuina sit & vera, cui Christianos omnes acquiescere necesse sit. Frustra verò litis hujus Iudicem constituunt Scripturam ipsam Lutherani. Nam vel hujusmodi producent, quæ nullibi in Sacris Literis reperire est; Vbi enim scriptum legitur, *In*, *Cum*, *Sub*, per quas propositiones, verum sensum in verbis Christi supra dictis constitui volunt Adversarij? aut certè ad horum explicationem alia iterum loca, ex Sacris Literis conquirent, quæ, cum non-

minus dubia, futura sint, quam prima, pro illis iterum alia quæri oportebit; & ita in infinitum procedetur, & causa nunquam judicabitur, nec ullus Controversiæ exitus reperietur. Quæ cum certa sint, & luce meridiana clariora, nemo non evidenter videt, quanta sit, necessitas alium extra Scripturas investigandi Iudicem. Illud ipsum etiam ingenuè fatente celebri quodam inter Lutheranos Theologo D. Henrico Hôpfnero Sax: Evang: fol: 185, ubi ait. *Hæc ipsa duo instrumenta judicandi & decidendi hanc quæstionem (videlicet quæ Religio sit vera) monstrat Chrysostomus T. 33. in Acta, ex professò tractans hanc Quæstionem: quo pacto Ecclesia inter plures Societates, quæ hoc sibi Nomen vendicant, possit discerni. Primó nominat verbum DEI, tum Doctrinæ, non ab aliquo recentiore excogitatæ, sed ab ipso Ecclesiæ nascentis principio semper cognitæ qualitatem.* Ex quibus verbis patet, quanta sit efficacia Veritatis, quæ ex ipsis etiam Adversariis sui Confessionem exprimat. Fatetur enim ille Lutheranus Chrysostomum secutus; ab exordio nascentis Ecclesiæ, non â novitiis quibusdam opinionibus veræ Doctrinæ certitudinem quæri oportere. Quæ cum sine genuina Scripturarum explicatione nequeat reperiri, necessariò fateri cogitur, veram ac certam Scriptura-

rum interpretationem, non ex Scripturis tantum, ſed ab alio etiam Iudice petendam eſſe.

Iudicem ergo illum cum Doctoribus Orthodoxis omnibus, aſſerimus eſſe veram Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, cuius eſt dubia Scripturarum loca & Controverſos ſenſus explicare. Et quia hinc nova lis exoritur, in hac verá ſcilicet Eccleſia Apoſtolicâ cognoſcenda, cum omnes talem Eccleſiam ſuam eſſe aſſerant, & in hoc probando Scripturas pro ſe proferant, ne circulus probationum oriatur, utroq; hoc Opuſculo Eccleſiam quandam Iudicem conſtituo, quæ omnium partium, hoc eſt, conſenſu Adverſariorum omnium, Eccleſia vera, Apoſtolica & pura Chriſti Sponſa fuit.

Ea eſt Eccleſia, quam Chriſtus ipſe tanquam ejus Author & vnicus Fundator in terris inſtituit, & poſt ſuum ad Cœlos abitum Apoſtolis tanquam Succeſſoribus Vicariisq; ſuis gubernandam tradidit. Illam autem Eccleſiam cum in ipſis ſuis incunabulis, hoc eſt, primis Apoſtolorum temporibus, & tribus quatuorve ſæculis proximè ſequentibus immaculatam Sponſam Chriſti, verè Catholicam, & Apoſtolicam fuiſſe, & in nullo ſubſtantiali Fidei articulo erraſſe, ultro lubentes fatentur Adverſarij;

 neceſſe

necesse est quoq; illos fateri, illam Eccle-
siam veram & infallibilem Doctrinam habuisse, ut ea omnia Scripturarum loca, quibus Substantialia veræ Fidei fundamenta innituntur, juxta verum & genuinum sensum intellexerit, & interpretata sit.

Quæ cum certa sint, & irrefragabilia, certum quoq; & irrefragabile censeri debet, hanc Ecclesiam primitivam Catholicam, aliarum Ecclesiarum unicam & perfectissimam Idæam, & omnium de Fide & Scripturarum sensu Controversiarum infallibilem Iudicem censendam & habendam esse. Si perfecta & sola sit Idæa, ut re vera est, evidenter sequitur, eam quoq; tot inter diversas horum temporum Ecclesias, veram & Apostolicam Ecclesiam habendam esse illam, quæ huic perfectissimæ, & unicæ Ideæ quàm maximè conformis est. Omnes verò cæteras Ecclesias, tantum ab Ecclesiæ Veritate aberrare, quantum à proposita Idæâ & Prototypo difformes sunt. Et porro cum sententias omnes Scripturarum, quibus fundamenta Fidei nituntur, in vero ac genuino sensu explicaverit, (si enim in ijs errasset, vera Ecclesia non fuisset,) sequitur eam certum ac infallibile judicium, de omnibus jam Controversiis & dubiis, Scripturæ locis protulisse. Cui certo & infallibili Iudicio

qui

qui ſtare nolunt, clarum eſt, eos Eccleſiæ veræ & infallibili rebelles; êcontra verò Eccleſiæ veræ Chriſti Sponſæ filios certos & ſolos eſſe qui huic judicio, & infallibili explicationi Eccleſiæ Apoſtolicæ acquieſcunt.

Nunc ergò cùm Articulos illos omnes Religionis controverſos, utroq; hoc Opuſculo comprehenſos, ſic intellexerit, ſenſerit & docuerit Eccleſia Apoſtolica primitiva, prout eos ab illâ doctos, & intellectos fuiſſe diximus; ac in ſpecie quidem Traditiones obſervandas; Sub una ſpecie, licitum SS Euchariſtiam ſumere, & in ea nullam poſt conſecrationem, Panis & Vini, ſubſtantiam inveniri; dari incruentum ac verum Miſſæ Sacrificium; Sanctos invocari, & eorum Reliquias & Imagines, Religioſo cultu honorari poſſe: Dari Purgatorium; & merita bonorum Operum; neq; ſolâ fide juſtificari Peccatorem: Septem eſſe vera Sacramenta, & Confeſſionem particularem omnium noxarum homini poſt lapſum eſſe neceſſariam; Opera ſupererogationis. & ſatisfactionis dari; jejunia & dies Feſtos, juxta Eccleſiæ præſcriptum, obſervandos, & totius Legis poſſibilem eſſe adimpletionem, aliaq; plura. Hæc, inquam, cum ita crediderit Eccleſia primitiva Apoſtolica; ſequitur primò eam

hæc omnia credendo, & docendo conformem Sacris litteris, doctrinam tradidisse; recto ac genuino Scripturarum sensui firmiter inhæsisse; nec in ullo substantiali ab ijs recessisse. Alias enim vera Ecclesia esse desiisset.

Sequitur Secundò, modernam Ecclesiam Romanam, quæ in omnibus allegatis demonstrationibus totius primitivæ, & Apostolicæ Ecclesiæ doctrinam sequitur, & eidem firmissimè adhæret, tam veram, certam & infallibilem Ecclesiam censendam esse, quam fuit illa primitiva; Imò cum in nullo essentiali differat, eandem esse in hæc usq; tempora continuatam & productam, ac nunquam interruptam, asserere debemus.

Sequitur Tertiò, Omnes alias Ecclesias, quæ à Doctrinâ, quam de prædictis Controversiis Ecclesiam primitivam, Apostolicam tradidisse diximus, vel minimum dissentiunt, à vera Ecclesia & Doctrina vera dissentire, eósq; si pertinaces maneant, pro Hæreticis habendos esse.

At verò, quod potissimum superest probandum, videlicet primitivam Apostolicam Ecclesiam, omnia eo modo docuisse in Articulis supradictis; & S. Scripturam, eo sensu interpretatam esse, sicut ibi affirmamus eam docuisse, & interpretatam fuisse

fuiſſe; Et ſicut Eccleſia Catholica Romana, etiamnum eam docet, credit & intelligit, hoc, inquam, clariſſima Teſtimoniorum luce demonſtramus. Patres enim omnes, quorum his de rebus extant ſcripta, & qui primitivæ illius Apoſtolicæ Eccleſiæ pars, & membra potiſſima fuerunt, in medium produximus, qui eadem omnia, quæ & ipſi ab Apoſtolis, eorumq; immediatis Succeſſoribus credenda acceperunt, per continuam, & infallibilem ſucceſſionem nobis tradiderunt: quibus ſi fides ſit habenda, quando teſtati ſunt Evangelium, *verbi gratiæ*, Matthæi verè Canonicum librum, ac Dei verbum eſſe, par etiam illis habenda Fides erit, quando aſſerunt, & teſtantur Apoſtolicam Eccleſiam docuiſſe, *verbi grat*: Sanctos invocari poſſe &c. neq; enim ulla ratio excogitari poteſt, cur in primo, & non in altero Fides eis adhibenda ſit. Atq; adeò, ſi credamus Euangelia quæ habemus, eſſe Verbum Dei; & eorum Auctorum, quibus adſcribuntur, idq; non alia de cauſa credere poſſimus, quam quia hoc ab Eccleſiâ primitivâ, per omnes Sanctos Patres, & totum Chriſtianiſmum per Succeſſionem, continuam accepimus; Ergo etiam, quæ per eoſdem teſtes, & eandem planè viam credenda, nobis ſunt propoſita, eâdem Fide credere debemus. Sed

eandem Scripturarum interpretationem & eandem penitus doctrinam, quam nunc tenet, & docet Ecclesia Romana, per eosdem testes ac viam accepimus, per quam nobis tradita sunt Evangelia. Ergò eadem Fide doctrina Ecclesiæ Romanæ, nunc tenenda est, quâ credimus & tenemus Evangelia, quæ habemus, esse genuina, & Canonica.

Sed dicet fortasse aliquis: Ecclesiam primitivam Apostolicam, in tantum fuisse veram, & infallibilem, in quantum sacris litteris adhæsit, & sensum earum verum, genuinum ac infallibilem secuta est; unde fit, quod genuinus sensus Scripturarum non sit petendus ab Ecclesiâ, sed potius e contra, Veritas Ecclesiæ investiganda, & cognoscenda sit ex eo, si verum & genuinum sensum scripturarum, teneat & sequatur.

Respondeo 1. Si non ab Ecclesia sensus dubiarum Scripturarum sit petendus; sed ex Scripturis agnoscenda sit Ecclesia, in æternum non poterit agnosci, quænam modo sit, vel antiquitus vera fuerit Ecclesia. Cum enim sicut modo: ita & antiquitus diversi fuerint cætus, qui se rectè intelligere, Scripturas asserebant, nunquam aliquis scire potuisset, nec etiamnum posset, quinam ex omnibus rectè Scripturas

ſint ſecuti, niſi aliquid habeatur infallibile, cui omnes poſſint, & teneantur acquieſcere. Illud autem *Infallibile* non poteſt eſſe Scriptura, de qua diſputatur, ob rationes ſæpè dictas. Ergò debet eſſe aliquid aliud. Nihil verò aliud *infallibile* reperiri poteſt, niſi illa vera Eccleſia, cui infallibilitatem Dominus promiſit. Ergò hæc ſola genuinum Scripturæ ſenſum eſt ſecuta. Sed omnium confeſſione certum eſt Eccleſiam Romanam, quæ Apoſtolorum, & paulò poſt ſequenti tempore floruit, veram in terris viſibilem Eccleſiam fuiſſe; cui illam infallibilitatem Chriſtus eſt pollicitus. Ergo illa ſola, non autem diſſentientes aliæ, verum Scripturarum ſenſum habuit, & conſequenter, non ex dubiis Scripturis cognoſcenda eſt Eccleſia, quod factu impoſſibile eſt, ſed ex vera Eccleſia, dubius Scripturarum ſenſus eſt petendus.

Reſpondeo 2. Vel omnes illi S.S. Patres, à nobis in omnibus demonſtrationibus citati, in vera & infallibili, ac viſibili Eccleſiâ fuerunt, vel certè non fuerunt: Si fuerunt, certum eſt, eos Doctrinam habuiſſe Sacris literis, in omnibus eſſentialibus conformem, & conſequenter rectè Scripturas interpretatos eſſe; nemo enim in vera Eccleſia eſſe poteſt, niſi qui rectum ac genuinum Scripturarum ſenſum

in rebus Fidei ſubſtantialibus teneat, & ſequatur. Si igitur Scripturas rectè & verè intellexerunt, neceſſarium eſt, ut omnes qui in verâ Eccleſiâ eſſe volunt, etiam in eodem ſenſu Scripturas intelligant & explicent, in quo eas illi Patres intellexerunt. Vnicus enim tantum eſſe poteſt verus ſcripturarum ſenſus.

Si verò dicant Adverſarij, citatos illos Patres in verâ Eccleſiâ non fuiſſe, eò quod Scripturas non intellexerint in eo ſenſu, in quo nunc intelligunt Adverſarij. Tunc neceſſariò ſequitur.

1. Patres illos omnes, quos Sanctos & plenos divino Spiritu fuiſſe, & nunc in cœlis cum Chriſto glorioſos regnare credunt Adverſarij, & quorum Scripta, ubi poſſunt, ad confirmationem ſui Dogmatis attrahere conantur, non tales; Sed Viros impios & impoſtores, Spiritu Diabolico repletos, & Hæreticos fuiſſe, utpote qui ſcripturam in recto ſenſu, non ſunt interpretati, neq; in verâ Chriſti Eccleſiâ, extra quam nulla ſalus eſt, unquam fuerint.

2. Si omnes illi in Eccleſiâ verâ non fuerunt, Ergò tenentur Adverſarij quempiam alium aſſignare, ex toto illo numero Virorum, ac Doctorum, immediatè poſt Apoſtolos viventium, qui in Eccleſiâ verâ Chriſti fuerit; Si nullum talem poſſint demonſtrare, Ergo etiam non poterunt

demonſtrare, ullam unquam in Mundo poſt Apoſtolorum obitum, veram Eccleſiam viſibilem, & Scripturarum rectam ac genuinam intelligentiam fuiſſe. Et conſequenter omnes Chriſti promiſſiones, de Eccleſia conſtantia, ac perpetuitate factas, eſſe falſas ac mendaces.

Ex quibus omnibus jam dictis Reſponſum, ad Objectionem manifeſtum patet; videlicet certum quidem eſſe Eccleſiam, in tantum eſſe veram, in quantum Sacris litteris conformis eſt: Ita tamen, vt quando Sacræ Litteræ dubium ſenſum habent, vel habere poſſunt, ſenſus genuinus non ſit petendus à Scripturis æquè dubiis, ac obſcuris, de quibus litigatur: Sed ab Eccleſia, cui Chriſtus infallibilem, ejus explicandi poteſtatem dedit. Atq; ideò, quando Eccleſia vera inventa eſt, ſimul etiam vera Scripturarum, interpretatio inventa eſt. Cum ergo extra omnem Controverſiam, veram Eccleſiam credamus omnes, etiam Adverſarij, fuiſſe eam, quæ ipſo Apoſtolorum tempore, & immediatè ſubſequente floruit. Ergò neceſſe eſt, in illa veram etiam Scripturarum intelligentiam fuiſſe. Cum autem nunc Eccleſia Romana, eodem modo Scripturas intelligat, & eandem, in Articulis ſubſtantialibus doctrinam habeat, quam habuit illa primitiva

Apoſtolica

Apostolica, (quod in singulis Controversiis, clarè demonstravimus,) sequitur meridianâ luce clarius, modernam Ecclesiam Romanam, veram, visibilem, infallibilem & immaculatam Christi Sponsam esse: Cæteras verò omnes, ab ejus doctrinâ recedentes, pro falsis, mendacibus, ac Hæreticis censendas.

Quare, Amice Lector, quisquis extra Romanam Ecclesiam versaris, si Animæ salutem amas, & ad illam consequendam, infallibilem & veram unicam Religionem quæris, hæc tecum seriò perpende. Invenies profectò Ecclesiam Catholicam Romanam, esse veram illam & antiquam Apostolicam Ecclesiam, adversus quam promisit Dominus, Portas Inferi non prævalituras, & extra quam salvari nemo potest; utpote quæ sola Christum Auctorem suum habeat. Alias vero reperies ab Apostolicâ Doctrina, longè aberrare, utpote novitias, & ab Apostolicâ primitiva, in plerisq; gravissimè dissentientes. Audi, de hujus Ecclesiæ doctrinâ loquentem Paulum ad Galat: 1. *Licet nos & Angelus de Cœlo Evangelizet vobis, præter quam quod Evangelizavimus, Anathema sit.* In quæ verba pulchrè Augustinus de Unitate Ecclesiæ Cap. 11. *Evangelizata est nobis Ecclesia per totum Orbem*

Terrarum

Terrarum futura: Hoc in Lege & Prophetis, & Psalmis esse pronunciatum, ipse Dominus testificatus, qui eam cœpturam ab Hierusalem, & per omnes Gentes, permansuram esse prædixit. Testes sibi futuros in Hierusalem, & in tota Iudæa & Samaria & usq; in totam Terram: Cum jam in Cœlum ascenderet, pronuntiavit. Hæc verba, facta sunt secuta. Quomodo cœptum sit ab Hierusalem, et deinde processum in Iudæam & Samariam, & in totam Terram, ubi adhuc crescit Ecclesia, donec usq; in finem etiam reliquas Gentes, ubi adhuc non est, obtineat Scripturis Sanctis testibus congruenter ostenditur. Quisquis aliud Evangelizaverit, Anathema sit. Aliud autem Evangelizat, qui periisse dicit, de cætero Mundo Ecclesiam, & in parte Donati, in sola Africa permansisse dicit: Ergo Anathema sit, Hæc de Ecclesia Romana, sui temporis contra Donatianos Sanctissimus ille Doctor. Annon, si Deus illum modo terris redderet, illud ultimum, meritò repetere, contra Lutheranos posset? Videlicet: *Aliud autem Evangelizat, qui periisse dicit, de cætero Mundo Ecclesiam, & in parte* Lutheri in solâ Germaniâ *permansisse dicit.* Dicunt hoc profectè Lutherani, dum Ecclesiam suam solam, quæ in aliqua tantum Germaniæ parte nota est, veram & Apostolicam, omnes autem alias

falsas & erroneas esse contendunt.

Redi igitur, ô Lector, unde abiisti; vestigia majorum tuorum inspice, & videbis illos aliam instituisse Viam, hoc est in verâ & Apostolicâ Ecclesiâ fuisse. Videbis illos idem credidisse, quod nunc Ecclesia Romana credit. Te verò credere, quod omnes veteres Hæretici, Rebelles, & ab Ecclesia Apostolica damnati, crediderunt. Cum ergò Sanctorum Patrum, unanimem consensum de Doctrinâ nostrâ, tibi exposuerim, & ostenderim idem nunc Catholicos credere & sentire, quòd docuerunt, & crediderunt tot Viri Apostolici, & Spiritu divino pleni, quos nunc in Cœlis gloriosos triumphare credis. Quid eam Fidem & Doctrinam dubitas amplecti, per quam solam ipsi Salutem suam consecuti sunt? Cogita ergo, per salutem Animæ tuæ, Te rogo, cogita tibi sociisq; tuis Deum per Prophetam suum Ieremiam loqui, cap. 6. ℣ 6. *Hæc dicit Dominus State super Vias, & videte, & interrogate de semitis antiqvis, quæ sit Via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus vestris.*

§.



CATA-

CATALOGVS.

Quorundam SS. Patrum & Conciliorum, à quibus Ecclesia primitiva, Scriptis & Sanguine defensa, & illustrata fuit, & in his Controversiis citati sunt.

SÆCVLVM PRIMVM.

Patres.		Concilia.	
ANNO CHRISTI		ANNO CHRISTI.	
70.	Linus Romanus Pontifex.		
71.	Hierotheus Pauli Discipulus.	51.	Hierosolymitanũ
80.	Clemens Romanus Pontifex.		
84.	Anacletus Romanꝰ Pontifex.		
92.	Ignatius Antiochenus.		
96.	Martialis Lemovicensis.		
96.	Evaristus Romanus Pontifex,		
100.	Dionysius Areopagita.		

SÆCVLVM II.

109. Prochorus.
120. Papias.

Patres. ANNO Christi.	Concilia. ANNO Christi.
127. Telasphorus	198. Romanum sub *Victore* 1. in quo Decretum ut *Pascha* celebretur Die Dominico proximè sequẽte decimam quartam Lunam & æquinoctium Vernum.
130. Hermas.	
150. *Iustinus* Martyr.	
150. Egesippus.	
150. Melito Sardensis.	
160. Tatianus.	
160. Dionysius Corinthiacus.	
163. Soter.	
170. Theophilus Antiochenus.	
170. Athenagoras.	
180. *Irenæus.*	
198. Policrates.	

SÆCVLVM III.

200. Clemens Alexandrinus.	
200. Tertullianus.	
206. Minutius Felix.	
218. Calistus Roman; Pont;	

Patres ANNO Christi.	Concilia. ANNO Christi.
210. Hippolytus Martyr Ep. Portuensis.	
221. Theon.	
222. Iulius Africanus.	
226. Ammonius Alexandrinus.	
230. Origenes Adamantius	266. Antiochenum 70 Episcoporum sub Dionysio Papâ, contra errores & impietatem Pauli Samosateni Antiochiæ Episcopi.
237. Fabianus Romanus Pontifex.	
237. Gregorius Neocæsarensis.	
250. Cyprianus.	
250. Firmilianus.	
250. Proclus.	
250. Pontius Diaconus.	
253. Eusebius Alexandr.	
254. Cornelius Romanus Pontifex.	272 Antiochenum 2. contra eundem.
260. Dionysius Alexand.	
260. Zeno Veronensis.	

Patres. ANNO Christi-		Concilia. ANNO Christi	
270.	Victorinus Pictaboriensis.		
285.	Methodius Tyrius.		
385.	Arnobius Rhetor.		
299.	Lactantius Firmianus		

SÆCVLVM IV.

300	Petrus Alexandrinus	303.	Sinvessanum.
311.	Constantinus Imper.	305.	Eliberinum.
320	Eusebius Cæsariensis.	313.	Romanum
330.	Antonius Abbas.	314.	Ancyranum 1.
330.	Iuvencus.	314.	Neocæsariense.
336.	Iulius Papa.	314.	Arelatense 1.
340.	Athanasius Alexandrinus.	324.	Romanum in quo expressa fit mentio de Cardinalibus, Episcopis, & omnibus Ordinibus Ecclesiæ.
340.	Pachomius Abbas		
350.	Iulius Firmicus Maternus	325.	1. NICÆNVM Generale.
350.	Hilarius Pictaviensis	335.	Arelatense 2.
350.	Magnes		

355 Petrus

Patres. ANNO Christi.		Concilia. ANNO Christi.	
355.	Petrus Diaconus.	337.	Romanum contra Arrianos sub Iulio I.
355.	Sebaldus Agennensis	348.	Chartaginense I.
357.	Cajus Marius Victor	357.	Smyrnense
358.	Eusebius Vercellensis	359.	Ariminense.
360.	Q. Iulius Hilarion.		
361.	Didymus Alexandrinus.	362.	Gangrense aduersus Eustathium qui Matrimonium damnabat.
365.	Titus Bostrensis	363.	Antiochenum I.
366.	Theodorus Antiochenus.		
370.	Lucifer Calaritanus	374.	Valentinum I.
370.	Pacianus.	381.	2. CONSTANTINOPOLITANUM, à Damaso indictum contra Macedonium, pro Spiritus Sancti divinitate.
370.	Cyrillus Hierosolymitanus.		
370.	Ephræm Syrus.		
370.	Basilius Magnus.	381.	Aquileiense adversus Arrianorum Reliquias.
370.	Apollinarius Laodidicensis.		
370.	Ambrosius	381.	Cæsar augustanum contra

Patres ANNO Christi.	Concilia. ANNO Christi.
370. Optatus Milevitanꝰ	contra Priscillianistas.
370. Gregorius Broctiensis	382. Romanum
370. Valentinus, Valens & Gratianus Imperatores.	395. Tauritanense.
374. Philo Carpathius	396 Charthaginense 2.
380. Prudentius.	397. 3.
380. Macarius Ægyptiꝰ	398. 4.
380. Damasus Romanꝰ Pontifex.	398 5.
380. Amphilochius.	
380. Epiphanius.	
380. Gregorius Nazianzenus.	
380. Gregorius Nyssenus.	
380. Philastrius Brixiensis.	
380. Oriesiesis.	
380 Nectarius Constantinopolitanus.	
380. Faustinus.	
387. Syricius Romanus Pontifex.	
386. Timotheus Alexandrinus.	
390. Hieronymus.	

Patres. ANNO Christi.	Concilia. ANNO Christi.
390. Ruffinus.	
390. Theophilus Alexandrinus.	
390. Theophilus Antiochenus.	
390. Ioannes Episc: Hierosolymitanus.	
396. Tichonius.	
398. Helladius.	
398. Euagrius.	
398. Merobaudis.	

SÆCVLVM V.

Patres.	Concilia.
400. Chromatius	408. Toletanum 2. sub Innocentio 1.
400. Gaudentius Brixinensis.	416. Chartaginense 6 à 70 Episcopis habitum contra Pelagium, & Cœlestium.
400. Augustinus.	416. Mileuitanum à 61 Episcopis contra Pelagium.
400. Honorius & Theodosius Imp.	
400. Ioannes Chrysostomus.	
400. Paulinus Presbyter.	
402. Innocentius I.	

	Patres. ANNO Chriſti.		Concilia. ANNO Chriſti.
403.	Petrus Chryſologus.		
410.	Paulinus Nolanus.		
410.	Palladius.		
410.	Syneſius.		
417.	Zoſimus.	418.	Carthaginenſe 7. à 214 *E*piſcopis ſub Zozimo Papa.
420.	Ioannes Caſſianus		
420.	Idacius.		
420.	Severus Sulpitius.		
420.	Severus Minoricēſis	420.	Africanum.
225.	Paulus Oroſius.		
430.	Proclus Conſtantinopolitanus		
430.	Nilus *M*onachus.		
430.	Cyrillus Alexandrinus.		
4 0.	Poſſidius.		
4 0.	Vranius Presbyter.		
430.	Maximus Taurinenſis.		
430.	Sozomenus.		
4,0.	Socrates.		

433. Sixtus

Patres Anno Christi		Concilia. Anno Christi.	
433.	Sixtus Tertius.	431.	3. EPHESINVM Generale contra Nestorium pro unitate Personæ in Christo.
440.	Isidorus Pelusiota		
440	Arnobius Iunior.	439.	Regiense.
440.	Vincentius Lirinensis		
440.	Euodius.	441.	Arausicanum 1 sub Leone 1.
450,	Theodoretus.	442.	Vasense in Aquitania sub Leone 1.
450.	Leo magnus.		
450.	Eucharius Lugdunensis.		
450.	Prosper Aquitanicus,	451.	4. CHALCEDONENSE Generale sub Leone 1. pro duabus Naturis Iesu Christi, contra Eutycheten & Dioscorum.
450,	Basilius Seleucius		
460.	Claudius Marius Victor.		
460.	Victor Antiochenus	453.	Arelatense 3.
460.	Sedulius.	453.	Veneticum in Britanniâ minori.
461.	Hilarius Romanus Pontifex.	463.	Arausicanum 2.

469 Claudius

Patres. Anno Christi.	Concilia. Anno Christi.
469. Claudianus Mamertꝰ	464. Carpenctoratense
470. Esaias Abbas.	465. Romanum sub Hilario Papa.
470. Cæsarius Arelatensis.	
470. Isaac Presbyter.	
470. Gennadius Massiliensis.	
477. Salonius Viennensis	
480. Victor Vticensis.	481. Turonense 1. sub Syluerio Papa,
480 Salvianus Massiliensis.	
480. Vigilius Tridentinus.	
480. ConstantiusPresbyt:	Romana Concilia VI. Annis 465. 482. 484. 494. 495. 499.
480 SidoniusApollinaris	
480. Diadochus.	
490. Gelasius.	
490. Ferrandus Diaconus.	
496. Nemesius.	



INDEX

Index rerum Notabilium, quæ in 2. parte continentur.

A.

C.

Errata graviora.

Potestatem pro posteritatem pag: 10. in dedic: l: 10. *Triusq;* pro, utrisq; pag lin: 12. *Christum* pro Christi, p. 19. l. 11. *propugarunt*, pro propugnatunt, p. 20. l. 1. *Pecatta*, pro, peccata p. 110 l. 1. *Deben* p. debent, p 120 2. *Nun* pro, nunc, p. 175 l. 17. *Voluit* pro voluitur, p. 235. l. ult. *Aransiacanum*, pro Arausicanum, p. 271. l. 12. *vnnam*, pro unam p. 284. l. 4 γυναῖκα pro γυναῖκα, pag. 248. l. 10. *&c.* pro & p. 29. l. 3. a fine. *Cræator*, pro Creator, p. 293 *aoniugium* pro Conjugium p. 294. l. ult. *Aligatus*, pro alligatus p. 297. l. 7. a fin. *est* pro & pag. 301 l. 8. a fin *Domnum*, pro Donum, p 304 l. 7. *opstrictæ* pro *obstrictæ* pag. 316. l. 1. *Acerdos* pro Sacerdos, pag 318. l 4. a fine. *Leniti*, pro leuitici, pag 321 l. 3. a fine. *Imaginum*; deest pag. 331. l. ult. *Decörsum*, pro Deorsum, pag. 331. l. 9. *Fore*, pro fortè, p. 333. l. 18. *Fugentium*, pro fugientiũ, pag. 353 lin: 13.





Ex Libris Ioannis Kleczynski
Pivaki Lebiarof
1741

